




REALE ACCADEMIA DELLE SCIENZE DI TORINO
B2 III 14.

PARTHENII
NAUMACHICA.


ET NOMEN TOTO SPARGET IN ORBE SUUM
PARTHE
GIANNETTA
S.I.
And. Maillar Sculp. Neap. 1722.

NICOLAI PARTHENII
GIANNETTASII
NEAPOLITANI E SOCIETATE JESU
NAUMACHICA,
S E U
DE BELLO NAVALI
L I B R I V.

AD EXCELLENTISSIMUM
P R I N C I P E M
ANTONIUM
R A M B A L D U M
COLLALTI COMITEM, &c.



NEAPOLI, Apud Bernardum-Michaëlem Raillard, M.DCC.XV.

SUPERIORUM LICENTIA.

AD EXCELLENTISSIMUM PRINCIPEM ANTONIUM RAMBALDUM COLLALTI COMITEM, &c.

P. V. C. D.

ÆStus erat, gelidique cava teſtudine ſaxi,
Tollit ubi pexos ſupra pulcherrima crines,
Effuſosque auro ſimiles dat ludere in auras
Inter Sirenes Cholomelis prima ſorores,
Conſidens, placidi captabam murmura Ponti,
Quem leni Zephyrus pulſabat verbere, dum Sol
Libratus medio pendebat fervidus axe.
Solus & hic Fato ſuper impendente, futura
Et vita ſuper immortali plurima mente
Volvebam tacita mecum: ſuprema tenere
Jam jam Cœlicolum loca læta, amnesque videbar
Lactifluos, ſincera quibus fluit omne per ævum
Plena, effuſa, ſacro manans de fonte voluptas,
Felicesque inter curſabat ſpiritus oras:
Et ſanctum Elyſium, & fęlicia rura piorum

Lu-

Lustrabat læta sub imagine, cum levis artus
Invasit sopor; extemplo mihi visus ab alto
Adventare citis lapsus Cillenius alis,
Aque hæc facundo dedit ore: Quid humida propter
Litora? quid placido cessas prostratus in antro?
Intermissa diu sumenda ad carmina rursus
Plectra tibi, magnoque iterum clamore sonandum.
Et magnis Helicon numeris, lucique beati
Parnassi, totoque ciendus vertice Pindus.
En novus, en Magnus offert COLLALTIUS Heros
Se tibi, Mantoo dignus vel carmine, tantis
Fulget imaginibus Majorum, atque ære vetusto:
Et propriis fulget virtutibus. Hic tibi finis,
Metaque cantandi Fatis concessa benignis.
Ne tenues vires prætende, pigramque senectam,
Non duras Parcas, non deficientia fila:
Stamina stant & adhuc lentis labentia fusis.
Sic jubet Omnipotens: olli parere necesse est,
Sint rigidæ quamvis, & dura fronte sorores.
Tantus amor COLLALTIADÆ, tam maxima cura
Est Patri Magno, cœli qui sidera torquet:
Quique indonatos & laude, & carmine Magnos
Non sinit ire Viros, quorum pulcherrima virtus,
Et mens alta, capax, ad maxima quæque, vel armis
Munia sint Martis peragenda, aut docta Minervæ
Æternis calamo sint committenda papyris,
Ingenii monumenta, tot & versuque, Lyraque
Præstantes inter Vates te sydere ab alto

De-

Delegit Musis concordibus. Ergo age plectrum
Sume iterum: dabit ille novas ad carmina vires,
Et juvenile pigris infundet mentibus œstrum.
Hæc Maja satus: & pernicibus ilicet alis
Findit iter liquidum, & patrio se reddit Olympo:
Excutior somno; inque alium me numine versum
Sentio: nigrescunt cani, color inditus alter
Est ori; roburque novum languentibus olim
Artubus infusum, fortesque ad munia nervi
Exercenda vigent: scribendo dextera constat:
Vox juvenem sonat; & citharam sociare sequendo
Aptior ac priùs; & vitales corpore toto
Diffundunt sese vires, mirabile visu.
Ilicet expelli senium, rursumque juventam
Efflorère: stupent fluctus, mirantur & ipsæ
Improvisa Deum miracula, & undique circum
Lætitia effusæ saliunt, sacra Numina ponti,
Ætatemque novam Vati gratantur amico
Nerèides, Phorcique chorus, Dorisque, Thetisque,
Quæque per Oceanum vaga fluctuat Amphitrite.
Scriptorum quondam mihi credita fabula Grajùm,
Centenos ætate senem, qui duxerat annos,
In juvenem rursus rediisse salubribus herbis,
Aurora pastum prima, & Gangetide lympha.
Indus, (1) uti memorant, fuit olim corpore grandis,
Mente capax, doctus naturæ inquirere caussas,

Astro-

(1) Author est Olympiodorus Platonicus.

Aſtro rumque ortus, variantis & aëris oras:
Hic cum jam centum Titan exhauſerat orbes
Signiferi, rebusque alios induxerat ortus,
Atque aliam mundo faciem, tum læta ſecundum
Gemmiferi tendens lento pede flumina Gangis,
Vitalem ad fontem veniebat, & aurea carpens
Gramina, quæ riguo ſparſim ſub fonte virebant,
Mandebat lætus, lympha mox plurimus hauſta,
Et fluvio & Nymphis libans largo ore bibebat.
Vix herbis hilaris, fontique indulſerat; alter
Protinus aſpicitur, juveni, mirabile dictu
Omnia fit ſimilis ſenior, vocemque, coloremque,
Inceſſumque ipſum, & nervos virtute valentes.
Sic decies repetens medicamina, mille per annos,
Credere ſi dignum, redivivo in corpore vixit.
Ipſe ſed auriferi non Gangis flumina potus,
Non herbis paſtus medicis ferrugine prima
Venturæ lucis, magno ſed munere Divûm,
Qui tibi concordi voto, RAMBALDE, faventes,
Annoſum ad cantum faciunt juveneſcere Vatem.
Hæc igitur ſi clara Jovis mens, ſacra Tonantis
Si ſunt juſſa, quibus Vatem parere neceſſe eſt;
Hæc, quæ Marte ſuper medias pugnante per undas;
Auſpicio, ductuque tuo deſcripſimus, ipſe
Aſpicias, precor, & vultu digneris amico.
Nam ſic illa tuo præfixo nomine fronti
Ibunt clara magis, quam ſi luceret Apollo
Partheniæ inſidens puppi, totamque per auras

Cæ-

Cæsariem fulvo ſplendentem effunderet auro.
Ibunt clara magis totum delata per orbem
Terrarum, præeunte tuba, & pernicibus alis
Fama victrici redimita fronde capillos:
Atque hæc perpetuo cantabit carmine, & ore
Blandiloquo populos vulgabit læta per omnes:
Prima quod hic jactat præfixum pagina Nomen,
Eſt COLLALTIADÙM RAMBALDUS Maximus Heros,
Quem tituli, regale genus, faſcesque ſuperbi,
Ingentes & opes, & avorum illuſtria facta
Et palmæ innumeræ, & ſignati adamante triumphi,
Regnatæque urbes, gentesque ad juſſa vocatæ
Italia in magna, & Moraùm in finibus altis,
Supra homines tollunt, magnisque Heroibus addunt.
Aſt animi dotes, peperit quas ſolus & ipſe,
Quæque homines Divis æquant felicibus, illum
Extollunt terris, cœlique in ſidera condunt.
Et ſimilem reddunt Superis. Prudentia rebus
Plurima tractandis, animusque ad fortia factus
Magnanimus, conſtans, nulla formidine victus:
Grandis & in miſeros Clementia, Grandis in omnes
Munifici vis alma; effuſa ad munera dextra.
Mens æqui, rectique tenax, & conſcia honeſti:
Et Comitas vincire animos, vinctosque tenere
Inſignis Gravitas: blando ſed mixta lepore.
Et nitidi mores, & rara modeſtia vultus:
Addet & his animum ſtudiis regalibus aptum,
Tot diſciplinis Heroo Principe dignis,

Artibus & tot Musarum, doctæque Minervæ
Excultum, & palmas, toto plaudente Lycæo,
Ingenii toties magna cum laude relatas.
Atque alias referet virtutes Fama, sonorum
Æs inflans, tractim terrarum effusa per oras.
Ipse etenim celeres haud possum æquare sequendo
Grandiloquæ pennas Famæ, & memorare canendo,
Quæ Dea, cui fortes insunt ad carmina nervi,
Atque tubas animare potens, vulgabit in omnes,
Sive sub Eoo degant, seu Vespere, gentes.
Parthenio sat erit Vati tua jussa secuto,
Materiam Famæ dignam, Heroemque dedisse.

Ex Surrentino Nostro Kalendis Novembris anni MDCCXIV.



MAURITIUS AB ANTONELLIS

Præpositus Provincialis Soc. Jesu in Regno Neapolitano.

CUm librum, cui titulus *De Bello Navali*, à P. Nicolao Parthenio Giannettasio Societatis nostræ conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; potestate, à P. Michaele Angelo Tamburino Præposito Generali, ad id nobis tradita, facultatem concedimus, ut Typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas dedimus. Neapoli 13. Kalen. Jun. 1714.

Mauritius ab Antonellis.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

BErnardo-Michele Raillard supplicando espone à V. Em. come deve dare alle stampe un libro intitolato: *Naumachica, seu de Bello Navali*, composto dal Padre Nicolò Giannettasio della Compagnia di Giesù, e per tanto la supplica per la revisione per la solita licenza, e l'averà a grazia ut Deus.

Dominus D. Januarius Majello revideat, & referat. Neap. 20. Junii 1714.

NICOLAUS CAN. ROTA PRO-VIC. GEN.
D. Petrus-Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISSIME DOMINE.

JUssu Eminentiæ Tuæ legi Nicolai Parthenii Giannettasii è Soc. Jesu *Bellicorum Navalium libros quinque*, in iisque non modo Marones, Papiniosque, atque alios summos Patriæ nostræ Poëtas redivivos stili magnitudine, dicendique ubertate deprehendi; verum etiam Fidei puritatem, morumque sanctimoniam ubique servatam, assertamque demiratus sum: Quare Typis mandari, omniumque manibus teri ad augumentum eruditionis, & pietatis incitamentum maximum operæ pretium futurum puto, si ita Em. T. videbitur. Ex Ædibus Seminarii Archiepiscopalis pridie Kalendas Julias MDCCXIV.

Em. T.

Humill. Addictiss. & Obsequentiss. Serv.
Januarius Majellus.

Attenta supradicta relatione Domini Revisoris, Imprimatur. Neap. 30. Junii 1714.

NICOLAUS CAN. ROTA PRO-VIC. GEN.
D. Petrus-Marcus Giptius Can. Dep.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

BErnardo-Michele Raillard supplicando espone à V. Ecc. come desidera dare alle stampe due libri uno intitolato: *Naumachica, seu de Bello Navali*: E l'altro: *Hyemes Puteolanæ*, composti dal Padre Nicolò Partenio Giannettasio della Compagnia di Giesù. Per tanto supplica V. Ecc. per la solita licenza, e l'averà a grazia ut Deus.

Rev. Pater Franciscus Savastanus videat, & in scriptis referat.

GASCON REG. MIRO R. MAZZACCARA R. ULLOA R.

Provisum per S. E. Neap. 21. *Junii* 1714.

Mastellonus:

EXCELLENTISSIME DOMINE.

NOn sine liquidissima animi voluptate perlegi de mandato Excellentiæ Vestræ librum, qui *Naumachicorum* inscribitur, à P. Nicolao Parthenio Giannettasio nostræ Societatis conscriptum; nihilque in eo reperi, quod Regiæ Jurisdictioni adversetur, quin omnia ad Reipublicæ ornatum maximè conducentia; quippe quæ luculentissimè testentur in hoc uno Egregio æquè Vate, ac Cive etiamnum Neapoli nec suos desiderari Sannazarios, ac Pontanos, nec veteres olim incolas Marones. Quare typis, atque adeò Immortalitate dignissimum censeo, si ea Excellentiæ Vestræ mens fuerit. Ex Neapolitano Collegio die 22. Novembris 1714.

Excell. Vestræ

Omni obsequio addictissimus Famulus
Franciscus Savastanus Soc. Jesu.

Visa relatione imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

GASCON REG. GAETA REG. MIRO REG. MAZZACCARA R. ULLOA REG.

Provisum per S. E. Neap. 26. *Novembris* 1714.

Mastellonus.

PRÆ-

PRÆCEPTORI OPTIMO

STUDIOSISSIMUS OLIM AUDITOR.

UT ſacra PARTHENII formarent unius ora,
Sudarunt multæ, ſedula turba, Deæ.

Uranie pueri diſtinxit lumina prima,
Juſſit & Ætherei noſcere jura Poli;

Eloquii Regina potens placidiſſima linguæ
Flumina de nitido currere fonte dedit:

Fictricem effinxit mentem divina poeſis,
Flectere & omnigenos tradidit arte modos:

Acre ſed Hiſtoria ingenium protudit, ut ævi
Priſci relliquias erueret tenebris.

Felix Parthenope, quæ hoc uno dives alumno,
Cætera ſi deſint, ire ſuperba potes.

Hinc ſi ſcire cupis quantum hic ſupereminet omnes,
Et qualis deceat laurea digna comas;

Artificis manus una alios, ſed plurima noſtrum
Divarum finxit dextera PARTHENIUM.



AN-

ANTONIUS RAMBALDUS JOACHIMO ANTINORIO,

Cùm Vienna Neapolim rediret.

MIgrantem, reducemq; sequor, tu ad Patria tendis
Littora Sebethi, Parthenopemque tuam.

Haud procul Adriacis Regio me accersit ab oris
Præbuit optatum quæ mihi prima diem.


Cum tibi contigerit caræ succedere terræ,
Nec mora, Thyrreno lintea crede mari:

Fluctus ubi assurgit pacato in marmore, & altum
Surrentum Bacco tempus in omne viret.

Dirige tunc proram felicia littora circum
Vatis ubi sedes inclyta PARTHENII est:

Quem sic aggredere; avulsum radicibus imis
Cor tibi, si posset, mitteret ille suum.

Sed vetat hoc fatum, nec dum lux illa refulsit,
Quà fortunatum solvat in Elysium.



SO-

SONETTO

DEL SIGNOR

CONTE COLLALTO

AL SIG. ABB. ANTINORI.

Nel ſuo ritorno da Vienna in Napoli.

TU parti, Io parto, Amico, e tu ne vai
 Del tuo Sebeto à riveder le ſponde;
Io non lungi dall'Adria alle chiar' onde,
 Dove vidi del giorno i primi rai.

Ma poiche giunto al patrio ſuol ſarai,
 Di gir t'affretta, ove il Tirren diffonde
 Più lieti i flutti, e di pampinea fronde
 Cinto è Sorrento, e non la perde mai.

Per quei lidi beati intorno intorno
 Drizza la prora al fortunato Eliſo,
 Dove del Gran PARTENIO è il bel ſoggiorno.

Dilli, ch'Io ben vorrei da me diviſo
 A lui ne giſſe il cuor, ma che quel giorno
 Non giunſe ancor ch'io goda il Paradiſo.

VA-

VATI PARTHENIO

(1) PHILOPARTHENII

TETRASTICHON.

Aſtrorum (2) ſedes, & (3) fines edocet Orbis,
Velivolasq; (4) rates, Undivagosq; (5) greges,
Atq;(6)anni,(7)Martisq; vices,(8)Patriæq; triumphos:
Quis Vatem hæc unum ſcribere poſſe putet?

(1) *Eſt hic* ANTONIUS RAMBALDUS *Collalti Comes, Vatis amiciſſimus.* (2) *Coſmographiam innuit, quam Vates ad inſtruendos ſuos Auditores ſcripſit: & Franciſco Pignatello Archiepiſcopo Tarentino, qui ſubinde Cardinalis, & Neapolitanus Antiſtes renunciatus, dedicavit.* (3) *Geographiam, quam eundem ob finem compoſuit: & Jacobo Cardinali Cantelmo Archiepiſcopo Neapolitano nuncupavit.* (4) *Nautica, quæ octo libris complexus, quibus & Piſcatorias Eglocas adjunxit: & Carolo de Cardenas Comiti Acerrarum inſcripſit.* (5) *Halieutica, quæ decem libris abſolvit, & eidem Comiti, Viro Vatis amantiſſimo, obtulit.* (6) *Anni tempora Æſtates Surrentinas, quas eidem Tarentino Antiſtiti, à quo Vates Tarenti per quam humaniſſimè exceptus, dedicavit: Autumnos item Surrentinos, quos Thomæ Aquinati Caſtilionis Principi dedicavit; Ver Herculanum, quod Alphonſo de Cardenas Caroli filio inſcripſit. His addendæ Hiemes Puteolanæ, quas olim intuitu Cardinalis Cantelmi, qui Authore familiariſſimè utebatur, vix cœptas, nunc in gratiam Collalti Comitis, abſolvere parat, ut ſub anni Eruditi titulo unà prodeant.* (7) *Bellica, quibus XV. libris univerſam bellandi artem edocuit, & ejuſdem Principis Aquinatis Nomine inſcripta in lucem edidit. His Naumachica erant adjungenda, quibus Author quinque Bellum Navale libris in ultima ſenectute complexus eſt, & Comiti Collalto, cujus in gratiam ſcripta, nuncupavit.* (8) *Hiſtoriam Neapolitanam tribus Tomis contentam, quam hortante identidem Cardinali Cantelmo, compoſuit; & Carolo Pacecco Caraſæ Magdalunenſium Duci dedicavit. His alter Tomus addendus, ut ad proximiora tempora Hiſtoriam perducat, ſi longior ætas, & vires dabunt; & ut boni dent Superi Vati noſtro literarum amatores optamus univerſi.*

NAU-



NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII VITA.

Partim ab ipso Auctore, partim à quodam ejus Familiari, Descripta.



Icolaus Parthenius Giannetasius Neapoli via Toletana honestis Parentibus natus anno MDCXLVIII. Primam pueritiam sub rigidam Parentis disciplinam laudabiliter egit. Anno MDCLVI. patre pestilentia sublato (matrem jam sexennis amiserat) fratribusque, & consaguineis fere omnibus eàdem lue enectis, solus ipse penè miraculo servatus est. Nam pestis utroq; genere correptus, bubone scilicet pestifero, & pustulis toto corpore diffusis, quod genus durius habebatur, sine ope, atque opera medicorum, sine medicamine; post diutinam cum morbo conflictationem, quo etiam tempore, phrenèsi laboravit, insperato convaluit. Dum verò in ædibus solus puer, atque inscius sedet, vespillones ad efferenda cadavera ingressi, mercedis loco suppellectilem totam extraxerunt: mox

qui in inferiori contignatione habitabant pecuniam plurimam, & gemmas, atque argentea vasa abstulerunt. Interea dum ignarus consilii hæret, quidam, qui vix illum affinitate attingebat, adfuit; qui puerum secum domum deduxit, tutorque à jure constitutus: nàm Justitio sublato, quod remitti jam vis pestilentiæ cæpisset, judicia fieri cœperunt. Sub hujus tutelam hominis inerudìti, atque inculti aliquid pueritiæ sine lucro, inter ludos, ac pueriles nugas transegit. Inde pubertati jam proximus; cum domi Sacerdotem quemdam haberet, qui grammaticam apprimè callebat, hujus usus opera, brevi se à grammaticæ tricis expediit. Cum verò eo tempore is apud Patrem Joannem Baptistam, Zupum cognomine, Mathesi operam daret, author fuit, ut Parthenius Mathematicas disciplinas leviter attingeret, quas mox proprio, ut dicitur, marte, ita didicit, ut Magister evaderet. Pari diligentia, nullo facem præbente, græcas, & hebraicas literas ita etiam attigit, ut eas aliis traderet. Decimumquintum annum agens ad Philosophiæ, ac Jurisprudentiæ studium se contulit: etsi ejus ingenium libentius in Mathesim, ac Musas, delicias suas, ferebatur. Totum triennium, quod in his studiis consumpsit domi suæ, quæ ad Olympiam, juxta Turriculam, sita erat, vitam solus egit, longè à strepitu urbis, longè ab amicis, longè à curis omnibus. Itaverò eo tempore vixit, ut nemini gravis, nemini offendiculo esset, quod in adolescente libero, & cui vitæ necessaria mediocriter suppetebant, non leve bonæ indolis argumentum erat. Hinc factum, ut Canonici Lateranenses, qui ad Pausylipi radices habitant, Ædisque Virgineæ, cuì à proxima Puteolana Crypta cognomen apud vulgus popularium est, curam habent, illum sæpè ad se trahere conati sint: idemque factitare studuerunt Servitæ, qui Sinceri ædes, etiam Virgini dicatas incolunt. Cumque animadvertissent Juvenem ad Societatem Jesu animum inclinare, illum ab hoc consilio revocare pluribus conati sunt: In Societate, nullo illi adiumento futurum vel ingenium, vel literas: imò vix expleto tyrocinio, aut ad Calabros, aut ad extremos Salentinos amandandum, ut pueros, vile ministerium, grammaticæ præceptis institueret: quando si ipsorum institutum susciperet, in patria, ac dilecta sibi Olympia vitam quietè commodeque duceret, & primos etiam honores consequeretur. Quibus hæc ille solitus reponere, sè ab omni ambitione alienum, imò turpe ducere, ut qui semel mundanis rebus nuncium misisset, omnibusque divitiis se abdicasset, commoda honoresque quæreret. Sibi gratum fore

fore, si terras remotiores viseret, & uti cupiebat quam maximè, diversarum gentium mores, atque ingenia disceret. Quid jucundius, quam terram illam lustrare, quæ Græciæ suppar, imò & major, tot celeberrima antiquitatis monumenta; tot egregia suorum facta in se una contineret. Mox adultior, cum sensim in liberiorem vitam, amicorum consortio, traheretur, de vitæ suæ statu seriò cogitare cœpit: cumque ad id quantocyùs faciendum à quodam religioso homine incitaretur, Societatem Jesu ingressus est pervigilio Virginis natæ, quem ille diem solennem semper habuit. In Tyrocinio, se divinarum rerum meditationi dedit; à cæteris rebus adeo abstractus, ut is, qui tyronum Magistro socius erat, ut stolidum, indoctumque despiceret; sæpiusque Magistrum moneret, ut tyronem adeo rudem, tardæque Minervæ tempestivè dimitteret, quod & ille fecisset, ni Pater quidam, cui Pedacio cognomen, intercessisset, qui juvenem apprimè noverat, & unicè diligebat. Hactenus Auctor.

Verùm non diù latuit, quàm ineptè de Ingeniis judicium feratur ab iis, qui putant, brevi se illa tempore, aut dignoscere, aut metiri posse. Tyrocinio vix expleto, Nepetias missus, molestissimam erudiendorum grammaticæ præceptis puerorum provinciam suscepit. Qua in re ita se, suasque vires exercuit, ut omnium expectationem, quæ sanè, vel de ejus ingenio nulla erat, vel certè minima, longè superaverit. Neque enim unico eo labore contentus, ubi multas quotidie horas in pueris erudiendis consumpsisset, reliquum diei tempus, exercendo stylo, & Musis excolendis insumebat. Quinimò pluries ventri jejunium indicens, noctes ferè integras inter amena hæc studia transigebat: & licet Mathematum scientiis dabat etiam diligenter operam, strenueque: potior tamen pars mansuetioribus Musis ascribebatur. Quibus ille exercitationibus ita ingenium exacuit, atquè ad magna excitavit, ut postremo, quo docuit pueros anno, Poësim illam, quæ SABERIDES inscribitur, occæperit, & ad decimum usque librum perduxerit. Quod opus imperfectum licet, ac mutilum, tametsi reliquis operibus, quæ multo post tempore maturior edidit, par omninò dici non possit, cæteris tamen omnibus admirabilius reputari potest: tum quòd illud, tot distentus tricis, curisque, anno uno, confecerit; tùm maximè, quòd vel ab ipsa adolescentia non sanè levia præclari ingenii argumenta præbuerit: ità enim Divi Xaverii, Indiarum Apostoli præclarissima gesta persequitur, ut in uno, eodemque Opere, & accuratus Geographus, & elegans Poeta videatur. Tempore erudiendis pueris constituto, ab eo reli-

religiosissimè exacto, suam Scholasticæ Theologiæ operam dedit, tres fermè annos Panormi, postremum verò Neapoli: quibus absolutis, publiceque, de more, propugnatis universæ Theologiæ thesibus, iterum in Calabriam profectus est, & Rhegii Philosophiam triennio docuit. Hinc Neapolim, de Moderatorum Imperio, rursum revocatus est; ac Matheseos Facultati, cuius scientissimum iamdudum noverant, in Collegii Maximi Academia edocendæ impositus. Hic parem nactus genio materiem, ingenio theatrum, omnem in ea Sparta pro virili parte, exornanda, Parthenius operam collocavit non sine maximo Facultatis eiusdem, et universæ Academiæ emolumento; nam eiusdem studio, ac diligentia, è vestigio suo restitui nitori visa, propè jacens pridem in tenebris, Mathesis. Tanti nimirum Doctoris exciti Auditores, convenire frequentius, imbui avidiùs, pluris rem mathematicam æstimare. Plurimum verò ad id contulit ipsius Parnii industria, qui, ut sibi demandatam Mathesim commendaret magis, ex umbra in Solem eduxit, ac pulverem. præter Problemata, privatis identidem eruditis certaminibus, exposita, publicas etiam concertationes instituit, in quibus Physio Mathematicæ Positiones palam propugnandæ, in Aulà Maxima, proponebantur. non sine pompa. & optimatum juxta, atque eruditorum virorum frequentia, non minus rei novitate, ac Authoris præconio illectorum: quòd sanè & sibi, & rei mathematicæ ampliorem circumdedit famam. Extant hodiè, numero non exiguo. graphicè depictæ Tabulæ, propositorum Problematum Iconismis insignes, ex parietibus inferioris Ambulacri ad domesticum Viridarium dependentes, quibus triumphat etiamnum Partheniana Mathesis. Quamvis autem in his studiis totus videretur, ut Cosmographiam etiam, ac Geographiam in suorum Auditorum usum concinnatam in lucem emitteret, haud tamen aliis ulla deerat ex parte. Versatus in linguis apprimè erat, in græca præsertim, & hæbraica: ijs etiam edocendis admotus, geminatum haud abnuit onus; quin plures continenter annos tulit tanta eruditionis præstantia, & impositi muneris neglectu quodem, ut hac una de causa, minus bonus Præceptor in linguis visus fuerit, quòd nimia in docendo celeritate, ac præceptorum copia, Auditorum suorum animos obruebat: vitio, ingeniosis viris perfamiliari, qui è suo aliorum metiuntur ingenia. Nec tot, non sanè exiguis, contentus laboribus, Divinarum, profanarumque rerum privatum addidit studium: qua in re ita felix processu fuit, ut quæ

à sa-

à sacris, cœterisque Scriptoribus posteritati commendata, longo studio, ac labore haurienda essent, ab eo uno, nullo negotio, quisque ediscere posset: Usque adeo, quæ dissitis Regionibus, temporibus variis gesta essent, & pluribus digesta libris memoria tenacissimè septa, retinebat, ac non sine lepore quodam denarrabat. In primis verò amæniorum literarum studiis, in quæ, nativis quibusdam emicabat igniculis, ubi per tempus liceret, non commodabat se modo, sed penitus impendebat. Hac de causa egregios Poëtas, ut eorum exempla, aut penè jam fugientia, aut non adeo pervulgata studiosæ Juventutis præ manibus faciliùs haberi possent, atque in ea, velut in Speculum, inspici, Fracastorium, Sanazarium popularem suum, atque Rapinum recentem Gallum, qui paucis ante annis, de cultu hortorum elegantissimè scripserat, iterum Neapoli, typis mandandos curavit, eosque, repetito editionis honore, donavit. Mox etiam aliquid de suo moliri occœpit. Nautica primum, succisivis horis, otii pertenacissimus hostis, atque acerrimus, aggressus est: quæ ad umbilicum perduxit; & revocavit ad limam, & publici tandem juris fecit. Juvit plurimum eruditum otium, quo per feriatos dies plenius fruebatur. Subautumnales quippe Vacationes, Massam Lubrensem primum; mutato deinde consilio, in eum locum, propè Surrentum, quem Cocomellam Indigenæ, Colomelidem ipse reformato ad elegantiam Nymphæ cujusdam in speciem, nomine, suis in libris identidem poëtico more appellat, secedere solebat. Hìc omni solutus cura, tenui admodum contentus victu, quem sibi ipse sæpissimè præstinabat, coquebat, & parabat, humanioribus hisce literis non dabat se, sed prorsus abdebat. Ità facile fuit grandia moliri, & ad rem perducere. Hac ratione Nauticorum Libri, ad unguem perfecti, ac castigati. Hac etiam Hallieuthicorum quoque Opus alterum adjectum; ac tertium denique operosius Bellicorum, pari semper Musæ elegantia, candore, atque majestate. Ut hoc etiam eruditum oblectaret otium, plura ad cumulum soluta oratione commentatus est, familiari stylo, ad curiositatis illecebram, & latinitatis lenocinium unice facto; eaque in plures distributa libros, Æstates Surrentinas, Autumnos Surrentinos, Ver Herculanum inscripsit. Hæc omnia, ex intervallo, prælo commendavit, atque in lucem edidit; Nautica primùm, quæ tanto plausu excepta fuere, ut omnes in eo redivivum Sannazarium, aut Maronem ipsum mirarentur: quod ei calcari fuit, ut cætera opera maturaret, Typisque committeret. His artibus emanare in Vulgus

Par-

Parthenii nomen, ac longè, latèque inclarescere: illius, non sine ambitu quodam, certatim familiaritatem exposcere cum literati populares, tùm exteri, cum primis vero summo ab loco viri, ut non facile dictu sit, quot, quàm magnis ipse floruerit amicitiis. Principem, jure merito, sibi vindicat locum Carolus de Cardenas, Laini Marchio, Acerrarum Comes, Sacri Romani Imperii Princeps, primus Parthenii Mæcenas, cui Nautica, & Hallieutica nuncupavit: nec silentio prætereundi sunt Thomas de Aquino, Castillionensium Princeps, cui Bellica, Franciscus Pignatellus Tarentinus tunc Archiepiscopus, nunc S. R. Ecclesiæ Cardinalis amplissimus, ac Neapolitanus Archiepiscopus meritissimus, cui Geographiam dicavit. Omnibus verò, meo quidem judicio, jure præferendus Eminentissimus Jacobus, Cardinalis Cantelmus. Is, cum jampridem nostrum, ex eius Libris, perspectum haberet Parthenium, Neapolitanæ Ecclesiæ admotus clavo, ubi se contulit in sedem, adeo illum propè effusis benevolentiæ habenis, prosecutus est, ut eidem arctissimo penè familiaritatis nexu coniunctus videretur. Cum eo frequens miscere sermones, curru, animi causa, deambulatum vehi, in Diœcesim interdum obire, cibum, communem ad mensam, persæpe sumere: verbo: feriarum laxamenta curarum suavissima Parthenii consuetudine supplere. Quod fidem superat, non dedignatus est tantus vir, sæculo major suo, nostrum Parthenium, in suo degentem Surrentino, quo se recipere per autumnales vacationes solebat, humaniter convenire, ibidem ab eo excipi, certis etiam quibusdam epulis, non sine commendatione laudis, vesci quas Parthenius, suis ipse manibus, egregius æquè Coquus, ac Vates, scitè apparabat; ibique per dies aliquot ejus frui consuetudine, eruditione oblectari. Non semel etiam in Neapolitani Collegii Aula, aut soluta, aut adstricta numeris oratione dicentem, sua præsentia honestavit. In primis vero quanti illum faceret, ostendit, cum publicè in eadem Aula, ad eruditam Panegyrim recitaturo Bellicorum Librum VI. antequam prodiret in lucem, non modo adesse ipse voluit; sed tres alios purpuratos Patres, qui tùm fortè fortuna Neapoli agebant, invitandos curavit, Vincentium Ursinum, Joseph de Aguirre, & Fortunatum Carrafa: visique (quod raro Neapoli spectaculum) quatuor Cardinales amplissimi sub Umbella textili ex auro assidentes, Parthenium dicentem pronis auribus accipere, & plausum dare. Hoc Authore, ad Neapolitanam Historiam latinè scribendam, sæpè compulsus, animum denique appulit, quàm plurium annorum labore molitus, sub extremum vitæ tempus ad unguem perfectam,

Typis

Typis mandavit, & Carolo Carafæ, Matalunensium Duci, Mæcenati sanè amplissimo dicavit. Tandem, acerbo sanè funere Cantelmo è vivis erepto, cum ipse sex, ac viginti solidos annos Neapoli, In Mathematicis tradendis, suam egregie locasset operam, ac tot in lucem editis sui ingenii monimentis, suum nomen æternitati mandasset, sanctioris otii percupidus, alia cogitare cœpit. Quare Neapolitano Collegio relicto; Patriæque sibi charissimæ vale dicto, in Surrentinum secessit; ubi ita decem ferme annos vixit, ut non immerito loci illius Apostolus dici possit: quamquam enim ætate gravis, & viribus non sanè multum validis utebatur, ea tamen, vix apud Posteros fidem invenient, quæ ipse unus die, noctuque domi, forisque peragebat: vix ulla ipsi à laboribus quies, præter eam, quàm laborum mutatione unice experiri solemus: labori enim uni vix absoluto, alius, nullo temporis intervallo, succedebat. Festis diebus, totum ferè ante prandium tempus in accipiendis confessionibus insumere consueverat; qui sane labor sextam semper horam, non raro septimam attingebat. Meridie vero Sacram Scripturam pleno Auditorum consessui explicare solitus, non sine magno omnium plausu; eo tamen, qui non ex vana eloquentia, sed ex sacro sermocinandi genere exoriri solet. Cavebat enim sibi religiosissimus homo quammaxime ab eo plausu, quem, ut sibi captent non pauci, Auditoribus suis vel magno detrimento esse non dubitant, vel nulli certe adiumento. Quippe eam maxime ob causam vitam tot Laboribus exercitam eo in loco transigere instituerat, ut suam scilicet non suæ, sed aliorum utilitati, operam navaret. Hac etiam de causa, ut locum Auditoribus suis, qui supra modum augebantur quotidie, præberet ampliorem, Ecclesiam à fundamentis ad culmen erexit, quæ suis laboribus, etsi non satis aptum, at certè commodius Theatrum esset futurum, cujus idem ipse Author fuit, & Architectus, ut brevi significatum Epigraphe voluit pro Templi fronte inscripta, quæ sic habet:

Partheniæ Matri Vates Parthenius.

Neque ea in re impensis vel magnis pepercit; sed quidquid suis Libris, qui per omnes fere Europæ plagas vulgati venderentur, collegerat, volens consumpsit, quatuor scilicet nummorum aureorum millia. Verùm qui dies festos tot laboribus transigebat, cæteros quoque dies non minoribus, licet diversis laboribus transigere non renuebat. Sæpe enim diebus hisce ab ijs vocabatur, qui apud eum pluries in hebdomada peccata sua deponere assolebant: tum deinde

deinde tribus continenter horis quotidie Surrentini Seminarii Alumnos Theologiam, Philosophiam, atque Rethoricam docebat, ut jure merito non unum virum, sed plures in uno dixeris, usque adeo ea unus omnia probè exercebat, quæ vel multorum viribus imparia viderentur. Porrò neque his Parthenius laboribus contentus erat, & qui mentem tot studiis assiduè agitabat, corpus quoque multiplici exercitationum genere defatigare solitus erat: ut cum plurima vel ingenii, vel eloquentiæ argumenta tradidisset, virtutis etiam maximæ non vulgaria documenta præberet: suis enim ipse manibus Templi pavimentum verrere, coquinariam rem expedire, nec raró farinæ massam subigere consuevit. Quibus laboribus, non tàm suæ, quàm Sociorum suorum necessitati demississimus Pater consulebat. Ipse enim adeo cibi abstinens erat, ut vix octonas alimenti uncias singulis diebus absumeret: Cœlesti scilicet Sacræ contemplationis cibo affatim satur, quem in Templo, ante Aram Maximam, qua manè, qua vesperi, longum in tempus, producebat, adeo ut Illustrissimus Philippus Anastasius, Archiepiscopus Surrentinus à claritate doctrinæ morumque probitate spectatissimus, qui sæpè numero eum invisebat, non sine admiratione, testatus sit, à se nunquam alibi Parthenium inventum, nisi vel in Gymnasio docentem, vel in Templo precantem. Nec silentio prætermittendum, adeo religiosæ Paupertatis amantem fuisse, ut vestibus nunquam passus fuerit indui novis, sed iis amiciri quempiam alium antè, ac tum obsoletas ipse, detritasque sumebat. Interea loci, sibi, & Deo, nec non Animarum saluti suo in Surrentino procul a turba, vacanti Parthenio, novus, insignis accessit Mæcenas. Antonius Rambaldus is fuit, Collalti Comes Vir, qua generis amplitudine (e regali siquidem Longobardorum Regum sanguine prognatus fertur) qua morum probitate, qua doctrinæ, amæniorum præsertim literarum laude, spectatissimus in paucis. Venerant in hujus manus Parthenii Opera, tantaque in iis perlegendis (ut erat limati ingenii Vir) voluptate perfusus, ut affirmàre non dubitaverit, sua in iis Tempe, suum Helicona, suas se delicias invenire. Hinc crebras ad Parthenium ex ultima Germania literas, amoris significationibus, atque humanitatis sale aspersas dedit: apud eumque institit, ut suo ære Opera omnia in unum collecta, iterum Typis commendarentur: quòd, ipso adhuc superstite Parthenio, executionem mandari cæptum. Nec humanissimo Mæcenati defuit Parthenius, ut aliquam amoris rependeret vicem, Naumachica properato stylo (tres enim ferè menses impendit) quæ Bellicis,
antè

antè editis ; deerant ; composuit ; eidemque amantissimo Principi consecravit. Eidem Puteolanas Hyemes, quæ unæ desiderabantur, ut annum totum eruditum absolveret, dicare parabat; sed fato præreptus, opus reliquit minutis in schedis, quas aliorum curà, & industria digeri necesse fuit, ut Pars extrema non absimilis prodiret. Mortuus est Massæ ad Delubrum, quæ proinde Lubrensis cognominatur. Illuc, officii causa, se contulerat, ubi, dum inde reditum maturat, ex nec opinato apoplexia correptus, aliò, in Cœlum nempe abitum maturare coactus est: ibi enim duos ferme dies cum morte luctatus: Ecclesiæ Sacramentis, quibus potuit, ritè munitus, tandem Anno, reparatæ salutis 1715. die decima Septembris, sub horam vigesimam primam, ad Superos evolavit. Hoc ipsum improvisum illi non fuit; cum enim aliquot ante mensibus plurimum e naribus sanguinis emisisset, adeo sensim viribus destitui cœpit, ut mortem quodammodo imminentem quotidiè expectaret. Nec sine Numinis consilio factum, ut Massæ potissimum supremum obiret diem, ibique tumularetur, cujus collegio vivus decem nummùm aureorum millia ex paternis bonis splendidè donaverat: Quamvis hoc idem dolendum maxime fuit Surrentinis, qui plurimi ad ferale nuncium Massam illico properarunt, ut communis Parentis funus communibus lachrymis prosequerentur, quod Parthenii corpus procul ab eo solo, quod ipse decennio, tot sudoribus excoluerat; procul ab eo Sepulcro erat tumulandum, quod ille sibi in Ecclesià, jampridem à se erectà, constituerat, cui Epitaphium illud ex lib, 4. Naumachiæ inscribendum mandarat.

Propter Olympiacæ quæ Templum Virginis orta
Hic Surrentina magnæ Genitricis in Æde,
Quam rea construxit Voti, Matrique sacravit
Parthenii argutum cecinit Sacra Musa, silet nunc.

Demum, quodnam fuerit de Parthenio, tota Europà, judicium illustrium Virorum ex his paucis testimoniis collige.

EX GALLIA
RENATVS RAPINVS

Atque ut dicam de elegantissimo carmine, quod sentio, mihi visus recognoscere spiritus, & admirabile ingenium, quod spirat vester ille Sannazarius, priscæ ætatis Vatibus eximiis styli sui candore, et ingenuitate merito comparandus. Certè non ita nunc sentio, quàm cum Italiam peragrarem, quæ jam abundè laudis habet vel in uno Parthenio, in cujus Opere singularis est nitor carminis cum Ex Epistola Renati Rapini.

Maroniana majeſtate conjunctus.

HONORATVS FABER.

Ex Epiſtola ad Jac. Calvæum.

Librum de re Nautica totum avidè luſtràvi ſummà cum animi voluptate: in eo quippe plures gemmas nactus ſum, quam quiſpiam in Erithræo, vel in ora Piſcariæ, ut vocant, inveniat! Dictio culta, latina, nec ſine delectu: metrum nitidum, locutio probè tornata, & ornata: deſcriptiones amœnæ, ſingularis litorum, portuum, ſinuum, fretorum, imò, & Syrtium, nec non & Acus Magneticæ peritia: omnia demum ex largà, & docta vena ubertim profluentia ſummoperè placuerunt. Noſter verò Rapinus, quàm lætis oculis, & quantà voluptate animi librum hunc exceperit, legerit, & relegerit, ac centies oſculatus ſit, haud dubiè ſignificat; nihilque tale à Ciſalpinis, hoc currente, & proxime lapſo ſæculo, in publicam lucem editum eſſe, jure cenſet, & opinioni meæ, quam ad eum rotundè ſcripſeram, omninò ſuffragatur. Vale,

LEONARDVS FRIZON.

Epiſt. ad Parthenium,

Tandem aliquando liber tuus advenit expectatiſſimus; & omnem vicit expectationem. Nihil me jamdiu ſic affecerat, quàm Piſcatoriorum, ac Nauticorum tuorum lectio. Equidem vix opus ullum à Georgicis in ſimili genere comparandum prodiit in lucem. Veterem Italiæ laudem revocaſti ab Actio; ne ultra progrediar, illo tuo, quem cæteris ego Italis carminum elegantia antepono. Gratulor itaque tibi èx animo, mi Parthenie: & miror tàm præclarum opus, tàm varium, tàm eruditum, tàm excultum, ſemeſtri te ſtudio, confectum. Amant Poetæ noſtri, quibus hunc librum oſtendi, expetuntque ſuaviſſimorum lectionem poematum: atque ex his unus, maximè ad poeſim natus, facile mecum ſenſit, pluris eſſe Neapolitanum hunc Vatem, quam Gallum illum, quem tu plurimi facis, ...

Rapinum intelligit, quem, ut cultiſſimum Poetam non ſemel laudat Parthenius,

Te vero mi Parthenie, tam ſplendidi, feliciſque Parnaſſi locus, & lumen, intueri videor, ex quo Piſcatoria, & Nautica tua accepi. Facultatem iſtam eleganter, expediteque ſcribendi, ex animo tibi gratulor, et vires tibi quotidie precor ad opus eximium abſolvendum, Halieutica nimirum, quæ quidem meliori, quàm Oppianus fortunà perficies, novamque præconii materiam præbebis. Vale.

Ejuſdem ad Eundem.

Nunc ut de Halieuticis tuis dicam, gratulor tibi, mi Parthenie, carmina auro, quod Oppiano ſuit pro ſuis quondam Halieuticis annumeratum, pretioſiora. Enim vero theſaurum eruditionis profudiſti, effeciſtique, ut deinceps Halieutica non deſiderentur Ovidiana.

cui

(æmulus ille)
......cui credere posset
Carmina cæruleos composuisse Deos.

Quæ quidem tanto hìc plausu accepta sunt, quanto olim Piscatoria, & Nautica, ut jam in ore omnium, animoque verseris. Vale. *IDEM.*

Quoad Præceptoris tui Parthenii, quo tantum merito gloriaris, opera attinet, jam illi significaveram. Nauticorum opus post Georgica collocandum duxi, quibus Halieutica conjungenda, in quibus mira eruditio, & carminis elegantia. Analecta Collegii Neapolitani ab ipso Parthenio huc missa legi. Verum hujus Piscatoria, Nautica, & Halieutica adamo, auream in Italiam Poeseos ætatem revocantia. Vale. Ex Epistola ad Iac. Calu Burdigalà Pictavium data.

EX ERUDITORUM ACTIS
Parisiis Gallicè editis 1686.

Villebrordus, Snellius, Crescentius, Morisorus, Dudlæus, Ricciolus, & Fournerius abundè de navigatione scripserunt: nullus tamen hucusque hanc artem nobis carmine tradidit. Ipsa fortassè rei difficultas cæteros hactenus ab opere destinuit. Hæc vero apud Parthenium novæ rei tractandæ rationi cessit, qui opus isthuc arbitratus est (ait ipse) si minus elegantia carminis, novitate tamen gratum eruditis futurum. Interim affirmare licebit, absque eo, quod viri modestiam lædamus, hujusmodi versus mirifice illius ingenium commendare: quippe qui puri, naturales, facilesque sint: & eo magis probandi, quo difficiles sanè res quam felicissimè explicent; quas quidem, non sine magno labore, vulgari, quis, patrioque sermone exponeret, Hujusmodi sunt delectus, cæsioque arborum pro navium structura; quicquid ad ventos pertinet; methodus itineris exactè metiendi; ratio longitudinis, ac latitudinis investigandæ; nec non & vertiginis Magneticæ Acus; sexcentæque aliæ descriptiones necessariæ. Quapropter apud nos tantà voluptate legitur, quantà & Eclogæ, quas varii argumenti, ad hujus operis exordium apposuit.

MICHAL LE TELLIER.

Excultæ Nationis agmen claudat Pater Michael le Tellier, quem honoris gratia nomino. Is in Genaralibus Comitiis, Romæ habitis anno 1706. interrogatus, quid ipse ingenuè de Parthenio nostro sentiret? Paucissimis verbis plurimum sententiæ complexus fuit: Vir, reponens, cui nihil deest, nisi antiquitas.

E X B E L G I O.

Missis aliis, instar omnium sit Jacobus Sebellebroot; qui epistola ad Josephum de Palma Gandavo Neapolim data,

hæc ſcribit. Cum primùm Nicolaum Parthenium Giannettaſium conveneris, hæc illi, meo nomine renuncies: me ſcilicet opera ſua Poëtica (quæ jamdiù in meas manus pervenere, quànto gaudio haud facile eſt judicare) ſumma voluptate legiſſe, & identidem lectitare, legique hic paſſim, atque inter eruditos humaniorum literarum, quorum hic (abſit verbo invidia) plurimi ſunt, aſſidue verſari, ac ſummis laudibus commendari, interque antiquos aureæ ætatis vates meritò accenſeri. Sanè plus ille præſtitit hac ætate, quàm totum Belgium noſtrum. Magni ſemper duxi, nunc maximi duco, me per menſem integrum Neapoli verſatum, & Virgilii Sepulcrum ad Cryptam Puteolanam, & Sannazarii ad Mergellinam non ſemel vidiſſe. Ex his magnorum Poetarum cineribus eximios illos ſpiritus hauſit Parthenius, per quos parem illis olim gloriam jurè, meritoque ſortiretur. Vale.

EX GERMANIA.

Ex Epiſt. Vienna ad P. Sigiſmundū Koſklam Neapolim datal

Egidius Domig, inter literatos vel in paucis rarus; poſt effuſas de Parthenio laudes, epiſtolam ſanè auream, hac tandem gemmà conſignat: Vir, quem Ævo noſtro præcipuum rei literariæ Decus, ac lumen eſſe voluerunt benigni ſuperi, ſapientiſſimis viris dicendus videretur.

EX ACTIS LIPSIÆ

Editis anno 1688.

Si judicii quid ferre de Poeta hoc licet, ſanè is; uti ejuſdem cum Marone eſt nominis (nam & Maro ob caſtimoniam dictionis, Parthenius fuit appellatus) & ejuſdem cum Sannazario patriæ, ità utrumque ſi non exæquat ex aſſe, certè quàm feliciſſimè imitatur. Omnia enim terſa, & amæna hujus ſunt Piſcatoriis, æquè ac in illorum Eclogis, Sed de Nauticis ejuſdem Parthenii quid dicemus? ſunt in illis quoque omnia eximia, vel Marone, ac Sannazario non indigna,

EX ITALIA

Thomæ Ceva ex Epiſtola Riccardi Noris, Angli Mediolano Neapolim data.

Apponam hic judicium Thomæ Ceva, quod quidem magnifacies, cum vir ſit candidi ſincerique animi, acris ingenii, & inter poetas vel in paucis rarus. Hic Piſcatoria, & Nautica avidiſſimè legit, atque opus rari ingenii, excultique eſſe pronunciavit: neque hoc ſæculo ſimile quid iis in lucem editum, quibus nihil eorum deſit, quæ abſolutiſſimi, excultiſſimique poetæ ſint. Atque ob id ſe ſuperis gratias agere, quod tantum Italiæ detulerint, ut jam Itali Gallos vel humanioribus literis ſuperent. Vale.

MEL-

MELCHIOR ABRIGA:
A Poësis laude spectatissimus.

Habet, inquit, nostra ætas in Parthenio, quod ei futuræ invideant, Quod si in Sarbievio Horatium, in Hoschio Ovidium, in Pontano Statium superiores ætates sunt admiratæ: nostra in Parthenio Virgilium è Pastore in Piscatorem, ex Agricola in Nautam nobili quadam metamorphosi, vel potius metempsycosi conversum venerabitur.

SCIPIO MAPHÆVS
Veronensis.

Is, qua literis, qua nobilitate insignis, insignem amoris notis Epistolam Parthenio scripsit: in ea, post multa, quæ ad tanti viri laudem cumulatissimè faciunt, is, inquit, maximè hujus Epistolæ finis est, ut probe scias, nullum ubique terrarum hominem inveniri magis tibi deditum, & quem summa admiratio tui magis unquam incesserit. Ut vero in posterum beneficio etiam tuo tenear, atque devinciar, rogo te atque etiam rogo. Librorum omnium, cùm quos in publicam lucem protulisti, tum quos fortasse adhuc apud te servas, atque occulis, notitiam quandam, atque catalogum cupio quam maximè, ne mihi in posterum aliquis desit; vel imprimendorum cognitio me fugiat. Indicabo autem, quos penes me, magni thesauri loco jam habeam. Piscatoria nimirum, & Nautica, edita anno 1686. Halieutica 1689. & Ver Herculanum 1704. Bellicam editam credo, sed videre non dum licuit: de altero Libello, soluta oratione compacto, rumor percrebuit, sed Titulum nemo indicare potuit. Te igitur, Italiæ nostræ decus, atque ornamentum enixè precor, ut desiderium istud obsequii mei apud te argumento sit, utque istorum, & si qui alii sunt: ut suspicor, titulum integrum, & annum, locumque editionis describere ne pigeat: incredibili enim voluptate, quæ huc pervenere lego, ac perlego, quibus novem Musas mella poëtica crediderim instillasse. Illis profecto precinunt, Virg. Eclog. 8.

.... Quorum stupefactæ carmine lynces.
Et mutata suos requierunt flumina cursus.

Reliquum est, ut valere te in longum Ævum, votis omnibus adprecer. Latinas enim Musas Italo Cœlo afferere, & fugientes sistere, Tu solus potes.

THOMAS RAVASINVS.

Ravasinus, nostri temporis insignis Poëta, qui Parte tertia Operum poëticarum lib. 4. de miraculis aquarum, hoc de Parthenio testimonium elegantissime profert.

Quæ quoniam hæroo descripsit singula Vates
Carmine, Parthenius Vates, quo splendida gaudet

Par-

Parthenope, doctæque audet concurrere Manto;
Sepoſui curam hanc ultro, Cantuque peperci,
Scilicet evectius Genii Cœleſtibus auris
Perſidis ille oras adiit, lituſque repoſtum
Siccorum Garamantum, Atlanteoſq; receſsus;
Unde modis retulit miris ignota Natantum
Ingenia, inſolitos mores, variaſq; figuras.
Quoſq; dolos vaſer, & ſolertes repperit artes
Piſcator. Stupuit formoſus ab amne canentem
Sebethus, ſtupuere ſuis Sirenes in undis.
Et miſeris Stellas nautis monſtravit amicas
Securaſque vias; necnon Zephyro obvia tendens
Carbaſa per Syrtes, perq; Acroceraunia tutum
Stravit iter. Poſt, belli acres tolerare labores
Auſoniam docuit Pubem, & ſpe laudis honeſtæ
Dura pati, patriiſque repellere finibus hoſtes.
Nunc parta inſigni fama, & ſuper æthera notus
Facta atavûm, longa annorum caligine merſa
Æternum dat habere diem, laudeſque potentis
Parthenopes, veterumque Patrum manumenta recenſet.
Fortunas pariter Regum bellique, domique
Eventus Sæclis properat mandare futuris.
Salve Romuleæ lux o clariſſima linguæ
Carminis Eloquiique potens: Tu ſæcula primus
Inſtauras noſtris in finibus aurea, docta
Te ſtudia Altorem, ſervatoremque ſalutant;
Et tibi diverſis applaudit partibus Orbis.
Interea dum Tu ſolida virtute paratum
Curris iter, pictoque præit te gloria Curru
Sat mihi ſit, te ſumma Poli convexa petentem
Aſpicere, attonitoque ſequi trans nubila viſu.

NICOLAUS DE ANGELIS SOC. JESU

Tantis Viris liceat poſtremo hoc loco præclaræ indolis Iuvenem inſerere, qui cum de ſe maximam expectationem concitaſſet, immatura morte præreptus ſui deſiderium nobis acerbiſſimum reliquit. Pauculos hos verſus ad noſtrum Parthenium, ut ſuam ei obſervantiam teſtificaretur, miſit; ex eis, quos hic ſubnectam veluti è floribus; quanta Poeſim meſſis fefellerit, facilè deprehendet candidus Lector.

MUSA-

MUSARUM
De Parthenii Bellicis ſuaviludia
CALLIOPE EPIGR. I.

QUæ nova Pierii reboant de gurgite Fontis
Claſtica? Bellonæ regna inter inhoſpita Vates
Dulcè canens palmas jam non ſua munera carpit.
Res miranda: ſuis ni jam miracula rebus
Demeret aſſuetus vatis labor, ille repoſtas
Naturæ perviſit opes, ille æthera menti
Suppoſuit: tantis unus ſat clarior auſis.
Quod ſi Pierii luce hac umbrantur alumni;
Ne mirere: ſuo conduntur ſydera Phœbo.

CLIO II.

Erudit ad ſævas vel carmen amabile pugnas;
Fataque Campanus non ſua cantat olor.
Quid non Parthenio voluit tua muſa licere?
Mars Phœbi, Phœbus Martis honeſtat opes:
Scilicet ingenio qui non extollitur uno
Jactitat obſequiis numina bina ſuis.
Quique omnem meritis famam devicerat orbis
Par erat ut victo vinceret orbe duces.
Jam non humanæ quærat faſtigia laudis:
Numina quem flexo poplite magna tremunt.

ERATO III.

Hoc pretium muſæ eſt, hoc dicere bella diſertè:
Verſibus invidiam promeruiſſe ſuis.
Promereas & bella: tuæ chelys æmula vatum
Obſtrepat, o quanti muneris inſtar erit.

THALIA IV.

Vatum gloria, Partheni priorum
Facundiſſime cygne Gratiarum,
Quid me belligero fugas tumultu?
Cantus quid prohibes amæniores?
Et nunc triſtibus hinc & inde pugnis
Cogis ſuavè canens rudem juventam,
Et nomen meruiſſe, gloriamque.
Sed nec belligero fugas tumultu,
Cantus nec prohibes amæniores.
Tam Martis benè temperas jocoſo
Cantu murmura; tam decenter ardes.
Viciſti, fateor, levem Thaliam,
Nec victam puto me: ſacrum Poetam
Pulchrum eſt vincere. pulchriuſque vinci.

TERPSYCORE V.

Invida Parthenius docuit dum bella, remotus
Caſtaliis Hæmus viſus adeſſe jugis.

Extimuere Deæ, cupit hic, dixere vicissim,
Propugnare sacros, an populare specus?
Fallimur: aut nisu, dixi, petit astra gygantum;
Aut raptura suum sæcula terret opus.

MELPOMENE VI.

Immane quantum videt! & vano tumens
Bellona fastu suscitat graves dolos,
Gravesque flammas; mente non sanà ferox
Se tentat, & se vincit, hortantur sua
Illam facinora, totus in fronte est furor
Cæloque summa jactat, ac terris mala
Io fremens triumphe! Parthenius viam
Sternit, vel hostis ipsa me virtus juvat;
Immane quantum fallitur! bello necem
Bellum hoc minatur, surget hoc bello quies:

EUTERPE VII.

O' quem te referam phœbæi prima senatus
Gloria. vox nomen non capit ulla tuum:
Te ne ego Mantoum? canit hic tantùm arma, docendo
Tu canis, hoc major: cuncta Maronis habes.
Orphea? at hic molli traxit juga carmine, cantu
Tu vel belligero saxea corda trahis.
Quid superest? tua te dicant bella horrida Martem
Te tua ni Pallas dixerit esse Jovem.

POLYHYMNIA VIII.

Ille, quis hoc credat? nuper qui retibus orbem
Ceperat, en ferro vincere rursus amat.
Quam bene! vincturus meliori pectora nexu,
Providus hoc ferro vincla priora secat.

URANIE IX.

Quis hic sonus? quæ jussa? quod Divum melos,
Pimplæque cantus? totus an Phœbo calet
Pacatus orbis? fallor: invisæ fremunt
Mavortis artes, ipsa nunc ferri jocos
Invita quamvis laudo, nunc bellum placet;
Placent tumultus, displicet tantum mihi
Non posse verbis vincere altisonis opus.
Huc plectra Phœbe: Phœbe dic laudes vivo
Sed te decentes; stulta quid Phœbum moror?
Jam vatis horrens arma non ullis datam
Tentare Phœbo regiam liquit novo
Gratare virtus: invia cares via.

SCRIPTOR.

Hactenus Aonides: sileant sua vota volentes
Ore sequi: plectrum par tibi fama tuum est:



NAUMACHICORUM
LIBER PRIMUS.

DUCERE quæ classes, quæ campis cura marinis
Ad pugnam struere, alatis seu prælia gaulis,
Seu tibi rostratis sint committenda carinis:
Quæque adhibenda inito sit jam solertia Marte:
Quique astus, potiorque auræ spirabilis usus,
Sive premas hostem, seu te subducere in altum
Ntiaris, longove acies invertere gyro;
Hinc canere incipiam; terrestri ut fulgida lauro
Tempora, navali valeam quoque cingere serto.
Tu verò tantorum operum, Dux inclyte, Vati
Adsis, ò COLLALTIADE, & felicibus auris
In velum descende, novas & suffice vires:
Si tua jussa sequens ævi sub Vespere plectrum
Ex alta assumit pinu, desuetaque fila
Ad numeros revocat, digitisque trementibus aptat:
Tu potis affectæ vitium reparare senectæ,
Florentesque iterum per membra infundere vires.
Namque tibi Ausonidum fœcundo à stipite Regum
Dena per annorum deductus sæcula sanguis,
Æternumque tua victurus prole, decora
Cujus jam gemino partu dedit esse Parentem
Starembergiadum claro de nomine conjux.
Regum, inquam, Ausonidum, quorum navalia bella,
Terrestres pugnæ, ductique ex hoste triumphi,
Implevere dies anni: queis additus ullus
Haud unquam, lauro qui non splendente nitescat
Clarior, insigni quàm si fulgesceret auro,
Sapphyrove foret, nitidove adamante notatus.

Ergo age, navalis quando tibi debita laurus,
Nec tibi tot claris animus Majoribus impar,
Accipe difficiles artes, quibus æquore in alto
Et classem instruere, & duram committere pugnam;
Atque antiqua novis valeas cumulare trophæa.
At tu, qui Regnum Ausoniæ, nomenque Latinum
Instaurare Deûm concordi numine Cæsar
Sanguine Romano venies, navalia bella,
Queis Romæ Tethys, queis vastis serviet undis
Oceanus, Rubrique sinus & Caspia Doris,
Versibus his renuas ne discere: nam Deus isthæc
Inspirat Vati, atque in talem destinat usum.
Principio validas tibi classes cura parare
Plurima sit, pube insigni, nautisque peritis,
Atque omni instructas belli, victusque paratu;
Nam velut instrato sociantur flumina ponte,
Quò liber valeas utramque excurrere ripam,
Atque hæc rura modò, modò visere & illa: Latini
Sic magna Imperii moles, tot regna, tot oræ
Terrarum, sparsæ mediis tot & insulæ in undis,
Classibus immissis, strato ceu gurgite ponte,
Adnectuntur; adire quibus concessa potestas
Sit, quæcumque tibi magni lustrare necesse
Imperii loca, sepostosque invisere fines:
Hostibus extemplo, si res occurrere, & oras
Tutari, & subitos populorum extinguere motus;
Quin etiam externis poteris commercia terris
Jungere, & immenso rerum ditescere censu:
Vespere seu merces, seu deportentur Eoo.
At si classe vacas, pelago disclusus ab omni,
Illa tibi pariter certissima commoda deerunt.
Ac vasta ceu mole gigas prostratus arena,
Vivida cui desit virtus, animique tepescat
Innatus vigor, evaleat quò sponte sua se
Tollere humo, magnumque caput jactare sub auras;
Non aliud porrò, ni futile corpus, onusque est.
Sic etiam Imperii moles, vastissima quamvis,
Torpescet dejecta, suo privata vigore,
Si classes desint, nimirum spiritus; illo
Ut sibi concessum per se quàcumque moveri.
Aspice Pœnorum vires, sparsosque per omnes
Europæ fines, Libyæquæ, Asiæque colonos;
Aspice tot domitas tantis cum gentibus urbes,
Congestas & opes una Carthagine: classes
Instructæ, totoque immissa potentia ponto,

Classes parandæ, quibus, ceu ponte, disjunctæ maribus terræ conjunguntur.

Utilitas, & incommoda si desint.

Confirmatur similitudine.

Item exemplo ex Carthaginiensibus.

Imperium potuit tantum, tantasque parare
Divitias, quibus adscitum victricibus armis;
Augetur facile imperium, longumque per ævum
Durat ab externis tutum, floretque, vigetque.
Tempore non alio crevit Res Romula, quàm cum
Magnum turritis calcavit curribus Æquor.
Tum longè in fines venit Romanus Iberi,
Illyricosque sinus, atque intima Regna Liburnorum; • Ex Romanis;
Et trans Jonium penetravit victor in ortum;
Ac tandem, Pœnis non una clade subactis,
Oram omnem Lybiæ lustravit ad usque columnas:
Hinc, & in Oceanum velis majoribus audax
Intentavit iter, gelidasque cucurrit ad Arctos:
Parte alia Rubrum proscindens abiete pontum
Arabiam domuit felicem thure Sabæo:
Et cum gemmifera commercia Perside junxit,
Victor & extremum, ditemque invectus ad Indum est.
At, si exempla juvat memorare, & facta minorum, Ex Venetis. Urbs describitur, & illius laudes strictim perstringuntur.
Aspice in Adriacæ secessu Doridos Urbem,
Quam Veneti Heroum soboles clarissima bello,
In mediis posuere vadis; stabilemque sub ipso
Instabili fecere mari: secura vadosi
Mœnia cui fluctus, & non superabile vallum;
Rarum opus in terris, quo non quid pulchrius unquam
Hesperia in magna sol vidit, & æquius ullam
Juppiter omnipotens urbem prospexit ab alto,
Postquam Tarpejas superis evertere turres
Visum est, & Dominæ ruit alta potentia Romæ;
Classibus hæc validis, armisque instructa marinis,
Quot victrix maria excurrit? quot litora, & oras
Subdidit Imperio? quot gentes illa subegit?
Quot regna? & quantos egit post bella triumphos?
Indomitum quondam non una clade tyrannum
Auroræ fregit; classesque est ausa fugaces
Inter Abydenas arces absumere flammis,
Ipsius ante oculos spectantis ab arce tyranni;
Atque suas ignominias, sua funera flentis.
Quin etiam totum dimissis navibus Orbem
Per dites latè populos commercia junxit,
Vim quibus argenti magnam congessit, & auri,
Quod validum est belli robur, spes certa triumphi:
Crescite felices populi, rebusque secundis
Consilio durate, suis dum vellera fusis
Explent concordi fatorum numine Parcæ:
Cæsare venturo cùm rursus Romula surget

Majestas, Venetos cui tum submittere fasces
Non ipsi renuent vestra de stirpe nepotes:
Omnis adorabit quando gens Itala Romam,
Et gentes omnes, & totus serviet Orbis.
Et nunc qui regno indocilis requiescere in uno
Omnem unus bello, terra pelagoque fatigat
Europam, miscens clades, & funera passim.
Illius imperium nimirum affectat, inani
Sed nisu: quando summorum numine Divûm
Non nisi Romano dabitur, cui debita mundi
Arbitria, & justis moderari legibus Orbem.
Sed jam, quæ propriæ ductandis classibus artes,
Navalia primum, & qua industria ædificanda.
Dicamus. Primùm tibi sit Navalia tuto
Cura loco posuisse, leves ubi pangere currus,
Compactosque queas medias deducere in undas.
At loca ponendis quæ sint Navalibus apta,
Nostra docere valent te carmina, quæ super alto
Oceano, & varia ventorum scripsimus arte;
Nauticis in rebus versatus sit Prætor oportet: idcirco Authoris Nautica creber evolvat.
Non opus ingratum Nautis, Classisque Magistris.
Nam quicumque maris spumosa per æquora puppes
Prætor agit, cursuque hostem insectatur, ut illum
Ad pugnam eliciat, referatque ferocibus armis
Palmam exoptatam; vel, si fortuna reposcat,
Securos velis conatur adire recessus.
Ventorum hic teneat naturam plurimus, æstum
Et pelagi alternis variantem, & pyxidis usum,
Ac benè depictos tabula percalleat Orbes;
Ut brevia, & scopulos possit vitare, reductos
Utque sinus, tutoque petat curvamine portus,
Dirigat & certos per tot maria invia cursus.
Nec sibi commissæ gentis, nec classis in uno
Spem, curamque omnem Palinuro ponat: at ipse
Per magnum Oceanum, quà jussus tendere, cursum,
Instituat, clavumque vigil moderetur: & ipse
Quæ cœli facies, quæ ponto sidera surgant,
Quæque ostenta nigra transcurrant nocte per auras
Sedulus observet, quibus omnes noscere ventos,
Et tempestates, imbresque & læta serena
Evaleat: simul ipse vagos in (1) pyxide (2) Rhombos,
Quà via per pelagi campos carpenda patentes,
Investiget, Acus variantis & execet omnem

Er-

(1) *La Bussola* Itali dicunt. (2) Mundi plagas, ex quibus venti spirant, pyxidis angulis indicatus.

Errorem; pictos & per se consulat orbes:
Idcirco, ut tutis infidas classibus undas
Naviget, eventuque gerantur bella secundo;
Nautica, Partheniæ quæ descripsere Camœnæ,
Plurimus evolvat; non quippe est futile carmen.
Perge, locus fuerit, postquam Navalibus aptus
Designatus, erit confestim turribus altis, Navalia turribus, firmanda,& armis.
Instructuque omni armorum, fortique juventa
Firmandus, validum ut Navalibus arceat hostem.
Quæ postquam confecta, marinas præcipe turres
Abjetibus tolli sectis, & cuncta parari
Armamenta, mari quorum certantibus usus:
Assiduamque operi fabros impendere curam.
At quoniam puppes, queis æquore bella ciemus,
Sunt genere in duplici: hæ rostris armantur acutis
Perque fretum remis fugiunt, velisque, Triremes,
Hac ætate vocant Italorum turba minorum, Tum rostratæ,seu longæ naves, tum Gauli assidua fabrorum cura, compingendi.
Penteres Graii quondam dixere vocantes.
Ast illas, magno quæ surgunt corpore, Naves
Atque etiam Gaulos appellavere, Notisque
Impulsæ, aut Zephyris spumantia marmora sulcant:
His vecti Oceanum, quà sol utrumque recurrens
Cardine diverso terrarum respicit Indum,
Currimus, inclusas & circumfundimur undas.
Conclusam tantum rostratæ Dorida pinus
Remigio juvenum valido, velisque flagellant.
Idcircò geminæ classes ad bella parandæ
Altera turritis è navibus, altera rostris
Præmunita suis, atque acribus utraque nautis
Utraque bellaci, veterique est pube replenda:
Utraque & in propriis præfulgeat armamentis.
His semper maris arbitrium, Romane, tenebis,
Cæsar, & immensas regni tutaberis oras.
At quoniam possunt Mars, & Neptunus obesse
Classibus interdum, pugna non ille secunda, Ex utroque genere gemina classis sit semper in promptu ad omnem casum sufficienda.
Fluctibus hic tumidis, & tempestatibus atris;
Idcirco semper Navalibus altera classis
Structa sit, extemplo quæ mitti in cœrula possit,
Casus ubi, sortisque vices variabilis urgent.
Ergo novas secto puppes compingere trunco,
Et veteres studeant habiles sarcire ministri.
Sic quicumque fero descendat turbine casus,
Haud classes reparare labor, pelagique tueri
Antiquum arbitrium, & sorti superesse malignæ.
Quin ea præterea sit cura impensior, arce

In-

Instructa portus defendere, & ora dolosis
Hostibus, utrimque extenta prohibere catena,
Et, quos assiduè cumulos humentis arenæ
Vi multa intrudunt venti, fluctusque vadosi
Egerere, obductosque sinus aperire carinis.
Sic, vel raucisonis incumbens atra procellis
Tempestas fremat, aut Mavors non æquus, habebit
Perfugium, quò se classis secura reducat:
Et, quæ damna ferox Mars intulit, aut Notus atrox
Sarciat: instaurata novis & navibus ire
Rursus in adversos hostes, & prælia possit,
Spe certa palmæ committere, si Deus adsit.

Portus muniendi, & purgandi, futuri classibus perfugium.

His animadversis, portu deducere classes,
Tempus, & Oceanum plenis decurrere velis.
Sed pubi primùm quæ disciplina marinæ,
Quæ dandæ leges, te, Dux Romane, docebo;
Naviget ut tutò classis, bellumque secundis
Auspiciis tractetur, erit lex prima jubenda,
Ne quis succensum de nocte in navibus ignem,
Ni cornu inclusum, circumferat. Igne cavendum
Semper, ubi præbent sese tot pabula flammis.
Subdolus annonam si quis furetur, acerba
Plecte illum pœna: verùm si copia parva
Subducta, est virgis cædendus more vetusto.
E putri quoniam sentina, & fæcibus atris
Assiduè vapor exspirat malesanus; & illo
Immundæ scabies generantur, & aspera tabes;
Idcirco quisquis sordes demittat in æquor;
Sæpius & naves purgentur, & Anthlia crassam
Hauriat è fundo sentinam, & fluctibus addat.
Siqua ratis Marte adverso, nimbove laboret,
Præcipuè obscura cœli sub nocte, remota
Sitque procul reliqua sociorum è classe, nitentes
Attollat summo puppis de vertice flammas;
Ut propior quæcumque fuet ratis, ilicet ipsa
Auxilium puppi festinet ferre labanti.
Dum Sol perfundit radiis ardentibus Orbem
E specula navim si quis conspexerit, omni
Det classi signum, demittens vela suprema
Ter de more: ratem quæ cura impensior ipsam,
Totoque in cursu pariter premat explorantem.
Quin etiam conclusa tenent cum cœrula classes,
Inque sinu tuto religantur, inertia siquem
Corripiat vigilum, confestim plecte severa,
Dux, pœna; Tutela ratum tibi semper habenda est.

Quæ maritimæ pubi disciplina tradenda sit, quæ leges.

Nec

Nec nobis damnosa magis socordia, quàm cum
Accrescit secura loco. De navibus ausit
Non miles, non nauta aliquis descendere, voto
Ni prius annuerit poscentis justa, magister.
Præterea semper, cum jam nox appetit, æstu
Ni spumet pelagus, ni turbine sæviat Eurus,
Conveniant primique Duces, legatus & unà
Consulis ad puppim; patrioque è more salutent;
Atque humiles simul accipiant quæcumque jubebit
Mox accepta rates vulgabunt jussa per omnes.
Si quis Præfectus turritæ puppis, aperto
Sanguineus campo dum Mars committitur, ipse
Cesset iners mortis formidine territus, aut se
Proripiat pugna, merita nece plectitur, ante
Tristem ignominiam perpessus more Latino.
Nimirum si torque suo, & fulgentibus armis
Nudetur coram Prætore, Ducumque corona.
Dignus & ut pœna pariter plectatur eadem,
Qui duros inter conflictus jussa superbus
Contemnit: simulatve sibi non dicta Magistro.
Nam sic sæpe manu victoria parta refugit.
Clavigeri vitio si fors ratis incidit inter
Occultas syrtes, vel saxa patentia, vel si
In latus occurrat sociorum, protinus illum
Pro merito, Prætor, dejectum munere plecte.
Tandem prima ratum, quæ primum aspexerit hostem;
Ære bis exploso sociis det signa carinis.
Insuper his, regno similis quia Martia classis,
Urbes cui multæ, & Provincia plurima subsit,
(Sunt etenim naves mediis in fluctibus urbes,
Quælibet & classis pars est Provincia) regni
Instar erit, sic illa suo Prætore regenda.
Nimirum summis belli de rebus habendum
Concilium cogat, primæ ad subsellia puppis.
Ad quod conveniant tantum legatus, & unâ
Ductores primi, queis classes cura minores
Ducere: quo Prætor cœtu, Consulve Supremus
Præsideat: quæque ipse Duces peragenda rogabit.
Admitti interdum poterunt, qui Nautica docti
Sunt usu longo, & multa virtute decori;
Ut, sua quæ fuerit de re sententia, dicant.
Hoc ubi concilium fuerit jam tempus habendi,
Æra bis explodat valido prætoria pulsu,
Rubraque ab Artemonis malo vexilla nitescant.
Hoc super est alium mos cœtum cogere, summos

In cursu quotidiè Ducum concilium apud Prætorem habendum: quæque decreta per classem vulganda.

Concilium item de rebus agendis habendum est. Et quo signo singuli Duces advocentur.

In

In quem ductores præter, clarosque Magistros,
Acciri jubeas, qui primas ordine naves
Præfecti ducunt, veterano è robore lecti.
Quos omnes super annona, cursuque tenendo
Portibus & super, & ventis, pelagoque rogabis.
Cogendo cui signa dabit Prætoria, bombo
Si ter raucisono reboet, non ampliùs, ictu.
Vertice & ex alto tollat vexilla dolonis.

Legati etiam singularum classium suum concilium, cum res petit, habebunt, quæque constituta, ad Prætorem, cum primum licebit, referant,

Ille etiam, cui certa subest Provincia regni
Cœrulei, poterit super illa accire suorum
Concilium: & quæ illo fuerint consulta, reportet
Mox, ubi permissum, Summi Prætoris ad aures.
Ast illud, cum tempus adest, bombarda tonitru
Coget, & appensum mali de vertice signum.
Tandem quisque sua Præfectus nave Senatum
Cogere primorum poterit, cum jam premit ingens
Casus, nec puppim Prætoris adire potestas.

Quæ cum lacænis Scytalis prævidere quid singulis Ductoribus agendum dubiis in casibus, aut improviso incursu hostes opprimendi.

Insuper his, etiam tibi Dux præ cura videre
Plurima, Ductores quidnam, reliquique Magistri
Singuli agant, cum sæva ruens sine more procella
Disjecit classem longè, & diversa per undas.
Idcirco, (1) tabulas inscriptas more Laconum
Tradere cuique Ducum, poteris, quibus ipse futuri
Sollicitus minio signasti, atrove liquore,
Quos jubeas illos se tum deducere portus,
Quas oras: contra quos & vitare necesse est.
Id tibi tum pariter faciendum, linea in altum
Dum variæ è vario portu dant vela carinæ.
Et magnum meditaris opus, subitusque rebelles

Illæ nunquam rescindendæ, ni suò tempore, & Coram Primoribus.

Opprimere, aut segnem deprendere cum struis hostem:
Rectorum has nulli tabulas aperire potestas,
Ni jussum cum tempus adest, vel cum ipsa petit res,
Quas nec Præfecti poterunt rescindere, cœtu
Ni coram Procerum: si secius ipse severas
Desumat tanto pœnas pro crimine Consul.
Nam sic parebunt reliqui, sic munia quisque
Explebit sua, sic ductabitur ordine classis

Quem ordinem in navigando teneat Classis.

Martia, felicique eventu bella gerentur,
Arbitrioque Ducis. Sed jam canentia vela
Eurus agit, lætisque ruens adsibilat auris.
At, Nerei vastum quo classis naviget æquor
Ordine, præcipiam: temerè haud errare per altum

Fas

(1) Lacænæ Scytalæ. Itali dicunt *Lettere scritte in cifra.*

Fas homini, concessa cui mens munere Divûm est;
Quando etiam bruti pisces, ignavaque Cete
In certas acies, in turmas humida findunt
Æquora, perque juga, & versus motantur eosdem.
Ergo omnem in turmas tres primùm divide classem:
Sintque pares numero turmæ: primamque supremi
Rectoris Legatus aget: reget ipse secundam
Rector: & extremam Legatus diriget alter.
Prima in conflictu est acies (1) Antica: secunda
Est (2) Media, & pugnæ robur: postrema labanti
Suppetias latura, acies (3) Postica vocatur,
Quam Grajo pariter de nomine dicimus (4) Uram.
Præterea sit quæque acies divisa (5) cohortes
In tres, & terno insistentes ordine, campos
Per Nerei currant turritæ cœrula puppes:
Longævique Duces experti prælia multa
Ordinibus præsint. At nunc quibus agmina signis
Incedant distincta: Supremi è vertice mali
Vexilla alatas solvat Legatus in auras,
Inque dolone gerat labari victricia signa;
At media de puppe Pharos splendescat: & ipse
Legatus primam ductet per marmora turmam,
Et classis frontem regat omnem. Prætor ab alta
Victrices Aquilas mali cervice, simulque
Explicet Imperii labarum fatale Latini,
Et labarum è puppi pariter, pariterque secundis
Expandat Zephyris Aquilas, triplicemque micanti
Luce pharum auratæ præfigat culmine puppis.
Ipse manum medii primam reget agminis. Alter
Extremæ Legatus agit qui classis habenas
Vela super media attollat vexilla Quirini,
Candidaque in mali referat cervice Supremi
Signa, pharumque sua radiantem puppe reponat:
Agminis extremique manum reget ipse priorem.
Quique Duces reliquas ducunt per salsa cohortes
Æquora, dent etiam vexilla argentea ventis,
Signa carinarum. Præfecti flammea possunt
Egregii, primo queis ordine contigit alto
Carpere iter, sua signa leves expandere in Euros.
Postquàm omnis tali directa est ordine Classis;
Naviget, & Prætor ventis felicibus usus,

Quibus signis distinctæ singulæ incedant acies.

Prætoria prima navigat, reliquæ suo ordine sequuntur.

(1) *Vanguardia*. (2) *Battaglia*. (3) *Retroguardia*.
(4) *La Coda*. (5) *Squadre*.

Præcedat: reliqui, deſcendit ut aura, ſequantur.
At, ſi pugnatum properet, frons prima ſecundos
Accipiat Zephyros, hoſtique occurrat. Apertum
Inſpectura fretum, quæ velociſſima curſu
Prima exploratrix præeat ratis: omnia & acri
Obſervet ſtudio, lata æquora circumſpectans.
Cùmque hoſtes longè venientes viderit, ære
Exploſo, aut velum demittens, ilicet omni
Det claſſi ſignum, & numerum ſimul indicet ictu:
Quaque plaga mundi veniant. O, vertice ab alto
Hoſtilem vigil, hoſtilem cuſtodia claſſem
Exclamat, roſeoque illam deſcendere ab Euro.
Ergo agite, in pugnam cunctis properare carinis
Tempus, & egregiam palmam virtute referre.
At prius inſtructas quàm, Dux, in prælia claſſes
Educas, quæ multa queunt prodeſſe merendo
Hoſtibus è victis fertum navale, docebo.

Exploratrix ratis ſemper inſpectura fretum præcedat.

In primis, ſparſo quoniam ceu lumine mundus,
Et velut ætheria mortales vivimus aura,
Et quàcumque petat res opportuna, movemur;
Sic etiam claſſis, ſic navis quælibet Euris
Aligeris animata volat, curritque per æquor,
Inque plagas omnes, inque omnes vertitur oras.
Maxima ventorum idcirco tibi cura adhibenda
Semper erit: ventis nec quidquam impenſiùs unquam
Obſerva; nam tota illis victoria pendet.
Dura ſecundabunt læto ſi prælia flatu,
Ilicet incipito, & palmæ ſpem concipe certam.
Quandoquidem, vento qui ſcit feliciter uti,
Atque adeo in pugnam plenis deſcendere velis,
Hic claros referet ſuperato ex hoſte triumphos.
Ergo omni ſtudio, atque omni conaberis arte;
Ne tibi ſpirantes Euros ſolertior hoſtis
Præripiat, pugnamque ineat ductoribus illis.
Si Zephyri intendens velum favet aura, valebis
Hoſtilem primò, tutòque invadere claſſem:
Conferere & pugnam collatis cominus armis:
Navibus & pyriis, Eurique afflantibus auris,
Adverſas inter portare incendia pinus.
Sæpius unde venit Victoria. Commoda venti
Hæc ſi percipiat fors ille ſagacior, in te
Irruere actutum poterit, ſtragemque creare.

Cum ad pugnam inſtruenda acies, prima, & potior cura ventorum ſit.

Qui ventis benè utitur facilè palmam adipiſcitur.

Idcirco pugnandum, ſi venti vela ſecundo intendunt flatu.

At ſi forte tuis felices Æolus auras
Hoſtibus in velum regnato immittit ab antro,
Atque maligna riget vultu fortuna; recede

Si contrariæ ſpirent auræ, omni conatu vitandum certamen eſt.

Tu

Tu procul, hostiles & longiùs ære tonanti
Arceto puppes: & quo vicinior ille
Approperat, propiùsque manus conferre laborat,
Adniteris eò magis orbe errare reflexo;
Donec vel venti cadat ira, vel ipse sequendo
Illius (1) arbitrium meruisti in vela secundum.
Pergamus; si fors plures in prælia pinus
Turritas ferus hostis agat; certòque vereris,
Ne circumventum te fulminet, undique & igni
Devoret, in pugnam ne tùm descende: sed altum
Concede in pontum, & Cauro da vela secundo.
Ut vento (2) immineas hosti: luctetur & ille
Adversa in flabra, atque adverso gurgitis æstu.
At verò è campo si vento obstante negatum,
Non æquam numero classem subducere, totas
Assurge in vires, numerumque acerrima penset
Tum virtus, palmamque petat majoribus ausis.
Ast omnem impendes operam, cava litora longè
Effugere, in velum cùm flat contrarius Auster;
Ne te forte Notis veniens è puppe secundis
Opprimat hostis atrox, flammisque involvat acutis.
Oceani per aperta rates duc semper: apertum
Sylva fretum condensa, queas ubi condere classem,
Cùm mare, cùm cœlum ferrugine texit opaca
Humida nox, celatque arreptum per vada cursum.
Nam quascumque velis terrarum vertere ad oras,
Alatas poteris delusis hostibus alnos.
Quin etiam persæpè sinus, vallesque reductæ,
Atque extenta tegunt quia Promontoria puppes,
Ut certum nequeat numerum deprendere ab alto,
Explorator eas ne tum festinus ad arma;
Sed maria alta petes, & venti (3) lora tenere
Nitere, quò sensim totum se se explicet hostis.
Festinate, Duces, lentè, Zephyrosque secundos
Captate, & captos velis retinete fugaces.
At durum properemus opus, tonat horribilis Mars,
Atque undæ, atque ipsi succendunt prælia venti.
Præcipe, Dux, igitur curvis in navibus omnem
Armari pubem. Sed qua ratione juventa
Classica sit telis oneranda, & navita certis
Quisque locis vario pro munere ritè locandus,

Si viribus superet hostis, è campo excedendum.

Quod si non detur, virtute merenda victoria est.

Cum contrarius flat Auster vitanda litora, inque apertum pelagus ducenda est Classis.

Idem factitandum cum Promontoria, sinusque tegunt hostes.

Quo ordine Nautica pubes instruenda.

(1) *Vento in poppa.* (2) *Star sopra vento.* (3) *Mantenere il vantaggio del vento.*

Et qua librator tormenta tonantia tractet
Arte, canam paucis: prohibet me tempus, & auræ
Dicere plura: vetatque moras Mars ducere longas.
Classica qui tractant, triplex genus: impiger armis
Miles, tormentis librator, navita velis
Rem gerit: & pugnæ pariter labor omnibus unus:
Ordine quos tali statues, Bellona sub æquor
Cùm vocat, & litui pugnas, & classica clamant.
Arcibus in geminis proræ, puppisque jubeto
Delectum pubis florem se sistere sclopis
Armatum longis: reliqui tueantur utrumque
Navigii latus, & rigidis feralia cannis
Quaque solertia quisque sua ministeria exerceat. Continuò adversum protrudant pondera in hostem.
Nonnulli pilis, ferroque & fistula ahæna
Defendunt tabulata: citi jaculantur & illi
Ardentes flammarum orbes, atque ignea (1) chytra
Hostilem in puppim, jamjam, cùm cominus ibunt,
Certi turritas confestim ascendere pinus.
Mox, tormenta quibus curæ, sic instrue: docta
Quotquot librandi præcellunt arte, ruentem
Contra hostem explodant, admota reste, metalla
Ignivoma, & certo colliment verbere puppes
Semper in adversas, inque æra sonantia; crebro
Ut tandem possint diffringier utraque pulsu.
Continuus, solersque aliis purgare canales,
Atque onerare labor: reliqui, qui prima merentur
Ætate in primà stipendia, fomite flammas
Accendant, tormenta ligent, currusque reducant:
Et fontes tabulata super diffundere curent;
Ne pulvis recidens violentus suscitet ignes,
Incendatque ratem subitò: quæ maxima semper
Cura adhibenda: malum quando non durius ullum est.
Clavigeri, & nautarum munera. Tandem, quod jam subsequitur, sic instrue nautas:
Insignes clavo insistant, versentque carinam,
Ut res, ut venti, ut varians Fortuna reposcit.
Hi tabulata super, prompti versare, recurrant,
Vela manu prima, & funes, ferrumque recurvis
Dentibus armatum: juvenes carchesia summa
Amplectantur, ibique pedes, atque alta gubernent
Vela: & sulphureum, cùm res deposcerit, (2) ignem,
Et rapidum versent inimica in septa bitumen.
Insuper hoc etiam dicendum carmine nostro;

Le-

(1) *Granate*. (2) *Fuochi incendiarii*.

Legibus ut certis, atque ordine cuncta regantur:
Navigii Rector, veluti Præfectus in urbe,
Præsideat cunctis, moremque imponat: & olli
Sese omnes flectant: pubis bellacis habenas
Centurio teneat: senior cursumque, ratemque
Puppe gubernator sidens moderetur ab alta,
Et quotquot curant navalia munera nautas.
Dux tormenta regat, cujus sunt tradita curæ;
Et libratores omnes, currusque tonantes.

Præfecti, ac cæterorum Ducum munia.

Sed neque prætercam, nostris quod versibus ante
Dicendum tibi, Prætor, erat, nova, dura minorum
Scilicet ignivomas deferre, inventa, (1) carinas,
Pulvere, quæ pyrio, densoque bitumine fœta,
Horrida in hostiles ructant incendia puppes.
His etenim si Marte tui fervente valebunt
Artibus & propriis, & magnis ausibus uti,
Securam sperare potes post prælia palmam,
E' debellato, succensis navibus, hoste.
Nam tota ex unis sæpe his victoria pendet:
Et pandet pariter per certa incendia clades.
Nam veluti glauco cùm sulfure, Vesbius atroque
Intumuit satur è nitro, nimioque calore
Fervescens, flammas ex se concepit, ad auras
Ilicet impatiens sua viscera ructat, & altis
Verticibus surgit, cœlumque immanis, & atrox
Fulmineque, tonitruque & turbine territat atro.
Iratos iterum credas fera bella gigantes
Moliri in Superos, propriaque in sede Tonantem
Appetere, & totum flammis involuere Olympum.
Omnia tum circum vastantur rura, propinquæ
Vastantur villæ, & trepidis cum civibus urbes,
Diluvio oppressæ, & latis torrentibus igneis,
Terrarum & vastis sorbentur hiatibus undæ
Vicini maris, exhaustis & fluctibus ignes
Succedunt, tostique patent per litora pisces.
Non secus accenso cùm protinus igne, carinæ
Flammivomæ magnis violenta incendia bombis
Ructavere sinu, grandi vi pulveris atri
Disrupto, & cœlum texerunt undique nimbis,
Cominus ingenti diffusis impete flammis,
Et formidanda complexus cuncta procella
Vulcanus furit, atque immensas fervidus infert

Incendiariæ naves in pugnam ferendæ.

Illæ, ceu Vesbius, incendia, & ruinas in hostes ferunt.

Abe

(1) *Burlotti*.

Abietibusque, virisque neces, atque omnia perdit.
Dilacerata volant, ambustaque corpora, & altæ
Dissiliunt, tota distracta mole, carinæ.
Quæ quoniam saxis onerantur, & ære, nitroque
Compacto in globulos, stybioque, atroque veneno
Imbutos, stygius quibus alto horrente procella,
Depluit è cœlo guttis ardentibus imber,
Idcirco cædes, incendia, vulnera, mortes,
Innumerosque creant luctus: nec stragibus ullum
Effugium datur: & cunctos trahit una ruina.
Sed quibus inventis? & qua monstrante sororum
Eumenidum in nostras hæc dira incendia terras
Quo tempore, & quis illarum inventor.
Erupere? ferox quisnam fuit ille minister
Dirarum, cui tanta animis innata malignis
Barbaries, feritasque fuit? Vos dicite Vati
Pierides, dum bella placent, Martisque per omnes
Ire vias, mediisque etiam confligere in undis:
Ut COLLALTIADÆ nimirum mollia jussa,
Tantus amor, studiumque viri, faciatis, & olli
Regia navali cingatis tempora serto.
Tempestate illa, qua descivere Britanni
Legibus è Latiis, antiquaque sacra perosi
In ritus abiere novos, cultusque profanos.
Atque acti furiis, odiisque immanibus acti
Divinas multis violarunt cędibus aras.
Poëtica narratione describitur.
Nempe animos tantum valet irritare malignos
Pellicis unius facies fucata veneno,
Et nunquam tumidi saturanda superbia regis:
Vir fuit Arctoo natus sub sidere, & Ursæ
Lactatus mammis, gelidisque in fluctibus altus:
Idcirco toto feritatem pectore primis
Hauserat ex annis, fibrisque immiserat altis
Barbariemque ipso referebat nomine: dictus
Nam Draco Hyperboreis est gentibus: alter & illo
Haud gelido vixit sub cœlo immanior unquam,
Qui de more vagi prædonis navibus omnem
Oceanum latè currens prædisque, rapinisque
Et multis hominum necibus turpaverat. Atram
Ut rabiem, atque omnem in Superos Rex barbarus iram
Evomeret, classi, quam multis struxerat annis
Et sumptu ingenti, pubique armaverat acri
Prædonem hunc dirum furiis, flammisque litandum
Ductorem imponit, baculoque insignit eburno.
Et jubet, ut clades, strages, incendia, mortes
Romuleo fidus Patri deportet in oras.

Nil

Nil ſit tam ſanctum, nil tam venerabile, ferro
Quod non evertat, flammisque involvat acutis.
Si ſanctum eſt illud, ſique eſt venerabile, iniquis
Auſit quod furiis ſe magni opponere regis,
Cujus Relligio, Pietasque eſt una libido:
Quæque cruenta ſacras mactetur victima ad aras
Eſt acris vindicta, animis deſumpta ſuperbis.
Ergo his inſtructus monitis, de litore prædo
Solvit, & Arctoas dat barbara vela per undas.
Vix altum tenuere rates, cùm puppe ſub alta
Manibus infernis, Ditique immania ſacra
More novo facit, execrandaque carmina fundit
Multa precans: curſuque ſuper, juſſisque nefandi
Regis, & Eumenides, & totum conſulit Orcum.
Extemplò totus turbari a gurgite pontus
Incipit, & nigris obduci nubibus aër.
Nec mora terribili tonitru, quo maximus æther,
Et maria alta, imique ſpecus ſonuere profundi,
Concuſſæque procul terræ: mox turbine magno
Tempeſtas ſequitur, varioque à cardine mundi
Horrida diverſi committunt prælia venti.
Attolluntur aquæ, ſpumasque ad ſidera jactant
Nunc tumidæ in montes: nunc ſubſidentibus undis,
In valles humiles curvantur; & ima laceſſunt
Tartara: præcipitesque ruunt è nubibus imbres.
Fulgura crebra micant: tonat alto à vertice cœlum;
Fulmineo & totus pulſu diſcinditur aër.
Credideras rupta penitus compagine rerum,
In chaos ire iterum, atque in cœpta informia mundum:
Tempora vel Pyrrhæ rurſus rediiſſe, ſub altis
Queis totus periit demerſus fluctibus orbis.
Mox ubi pauliſper cœli, ventique, marisque
Effuſa eſt rabies, & ſævi turbinis ira:
Ac ſua confeſtim placido lux reddita cœlo eſt,
Iſthæc terrifico vox murmure clara, ſiniſtrâ
Parte poli tonuit, trepidasque exterruit aures:
Perge, Caledonios in fines dirige claſſem:
Atque hinc extremæ venies ad litora Thules:
Illic mira tibi monſtrabo inventa, tyranni
Queis iram ſaturem, flammasque, & funera portes;
In quoquot Latiis ſcripſerunt nomina ſignis.
Hæc ubi Tartareo vox improviſa remugit
Murmure, confeſtim ſtygiæ fremuere cavernæ
Et nutare ſinu, atque ingenti concitus æſtu
Nereus aſſurgens diverſa recurrere, & omne

Draci navigatio.

Exorta tempeſtas deſcribitur.

Igni-

Ignibus obſcuris viſum eſt ardeſcere cœlum.
Mox Notus adverſo veniens violentus ab axe
Execranda ſuo perflavit flamine vela.
Barbarus oraclis dirarum erectus, & auras
Accipiens, votisque ſuis, curſuque ſecundas
Currit Hyperboreæ vada Tethios, & petit Arctos;
Arctos, Oceani quas nunquam perluit unda.
Ultimus è quatuor, qui ſe diſcrimine certo
Diffugiunt ſemper, quà circulus implicat Orbem,
Temperiemque ſuo concludit limite, & alti
Supra aperit glacies, nebulasque & frigora mundi;
Inſula vaſta jacet: Thulem cognomine quondam
Dixere, & noti limes fuit ultimus Orbis:
Nunc à frigoribus nomen gens barbara fecit;
Hujus ab immenſis ſurgit radicibus Hecla:
Qui nivibus, flammisque, & vaſta mole ſuperbus
Vesbion, & Phlægram, ſummumque laceſſit Epomeum;
Vulcanumque, Æthnamque, & moſtra horrenda Chymæræ;
Nam vomit ambuſtus tot vaſta incendia Crater,
Quot Veſuvinus apex, quot formidanda Chymæra,
Phlægraque, Vulcanusque, atque his immanior Æthna;
Monte ſub hoc nuper ſedem defixit ab antris
Translatam ſtygiis Dis horridus, omnia vellet
Axis Hyperborei cùm regna invadere, gentes
Inque omnes diri virus diffundere Averni.
Et potuit; quando, jam ſe mortalia corda
Moribus induerant pravis, corruptaque dudum
Illecebris ſævæ Veneris: qua dirior urget
Nulla lues mentes hominum, cogitque vetuſtam
Ejurare Fidem, perque omnia crimina ferre
Seſe præcipites, votis furialibus actas,
Præterea novitatis amor, vulgoque placendi
Libertas, qua nil ſuccedit gratius unquam,
Paulatim ritu antiquo, ſacrisque paternis
Abduxit gentem, & contage infecit amara;
Vos igitur quotquot populorum ſceptra tenetis;
Solliciti veteres Patrum defendite ritus,
Et mores arcete novos, nova dogmata, ſanctam
Si ſervare Fidem, pacataque regna tenere,
Ultricesque manus cupitis vitare Tonantis.
Sed jam luctificus prædo tranſmiſerat altas
Orcadas, & gelido quotquot nant æquore, terras;
Tandem, vela Noto nunquam laxante remotæ
Ingenti plauſu contingunt litora Thules.
Eſt portentoſi montis radice ſub ima

Arctous mundi limes, & Thule inſula deſcribitur.

Et Hecla mons.

Con-

Convallis nemorosa, sinuque amplectitur undam
Ignibus ardentem stygiis, quam vertice ab alto
Hecla vomit, tetrumque bituminis efflat odorem.
Hujus in extremà, atque exesà rupe caverna
Horrida, nigra patet, fumoque obsessa maligno,
Tartaream expirat tenebroso ex ore mephitim.
Ante aditum saxo è solido jacet ara, Tyranno
Hìc Acherontæo sacra gens facit: axe sub alto
Quæ glacies, nebulasque, æternaque frigora durat:
Hìc Manes colit, in dubiis hìc consulit Orcum:
Accipit & responsa, sono non reddita certo.
Quippè tegit Dis ambiguis mendacia verbis,
Et miseros homines oraclo ludit inani.
Nimirum meritam patiatur credula pœnam
Gens, quæ Romuleas leges, & Numina spernit.
Huc Draco, quæsita postquam tellure potitus,
Se ducit: circumque virum diffunditur omnis
Classica turba: præit scipione insignis, & ense
Aurato, & sparsim gemmis radiante coruscis.
Ille suos, gressuque ipso, vultuque minaci
Barbariem præfert, rabiemque expirat, & iram.


Heclæa vallis, ubi à prædone, Achærontæo ritu, Diti litatum depingitur,

Ut vallem ventum est imam, se protinus antrum
Infert in medium: flexoque hìc poplite Ditem
Horrendo ritu, & Manes veneratur Averni.
Mox hircum putore gravem supra immolat aram
Marmoream; fœdoque implens cratera cruore,
Haurit, & infernis Furiis, Noctique propinat.
Idque omnis, diri ritus imitata magistri,
Turba facit navalis, & auribus astat apertis,
Exceptura sonos quoscumque effuderit imis
Ex adytis specus, horrendusque immiserit Orcus.
Vix cuncti biberant, subitò mirabile monstrum
Cernitur ex antro cervicem educere, & alto
Corpore paulatim consurgere; qualis in astra
Tollitur Enceladus, vasta vel mole Vesevum
Qui quatit Oromedon, terretque sepultus Olympum.
Nubila jam supra caput invehit: occupat & jam
Umbra minax Heclæ fastigia summa, nivesque
Exsuperat, rapidisque accedit proxima flammis.
Confestim insoliti specie perterrita monstri
Carpere turba fugam, celerisque ascendere naves
Apparat, impendenti & se subducere Fato,
Quod fore vicinum, certumque, & triste putabat.
Cùm Draco terribili visu non territus, Orci
Nimirum hæc solitus spectare horrentia spectra,

Inter Avernales & convivarier umbras:
Ne socii trepidate, inquit, formidine monstri,
Nil etenim, ni vana oculos illudit imago,
Immensusque Gigas est umbra: ò cernite, rursus
Ut jam decrescens se contrahat, ut caput altum
Demittat, sensimque omnes jam colligat artus.
Quique erat Alcides, vix nunc Pigmæus; & auras
In tenues fugiens horrenda evanuit umbra.
Attamen hic Ditis mos est, oracula gentes
Ut, si non solitæ veniant exposcere, tali
Perculsæ specie sacrato protinus antro
Diffugiant. Vix verba suis dedit ille, repostis
Cùm rauca ex adytis speluncæ hæc intonuit vox:
Sulphure uti gravidus multo, nitroque tonanti
Impositas supra moles, immania saxa,

Incendiariarum navium, Dite monstrante, inventum ab Hecla ductum.

Atque metalla sinu quæ continet, impete vasto,
In cœlum jaculatur: acerba fervidus ira
Pectore cùm toto, totis cùm naribus ignem
Efflat Titanum de gente haud ultimus Hecla:
Inque ipsos superos infert incendia, & ipsas
Imbre relabenti saxorum, & pulveris atri,
Et flammis urbes, & campos undique vastat:
Non secus ipse gravi compinges corpore naves,
Illarumque sinu concludes flammea nitri
Semina: mox saxis, densoque bitumine, & ære
Plurimus, & ferro gravidabis: & inde feroces
Inque hostes medios immitte: nitroque minister
Innjiciat flammas, cùm classi cominus ibunt
Adversæ. Sucensus ibi nitratus ad auras
Erumpet pulvis, validasque ad sidera mittet
Impositas moles: atque incendia vasta, ruinasque
Inferet, & rapidis consumet cuncta favillis.
Hæc ubi de stygiis vox est emissa cavernis,
Impete mons valido circum concussus, & omnes
Infremuere sinus, magnàque immugiit ira
Inclusus gremio (1) Arctodes; Sic horrida primùm
Ignivomas, inventa, rates niger extudit Orcus.



NAU-

(1) Gigans sub Hecla ab Arcto dictus.



NAUMACHICORUM
LIBER SECUNDUS.

AST age, nunc vitreo quæ cura extendere campo
Inſtructam, Prætor, claſſem, quove ordine fluctus
Per medios iter arripiat, ſeu remige forti,
Findat aquas, vento ſeu vela inſlante ſecundo,
Tempus, ut expediam; brevibusque exponere dictis
Contendam citus; argutum deponere quando
Jam plectrum devexa annis meme admonet ætas;
Ut mea venturi teneant poſt Fata nepotes.
Ipſe vel in primis Vati chariſſimus olim
Ad Medicas capiet felix (1) Eulalius Herbas.
Sed ſi priſcus amor, ſi quidquam dulcia poſſunt
Otia, Sirenum mecum tranſacta ſub oris,
Iſtis egreſſus ſpatiis, curisque ſolutus,
Grandiaque heroo meditaris carmina verſu,
RAMBALDI (ſerò mihi Vati cognitus Heros:
Proh ſortem infenſam! primis noſcendus ab annis
Qui fuerat, noſtro verſuque, lyraque ſonandus)
Tu genus egregium, atque illuſtria facta ſequare:
Non labor incaſſum: tibi gloria multa futura eſt.
Illius interea auſpiciis dum perſequor artes
Bellandi heroas, poſtremaque litora tango,
Affer opem, doctamque ſeni tu porrige dextram:
O Vatem immemorem! noſtræ ſed parce ſenectæ,
Parce precor; fugiunt anni, ſimul ipſa labaſcit

Hortatur Eulalium; ut RAMBALDI genus, & illuſtria facta, poſteritati mandet.

Auxilium illius in extrema jam ſenectute poſtulat.

 Mens

(1) Franciſcus Savaſtanus, cujus ſub Eulalii nomine, meminit Vates in Surrentinis Dialogis.

Mens annis: tacitum non te, dulcissime (1) Briga,
Non te prætercam, magna de stirpe nepotum,
In magnum pariter qui mox venturus honorem es,
Pierium sumes dicenda ad Musica plectrum:
Et varias leges numerorum, & consona fila,
Hortatur & Brigam, ut ubi Musicis supremam manum imposuerit, de RAMBALDO dicere aggrediatur.
Et sacros Rythmos, & docta inventa docebis,
Majorique tuum superabis laude Parentem.
Tuque etiam, primis ætas dum floret in annis,
Et juveni arrident Musæ, sacrumque recludunt
Parnassi fontem, & pater ipse arridet Apollo,
Collaltæ decora alta Domus, totque inclyta avorum
Facta, triumphales palmas, & clara trophæa,
Et memorare iterum, meritàque extollere laude,
Incipe, Melpomene finem cum dulcis habebit;
Festinaque tui partes explere Parentis.
Sed me terribili sonitu Vulcania ad arma
Æra vocant; medioque instruenda in marmore classis,
Et primùm, quando conclusum currimus æquor,
Rostratasque agimus dura in certamina puppes
Ars rostratæ classis instruendæ.
Threjicium contra Regem, qui victor Eoi
Regna tenet, vexatque immanis more Tyranni;
Has opus instruere in pugnam, quò certius hostem
Vincant, optatamque ferant post prælia palmam.
Contineat, Prætor, classis, quam ducis in hostem,
Octoginta simul (2) Penteras & insuper unam
Sex unà (3) Hepteres, magno vel corpore Gaulos.
(Namque etiam interdum mos est, ut in agmine Gauli
Rostratas socient ad prælia dura Triremes)
Tres primùm in Partes Penteres divide cunctas:
Septem & viginti accipiet sibi quælibet; (4) Agmen,
Ut memorant, priscis pars quæque est dicta Latinis.
Primum agmen Legatus aget, mediumque tenebit
Prætor, postremum ducet Legatus & alter.
Exin tres acies fac, Dux, ex agmine toto,
Quæque novem Penteras habet sub triplice versu
Instructas: annisque Duces, & robore primi
Ductabunt versus: illos & cuncta juventus

Audiet

(1) Melchior à Briga magnæ spei juvenis, qui jamnunc Musica meditatur.

(2) Quinqueremes, *Galere* vulgus Italorum vocat, cumque Triremibus confunduntur.

(3) Septiremes, *Galeazze*, dicunt Veneti, apud quos frequens usus. (4) *Squadra* Italis audit.

Audiet, in pugnam ſeu vadere, ſive per æquor
Ire opus: aſt ipſi Prætoris juſſa faceſſant.
Conſulis imperio ſubſit Legatus uterque:
Nam perſæpe ſolet Conſul quoque ducere claſſem:
Et ducet, quoties immenſis viribus hoſtem
Appetimus, totoque armis decernimus aſſe.

Legati agminibus præſunt: ipſis, & universæ claſſi Prætor, vel Conſul.

Præterea ne fortè aliquis pugnantibus error
Occurrat, variet leges, atque omnia turbet:
Semper & eſt inter certamina dura cavendus
Error, quisquis erit; contempta ſæpe favilla
E' tenui magna exarſere incendia flamma.
Omnis & idcirco Penteris lecta juventus
Ductoris juſſis obtemperet, & ſimul ipſos
Quæque duces proprios rerum ad diverſa ſequatur
Prompta miniſteria, atque uſus deſcendat ad omnes:
Seu ſit remigio inſiſtendum, ſive metallis:
Sive manus hoſti jamjam conferre propinquo
Res petat, è prora & longis arcere ſariſſis:
Seu ſtet in hoſtilem ſaltu tranſcendere puppim.

In pugna omnis error præcavendus; idcirco cujusq; navis juventus Præfecto pareat.

Perge igitur, Prætor, cùm primum inſtruxeris agmen,
Inque acies ternas diſtinxeris; inter & æqua
Intervalla acies ſtatuenda, ſimulque Triremes
Roſtratas inter ſpatium ſtat figere certum.
Quantum acies currit, tantum ſit inane recurrens:
Et tantum verſus inter, quantum ipſa Triremis
Occupat Oceani toto ſe corpore tendens:
Majus at interſit ſpatium latus inter utrumque;
Ut via remigio pateat largiſſima: nec ſe
Impediant remi, curſumque morentur in hoſtem.
Utque etiam verſus inter tranare Biremes,
Velocesque ſimul poſſint excurrere Lembi,
Prætoris vel juſſa, novam vel ducere pubem
Præſtat in auxilium laſſis, dum prælia fervent.

Quæ certa inter agmina deſcrimina conſtituenda ſint.

Et quæ ipſas inter naves, ut expiditior ſit excurſus: nec inter eundum, pugnandumque ſe mutuò impediant.

Atque hìc te, Prætor, moneo, Lemboſque, Biremeſque
Atque etiam celeres ornare ad bella Celoces:
Has & ſclopiferis armabis, & ære minori,
Quod noſtro, ut dictum, verſu, Falcunculus audit.
Suppetias poterunt hæ ferre Triremibus, hoſtis
Cùm premit, & juvenes inferre è puppe recentes,
In latus hoſtilis pariter ſe vertere Pinus:
Tormentis quatere, atque effringere pulſibus alas.
His etenim auxiliis res perdita ſæpe revixit,
Et de victori Victoria magna relata eſt.

Biremes etiam in acie adhibendæ, ut expeditæ opem ſociis ferant, novumque militem laborantibus immittant.

His jam præmonitis, quod fortiùs inſtat, agamus.
Primum, Prætor, ubi inſtruxiſti in fluctibus agmen,

Illius

Illius in gemino turrita mole Triremes,
Hepteres Graii quondam dixere vocantes,
Dispones cornu, tres dextra, tresque sinistra:
Inque uno instructas versu sub fronte locabis.
Non secus agminibus geminæ terrestribus alæ
Stant Equitum, cursuque accendunt prælia primæ.
Navibus his Veneti, queis olim crebrior usus,
Sæpius ingentes retulere è Thrace triumphos.
His, ut fama canit, Naupacti est palma relata:
Qua non majorem fastis scripsere vetustis
Christiadæ: gestis qui si felicibus uti
Concordes animo voluissent, protinus omne
Eversum imperium Turcarum, & reddita priscis
Romulidum sacris jam Græcia tota fuisset.
Atque Asia, & quicquid terrarum Solis ad ortum
Othomani dura vexant ditione Tyranni.
Sed proh fata Deûm! numquam sua commoda norunt
Mortales, fortive sciunt servire secundæ.
Verùm odio in præceps acti, & discordibus iris,
Quod nequeunt hostes, sese perduntque, ruuntque.
Sed quò me dolor, & non jam medicabilis ictus,
O utinam foret & post emendabilis error,
Me rapuit! Sed erit pretii sat questibus olim,
Cæsaris auspiciis cùm tu, RAMBALDE, superbum
Odrysium contra turritis classibus, ibis,
Latè Asiam, & totum victor vastabis Eoum.
Interea properemus opus; classisque struendæ
Accipe nunc leges alias: si fortè placebit
Rostratam sinuare aciem: namque ordine tali
Interdum præstat contra procedere in hostem.
Sex uno instructas versu sub fronte locabis
Hepteres, pugnæ robur, Martisque futuras,
Altero & in versu dextra, lævaque repones
Sex etiam naves, humili quæ corpore surgunt,
Atque agiles velo currunt: hæ fulmina torquent;
Hepteres postquam cœperunt prælia bombis
Horrisonis, pressique Scythæ formidine nutant.
Hinc Primum lævo in cornu tu versibus Agmen
Expones geminis, binæ fac ordine primo
Sint acies, & quæque novem sub signa Triremes
Colligat: expositæque simul sint ordine bino.
Tertia mox acies insistat structa secundo
In versu, primasque inter spatia æqua relicta
Directum aspiciat: per & illa, ubi tendere in hostem
Est opus, irrumpat, nutantiaque arma suorum

Hepteres prima fronte locandæ.

Illarum magna utilitas in conflictu: eisque magna ex parte Naupactæa victoria adscripta est; qua si benè Latini usi essent, conclamatum jamtunc de Othomanico Imperio fuisset.

Modus sinuatæ aciei explicandæ traditur.

Firmet, & explosis sustentet prælia ahenis,
Tormentis, de puppe tonant, quæ fulmine rauco:
Ast ubi jam Primum lævà construxeris Agmen
Ad dextram Medium spatii discrimine justo
(Quantum acies instructa vagis sese explicat undis,
Tantum intermedium pelagi sit inane relictum)
Expones Agmen numeris, & legibus iisdem.
Non secus arte pari Postremum dirige contra
Extentum pelagi vacuum latus inter utrumque:
Quà se tota acies, cùm tempus, & ipsa petit res,
Æquatis moveat signis, sistatque ruentem
Hostem, insultantemque recentibus obruat armis.
Vel, si fors cedat, primis urgentibus, ipse
Succedas pugnæ, longèque sequare fugacem;
Ut sit plena tuis victoria: funditùs ille
Deletus, maris imperium tibi deferat uni.
    Insuper his, ritu sedeat si fortè phalangis
Rostratam vitreis classem protendere campis,
Has adhibe leges; tres dextro, tresque sinistro
Hepteres cornu: medias discrimine longo
Velivolas humili surgentes corpore naves
Dirige: raucisonis quæ prælia prima metallis
Accendant, crebroque lacessant fulmine Thraces;
Ordinibus geminis amplo discrimine retro,
In parvas acies divisam dirige classem.
Inque duas acies versus partire: Triremes
Sint quinque in primo positæ, quatuorque secundo:
Quatuor & vacua aspectent discrimina primi:
Tres acies dextrà conflabunt ordine Primum
Agmen, tres mediæ Medium, reliquæque sinistrà
Postremum facient Agmen. Quæ forma Phalangis
Invictam reddet classem. Terrestribus olim
Ut certaminibus Macedûm fortissima in armis
Atque invicta Phalanx habita, & certamine victrix,
Seu peteret conferta, feros seu pelleret hostes.
Odrysii, quorum, Selimo sceptra tenente
Europæque, Asiæque, & ditia regna Canopi,
Ingens Jonio, Ægæoque potentia ponto,
Et validas secum classes ad prælia agebant;
Lunatas acies vitreis exponere campis
Consuevêre, vagæque imitantes cornua Phœbes;
Falcatam duplici cornu sinuare solebant:
Fidebantque Deæ se, cujus imagine jactant,
Laturos palmam egregiam, exuviasque Latinas;
Prælia post armis certata, & numine Divæ.

Ars explicandæ classis ritu Phalangis.

Quæ ratio potior ducitur.

Turcæ sub Selimo Rege, Lunatam instruebant classem, & qua ratione.

Et

Et quoniam numero præstabant, sæpe carinas
Hostiles poterant medias comprendere, casse
Ceu longo cervos, aprosque à monte ruentes
Claudit Venator, prædamque ad tecta reportat.
Hos ego Barbaricos mores, puerilíaque artis
Inventa, haud equidem laudarim carmine nostro.
Mars petit ingenium, atque heroæ robora dextræ.
Nonne vides, ut sæpe Scythæ certamine victi
Terga dedere fugæ, & portus petiere patentes?
Innummeras quamquam traherent ad prælia puppes,
Pube pari, & totum velarent aëra telis.
Quid memorem fractas toties ad litora Cretæ
Barbaricas acies? Quid duri saxa Capharei:
Quid Maleam, Euripique undantes sanguine fluctus
Threjicio, & latè dispersas æquore Lunas?
Fumat adhuc incensa Scytharum plurima classis,
Hellesponte, tuas ad fauces: & tua, Smyrne,
Altera flagrat adhuc furvis ad litora flammis.
Quid Naupactæam referam cladem que, ruinamque,
Et penitus Thracum eversas cum mille carinis,
Et vires, & opes, & robora cuncta Tyranni?
Tristis adhuc, lentusque fluens Achelous acerbam
Flens ignominiam: tristes & Echinades atram
Nunc etiam sortem, non æqua & Numina culpant.
Attamen immeritò, propriam culpare suorum
Desidiam debent, & inertis robora dextræ.
Virtutem & nostram, ingeniumque, artemque magistram;
Vivit adhuc, distracta licet, proh Fata Deorum,
Fortunæque vices variabilis! Itala virtus:
Nec sunt degeneres majorum à sanguine, nec cum
Terrarum imperio pariter cecidêre Nepotum
Mentes magnanimæ, fortesque ad prælia dextræ.
Præteriisse juvat sed tristia, Fataque forti
Ferre animo, sortemque iterum expectare benignam.
Interea, Collalte, sequar tua maxima jussa:
Et præstat properare; brevis nam terminus ævi
Cantanti superest: missis licet ipse tabellis
Regnata de sede, Marique a flumine nuper
Nestoris ætatem, & centum promiseris annos,
Votaque Parthenio pro Vate emiseris Almo
Saberidæ, & Lojolæ, & Partheniæ Genitrici:
Hujus & exemplar deductum ab imagine prisca,
Quam magni, ut perhibent, depinxit dextera Lucæ,
Addideris sacrum pignus, divinaque dona.
Atque hic Parthenia jussisti affigier Æde,

Quæ minimè Vati probatur.

Variæ Turcarum clades referuntur, Italorum virtute partæ.

Quæ vivit adhuc, etiam si distracta in varia membra Italia sit.

Dextræ,

Dextræ, animique tui monumentum insigne futurum.
Ast ego, jam sordent quando mortalia, sordet
Tellus culta suis cum rebus: displicet omne,
Quod non perpetuum vivit, semperque futurum est.
Tantum à Cœlicolis peterem concedier ævi,
Concelebrare tuas quantum sat versibus esset
Egregias laudes, & Nomina clara tuorum.
At tibi, Musarum quando Dux alter, & auctor
Existis, nitidoque facis florescere cultu
Illustres studiorum artes, & docta Minervæ
Munera, det longum prece nostra Juppiter ævum.
 Ergo age, rostratis unà cum puppibus alta
Turritos si mole trahas ad prælia Gaulos:
In geminas illos acies partire, paresque
Sint acies numero: versuque deinde sub uno
Rostratæ ad geminum classis latus instrue, ut hostes
Horrisonis bombis, Euro spirante, lacessant.
Hostiles vel fronte petant, si duxerit illos:
Barbarus & raucis pariter tonet ipse metallis.

Modus instruendi Gaulos unà cum Rostratis.

His vero alatis tractas si puppibus arma,
Rostratisque simul, juvat illud mente sagaci
Discere; quod multum palmæ conferre merendæ,
Dux, valet: Æoliis illæ spirantibus auris,
Bella gerunt meliùs: validis nam pulsibus Euri
Se facilè in latus inflectunt, tonitruque frequenti
Horrendas gremio glandes, & fulmina torquent.
Ast hæ pacatis pugnant feliciùs undis
Cominus, & primis explosis igne metallis
Rem peragunt cannis brevioribus, atque sarissis,
Nudatoque petunt ferro Thracesque, Scythasque.
Idcirco spirat si flatibus aura secundis,
Prælia dura gere, & felicibus utere ventis.

Quæ, cùm utroque navium genere pugnatur, animadvertenda.

Si plurima Gaulorum copia tibi sit, & ventus spiret, ineundum cum hoste certamen est.

At si turritis decertent pluribus hostes
Navibus, at plures deducas ipse Triremes,
Æolia cùm rupe silent Eurique, Notique,
Sternitur & placidum maris æquor, prælia rostris
Incipe collatis. Sequitur sed protinus alter
Jam labor. Audendum semper tibi rebus in arctis;
Quodque negant vires tibi suggerat ipsa sagax mens.
Ergo age, si ternis fuerit, non ampliùs, alnis
Velivolis, aut quinque tibi, Dux, aspera pugna
Rostratas contra plures sic instrue naves,
Ut Scythico palmam valeas ex hoste referre,
In tribus æratas, Dux, puppes præcipe punctis
Sistere se, formam referens ut tota trigoni

At si rostratis præstas, cùm silent auræ, inimicum aggredi, commodū.

Quid agendum Duci sit, cùm contra plurimas longas naves cum paucis turritis dimicare cogitur.

Modus instruendi aciem in tali discrimine.

Structa acies visatur: & hosti terna ruenti
Obiiciat latera, atque exploso fulminet ære.
Sint æqua & latera intervallis dissita certis.
Centenos tantum teneant distantia passus:
Quinquaginta alios nonnulli his insuper addunt:
Opportuna sibi, cùm tempus, mutua possint
Auxilia inferre, hostilesque avertere puppes:
Hac etenim Gaulos si lege instruxeris, hostis
Quemcumque illorum irrumpens petat, ilicet ipse
Cunctorum tormenta, & duros sentiet ictus,
Sique silent venti conclusi carcere, sclopis
Propulsare acres juvenes majoribus alnos
Odrysias impune, neces & ferre per omnes
Difficilè haud poterunt. Sed qui festivus ab undis
Eois resonat clamor? quæ pompa triumphi
Ducitur Jonio in medio? juvat usque tueri,

Refertur memorabilis pugna Sicularum navium contra innumeram classem Turcarum.

Et causas etiam cantando exponere, Musæ
Dum Vati arrident curis, annisque gravato,
Inspirantque novum membris languentibus œstrum
Carminis Heroi, & Musarum ductor Apollo
Rambaldus vires potabile sufficit auro.

Thracius, Eoa regnat qui sede, Tyrannus,
Et Græcos ditione premit, Cretamque, Cyprumque
Victor, & Ægæis dominatur classibus undis,
Sæpius, emissis è faucibus Hellesponti
Navibus, Italiæ vastabat litora, & oras
Sicelides ritu prædonis, & æquora circùm
Crebriùs excurrens æstate obsessa tenebat.
Non animo id Prætor tolerans Ossonius æquo:
Nam ratus indignum populos, qui gentibus olim
Omnibus &. leges, moresque & jura dedissent,

Parantur ab Ossonio Siciliæ Prætore tres, non ampliùs, naves, ut octoginta Turcarum Triremes, quæ Italiæ, Siciliæque oras vastare consueverant, à finibus arceant.

Terraque, & pelago vastari a Thrace superbo,
Barbaricos statuit Regis perfringere fastus
Othomani; & ternis tantum, non ampliùs, alnis
Turritis omnem Turcarum evertere classem,
Octoginta super puppes ad bella trahentem.
Tres igitur naves armari ad prælia jussit
Delecta de pube, Ducemque imponit & illis
Egregium, cui multa animi solertia, & acre
Ingenium, & varii experientia plurima Martis:
Mox jubet Ægæum cursu contendere in æquor;
Barbaricam & classem perquirere: & ilicet illam
Elicere ad pugnam, explosisque lacessere ahenis.
Non secus ac jussum, placidæ cùm sibilus auræ
Incœpit pelago crebrescere, litore ab udo

Dux

Dux solvit; pontoque volans decurrit aperto.
Jamque renascentis cœlo nova cornua Lunæ
Spectari nautis cœptarant æquore ab alto,
Cùm procul ex undis Minoïa surgere regna
Conspecta ingenti juvenum clamore frementum
Lætitia, & Scythicas poscentum ad prælia puppes;
Tum Prætor summo mali de vertice circùm
Cuncta inspectari freta lata, sinusque propinquos
Præcipit, Odrysiæ si puppes fortè venirent
Obviæ, & optatam vellent committere pugnam;
Nam fore venturas rumor vulgaverat, & jam
Ægæo egressas Mirtoa per æquora cursum
Tendere, uti sociam Rhodio de litore classem
Acciperent venientem, inque unum viribus auctis;
Pro more Italiam peterent, Triquetramque propinquam;
Tertia ubi cœlo radiis Aurora coruscis
Illuxit, legerentque rates regna ultima Cretæ,
Barbaricam mali clamat de vertice custos
Barbaricam clamat classem, numerumque recensens;
Octoginta rates prælonga cuspide remis
Approperant, velisque, levis quæ sibilus Euri
Implet agens. Omnem tali sermone juventam
Imperat armari Prætor: navesque trigoni
Explicat in formam. Lembo mox ipse per omnes
Invehitur socios: dictisque potentibus illos
Hortatur, calidasque accendit fortiùs iras.
Hæc est illa dies, hic campus, & illa palestra
Ex qua palmarum fascis non unus, & una
Non vobis, socii, carpenda est fortibus armis
Exoptata diu laurus; victricia vestra
Tempora qua niteant, meritisque in sæcula nomen
Laudibus immittat. Tandem populator Eoi
Sentiet Othomanus ternis se navibus ipso
Æquore in Ægæo, propriàque in sede petitum:
Atque suas vires, sua robora, plurima quamvis,
Tristi ignominia vestris perfracta lacertis.
Desinet & nostras victus prædarier oras.
Ergo agite, & patrias uno hoc certamine palmas,
Et simul egregios, socii, cumulate triumphos.
Hæc ubi, raucisono pugnæ dat murmure signum:
Interea, ut primùm puppes videre Latinas
Odrysii, risere hominum temeraria corda:
Nec dignum duxere rates contendere contra
Tam paucas numero; grandi ceu corpore Taurus,
Viribus & magnis contemnit fauce molossum

Ad Cretam classis primùm spectata.

Prætor ad pugnam suos hortatur, inque trigoni formam naves disponit.

Latrantem quamvis, nec cornua iactat in hostem;
Mox ira accensi, quòd se contemnier illis
Aspicerent, aciem sinuant, ceu fronte recurvà
Incipit ut Phœbe primà splendescere luce.
Vocibus hinc magnis, & Barbarico ululatu
Remigio adnisi valido, ventoque feruntur
Turritos contra Gaulos, atque ilicet omnia
Explodunt tormenta, & terrifico reboatu
Mille pilas pyrio succensas pulvere torquent.
Plurimæ at incassùm medias cecidère per undas;
Nullo Gaulorum discrimine: mox ubi quernis
Turribus accessère, ipsumque fuere sub ictum,
Protinus alatæ, bombo resonante, carinæ
Admovère cavis restimque, ignemque metallis:
Confestim tenues volat horrida grando per auras,
Turbine flammarum denso, fumoque nigrante.
Quassantur puppes, quassantur robora querna
Fulminibus, malique, & turrigeræ antennæ:
Perque foros, per scamna viri sternuntur, & arma:
Mars metit Odrysios; flavas ceu messor aristas.
Purpureo tabulata fluunt perfusa cruore:
Divulsisque jacent lacerata cadavera membris.
Turcicus at Rector frendens, iràque, furorèque
Immensam juvenum stragem, cædemque suorum
Dum videt à paucis illatam navibus, omnes
Octoginta jubet rostratas ire sub arcem
Romani Prætoris, & ardua scandere pubem
Mœnia, & indigno de sanguine sumere pœnas:
Ardua res factu; pubes Romana retortis
Missilibus, velut imbre sonoræ grandinis, arcem
Tutatur, magnisque animis in verticibus stat.
Parte alia sociæ naves vibrare metallis
E' calidis glandes, vegrandia pondera in hostes
Non cessant, quassantque latus magno impete utrumque.
Fulminibus tantis perculsi, & cæde virorum
Decedunt mœsti Thraces:, mox impete facto,
Atque ignominia irritati, & voce magistri
Aggrediuntur: & ense iterum, rigidaque bipenni
Conantur supra conscendere, vique potiri
Arce Latinorum, & muris præfigere Lunas.
At frustra: infracti quando sub culmine stabant
Robusti juvenes sclopis, ferroque minantes,
Vulneraque, cædemque, & acerbæ funera mortis;
Hi cæsi multis occumbunt ictibus: illi
Perculsi cedunt: hi summo è vertice spondæ

Pugna committitur; ac continuo tormentorum ictu Othomanicæ Triremes percussæ fatiscunt.

Cùmque in naves conscendere conantur Turcæ ingentem cladem accipiunt.

Præ-

Præcipites acti medias labuntur in undas.
Fit ſtrages horrenda: fremit tot funera cernens
Othomanus ductor: nec quicquam proficit alta
Voce ſuos hortans: minitanſque, necemque, crucemque,
Ni vincant, ignominiamque cruore vel ipſo
Detergant. Uno hoc certamine fama Tyranni
Hactenus invicti poſita eſt, & gloria Regni,
Dentibus effatur frendens. Sed Phœbus ad Indos
Jam feſſos vertebat equos: finemque diurnæ
Impoſuit pugnæ, luctumque, umbramque relinquens
Odryſiis. Noſtri quando lucentibus alta
Tergeminis de puppe pharis vicère tenebras
Accenſiſque diem facibus fecère ſub umbris:
Atque omnem feſto duxerunt murmure noctem.

Die ad veſperam vergente, pugna dirimitur: multis roſtratis amiſſis, & juventute plurima occiſa, recedunt ex acie Thraces: contra læti, at victores perſiſtunt in acie noſtri accenſis tota nocte Pharis.

At poſtquam exurgens lucemque, diemque reduxit
Purpureus Titan, animi rediere Magiſtro
Thracibus hortante, & laudes, & prœmia regis
Promittente, manu forti ſi tollere vellènt
Acceptum dedecus, priſcamque acquirere famam.
Attamen haud melior pugnæ Fortuna ſecundæ
Affulſit; pulſi, victique redire coacti,
Pluribus occiſis, & navibus æquore partim
Submerſis, partim Vulcano ardente crematis.

Secuto mox die, Ductore inſtimulante, redeunt ad pugnam Turcæ, ſed non meliorem fortunam experti ſunt.

Tertia ſed radiis ſurgens Aurora coruſcis
Emicuit, rurſus Thraces terrore Tyranni
Inſtimulante, animo laturi indignè ſuorum
Turpem ignominiam, & tot damna illata Latinis;
Inſtaurare iterum pugnam, ſortemque ſiniſtram
Tentare, averſum ſi fors mutata reducat
Othomanis vultum, faveatque audacibus auſis;
Nituntur magnis animis, & murmure feſto
Impellunt aciem remis, hoſtique propinquant.
Sed fruſtrà ſortem petimus, Martemque benignum
Obſiſtunt cùm Fata, & virtus plurima in hoſte:
Er viget ars, & cauſſa favet certaminis æqua.
Indecores igitur magna cum cæde ſuorum
Tertia poſt duri redierunt prælia Martis.

Cùm tandem tertio etiam die infeliciter pugnaſſent, Helleſpontum magna ignominia triſtes repetierunt.

Othomanum ad Regem rabieque, iraque frementem;
Quòd claſſem ingentem ternæ, non ampliùs, Alni
Chriſtiadum ter devictam, fractamque fugaſſet.
At noſtris longo quoniam certamine glandes,
Et pyrius pulvis defecerat, inque repoſtas
Helleſpontiaci maris oras fugerat hoſtis,
Ipſi etiam leni Zephyro Pœana canentes
Italiam redière; quibus ſubeuntibus alta

At noſtri ingenti victoria læti in Italiam curſum repetierunt, magnis laudibus Meſſanæ accepti.

Sa-

Saturni nitidis monumenta incincta theatris,
Omnis in occursum veniens excita juventus
Ad famam palmæ venientem præpete penna,
Egregias cecinit festivo murmure laudes.
Nimirùm tanti valet ars, animique feroces.
Perge, illud pariter dicendum carmine nostro,
Quæ sit habenda tibi, Prætor, solertia, cùm se
Quæ industria Duci adhibenda, cùm ingens tempestas ingruit.
Ingens Æoliis tempestas fuderit antris,
Et sævit sine more, vadoque assurgit ab imo
Nereus, immensique feruntur ad æthera fluctus.
Quandoquidem damnosa lues non ulla carinis
Velivolis magis est; surgens quàm gurgite turbo
Improvisus agens secum ventosque, procellasque,
Grande periculum classibus à tempestatibus.
Ilicet & pelagus discindens æquore toto.
Elati fluctus, & crebra volumina, & ipsa
Horrifica Oceani facies, faciesque tonantis
Cœli fulminibus discissa, & fulgure spisso:
Effusique imbres, & nigris atra tenebris
Desuper incumbens ponto nox undique, & horror
Magnanimos terrent animos, viresque refringunt.
Atque ipsam superant artem: Nec fortior ullus,
Qui valeat pelago, aut se irato opponere cœlo.
Et licet attollant magno se corpore Gauli,
Mœnia sint triplici, duroque è robore quercus
Compacta, & ferro spissè internexa tenaci;
Attamen haud poterunt Nerei vim ferre furentis;
Turbinibusque, Notisque, altèque frementibus Austris:
Immensis & aquarum montibus obluctari.
Idcirco summa solertia cavendæ.
Quæ sic, Dux, habeant cùm se, vada surgere primùm,
Utque mari ingentem aspicies, terrisque parari
Tempestatem atram, sensimque attollier undas,
Ventorum & luctas variorum, & prælia dura,
Continuò, mora nulla, ferunt quà flamina cursum
Dirige, vicinos & portus navibus intra:
Sivè sinus pete securos sub valle reducta:
Nam si turbato pergas insistere ponto,
Imperiumque tenere maris, confisus & arti;
Ut exercitus agris effusus certæ cladi expositus; sic classis vadis spumosis dispersa.
Atque animo tibi, Dux, certam, classique ruinam
Expecta: pœnamque lues damnabilis ausi.
Tempestate vadis quoniam sine more furenti;
Hàc, illac facilè in diversa ruentibus Austris,
Undarum & crebro distractis navibus ictu,
Omnis per campos spargetur classis aquosos:
Ac velut effusus latis exercitus agris
Et certam expectat cladem, extremamque ruinam:
Sic

Sic classis divulsa, ferat si se obvius hostis.
Cùm venti cadet ira, tumens & gurgitis unda,
Ilicet amissa, in prædam concedet & hosti.
Præterea naves, cùm vento, & fluctibus altis
Luctantur, capiunt majora incommoda, quàm cùm
Vulcanum contra pugnant, Martemque furentem.

Major classibus à tempestate, quàm à pugna plerumq; clades, ac ruina.

Hinc postquam pelago tempestas atra resedit,
Et fluctus posuère minas, miseranda per altum
Apparet facies laceratæ classis: & undas
Per medias fluitant tabulata revulsa, trabesque
Diffractæ, malique, & cornigeræ antennæ.
Quin etiam incursus sunt tempestate timendi,
Sæpe Notis, undisque agitatæ in gurgite Pinus
In latera incursant per mutua, seque flagellant.
Disruptæque vadum accipiunt, pereuntque sub undis.

Sæviente procella, mutui incursus sæpè stragem creant.

Quod si longinquo distent discrimine portus,
Navibus & nullum se pandat valle reducta
Perfugium, sed aperta, Notoque obnoxia flanti
Litora sint, duris vel promontoria saxis
Tantum objecta, vadis longè plangentia canis;
Tum, Prætor, caveas infida ad litora classem
Vertere, nec gravibus quamvis, & fortibus uncis
Credere te: sed lata petes freta, turgida quamquam,
Et quamquam validis agitata à gurgite ventis.
Præstat enim tibi luctari turgentibus undis
Adversisque auris: animisque assurgere, & arte,
Quàm cladem certam accipere, & cumularier ipso
Litore sub turpi, atque ignavo funere mortis.

Præstat altum petere, quàm undosa ad litora classem applicare.

Nam quis, facundo quamvis sit carmine, Vates
Comprensæ classis sub litora, cùm tonat alto
Juppiter, & rabidi discindunt aera venti,
Neptunusque fremens refluentibus æstuat undis,
Explicet horrendam faciem: spumantibus actæ
Fluctibus & socias vi propelluntur in alnos:
In latus incursant aliæ, incursuque vicissim
Diffringuntur: aquis via fit, pontusque recurrens
Interiora petit, simul & superantibus undis,
Submersæ fundo pereunt, miserabile visu,
Hæ naves: aliæ, quarum discrimina lata,
Incursus vitant, ipsisque à fronte petuntur
Montibus undarum, vique attolluntur in altum;
Horrendum! cœli credas petere astra, relabique:
Hinc ubi præteriit curvam vasta unda carinam,
Æquoris in fundum, & Manes se vertere ad imos.
Interea tantum diffunditur intus aquarum,

Classis sub tempestate in anchoris stantis periculum, statusque describitur.

Ut

Ut mersas periisse putes, & chara tuorum
Conclamata fleas miserando corpora planctu,
Sed quid aperta per, atque undantia littora classem
Tristibus & lacrymis, mœsto spectamus & ore?
Namque ipso in portu, sine more ardente procella,
Ac toto ex imo submoto gurgite Nereo,
Naufragium horrendum, atque amissas turbine naves
Hisce oculis ipsi spectavimus, horrida cùm nox
Intulit horrificas Euro bacchante procellas,
Extemplò fremuère vada, excelsique sub auras
Extulerunt fluctus spumosa cacumina, & ipsam
Desuper in (1) Molem effusi, pilisque revulsis:
Victrices, rupto velut aggere, protinus omnem
Invadunt portum, ruptisque rudentibus alnos
Partim incursantes rapido, vi fluminis, ictu
Diffringunt, partim vicina ad litora torquent,
Allidunt petris, cumulisque tumentis arenæ.
Undique contectum trabibus, tabulisque revulsis
Apparet mare confestim; fluitantque per undas
Armamenta, rates, & quidquid forte vehebant,
Et Bacchi, Cererisque, & pinguia dona Minervæ;
Et merces aliæ ponto data præda furenti.
At magis horrendum, & visu miserabile, fluctus
Per medios spectare homines sub funere acerbo
Partim submersos, partimque ad litora nantes
Semianimes, partim laceratos corpore toto:
Partim truncatos non uno vulnere membra.
Qui gemitus morientum, & luctifici ululatus:
Quæ voces miserûm, lamentaque dura petentum
Auxilium, dextrasque pias! sed furva tonantis
Horrendum cœli facies, & stridor aquarum
Ventorumque fragor, bacchantis & ira procellæ
Auxilium deferre negant. Proh tristia semper
Fata hominum, & casu semper pendentia ab uno!
Altera, dira, ferax annalibus addita nostris,
Quos tibi, CARAFIDE, nuper conscripsimus, & jam
Auspicio, ductuque tuo vulgantur in omnem
Europam: meritoque tuo se nomine jactant,
Tempestas, motusque soli nutantis, avito
Fœmina dum primùm solio Regina sederet.
Sed quid prisca juvat rursus memorata referre;

Plurimarum navium Neapolitano in portu miserabile naufragium describitur.

Altera sub Joanna I. tempestas strictim attingitur, quæ pluribus descripta Historiæ tom. 2. p. 93.

Rur-

(1) *Il Molo di Napoli.* (2) Carolus Carafa Madalunensium Dux, cui Vates Neapolitanam Historiam dedicavit.

Rurſus & immenſi cauſas renovare doloris.
Nec vacat arrepto multum divertere clivo,
Cùm via longa, brevis ſupereſt ſed vita, diesque
Ultima deciduis jam canis imminet, & jam
Tendimus Elyſium, & felicia rura piorum.

Sed quò compellant horrentia murmura vatem?
Scilicet Autumni primis qui menſibus ortus,
Fluctibus occiduis cùm Sol immergere curſu
Defeſſos properaret equos, de cardine eodem
Horrificis ingens turbo percrebruit alis.

Horrēdus turbo, qui Autumno anni MDCCXIII. Surrentinos colles vaſtavit, deſcribitur.

Continuò horribili tonitru, immenſoque fragore
Obſcuris latè tenebris obducta sereni
Eſt cœli facies, trifidique è nubibus ignes
Excuſſi cecidère; ſimulque accenſus & omnis
Aër fulguribus, pluviisque undantibus amnes
Corripuère agros effuſi, atque herbida rura.
Mox violenta ruens Lybicique, Auſtrique procella
Undique oliviferas dejecit culmine ſylvas,
Et Surrentinos colles, (1) Æquanaque Vici
Nudavit juga, frondiferumque excuſſit honorem,
Everſura domos, ipſasque a culmine villas,
Duraſſet ſolidam ſi turbinis ira per horam.
Verùm durat adhuc facies miſeranda ruinæ.
Everſæ ſylvæ radicibus: undique rami
Cæſarie apparent nudi, vaſtataque rura:
Dejecta annorum ſpes plurima, & omnia luctu
Plena colonorum, dominûmque ſonantia fletu.
At juſſum properemus opus: Si fortè neceſſe
Sit pelagi campos, & turgida claſſe tenere
Æquora, & imbriferos contra luctarier Auſtros,
Velivolas pinus in tres partire (2) columnas
Et ſpatioſa inter fac intervalla carinas
Sint media: at verſus eadem diſcrimina ſervent;
Sic etenim haud facilè per turgida cœrula puppes
In diverſa ruent, diſtractæ gurgite vaſto:
Nec ſeſe lædent incurſibus: arduus aut mons
Undarum incumbens, Lybicique horrenda procella
In latus impellet feſſas luctamine puppes.
At ſi lata maris fuerint ſulcanda furentis
Æquora, tum præſtat campo decurrere aperto,

Quid Prætori agendum, cùm opus, vel in tempeſtate, tueri maris imperium, campoque perſiſtere.

 Quem-

(1) *Le montagne di Vico*, quorum altior Lactarius mons, Incolis *Faito*.

(2) Sic Galli, Italique rectos navium ordines vocant.

Quemque tibi dederit cursum Fortuna tenere.
Ergo à supremo demissis abiete velis,
Inferiora Notis tantùm da flantibus, alni
Nam sic velivolæ librato pondere molis,
In latus undoso incursantes ariete fluctus
Firmiùs insistent contra, perque ocyùs undas
Diffugient, rapidæ quò tandem sæva procellæ
Ira cadat, meliorque tibi Fortuna nitescat.
Nam secus immensi fluctus sine lege ruentes
In transversa ferent puppes, malosque refringent.
At si non tantum pateat, maris æquor arandum.
Tum medium, majusque Notis da tendere velum.
Nam sic acta minus ventis urgentibus alnus
Lassescet, nullo quàm si volet æquore velo.
Atque hic te, Prætor, moneo: ne dicta Magistri
Contemnas re tanta, illorum aut immemor unquam:
Namque aliter facies sub tempestate furente
Naufragium, data præda tuis simul hostibus ipsæ,
Si quæ turbato serventur gurgite, puppes.
Sanius tamen consilium tutos in sinus classem deducere.
Te te, inquam, moneo, tumidis ne fluctibus unquam
Iratisque velis audax contendere ventis.
Quippe furor validas classes, queis vertitur unis
Imperii spes omnis, & omne decusque, salusque,
Quæque fame ingenti populorum, auroque paratæ,
Insano Nereo, & ludibria tradere ventis.
Aspice, namque oculis refert præponere casus,
Quos doctus vites, miserandaque Fata priorum,
Philippi II. formidanda classis describitur.
Ut numerosa Tagi spatioso è flumine classis
Egreditur, Zephyrisque volat felicibus: illam
Divitiæ ingentes populorum, & Regna Philippi
Conflarunt duodena super, simul Indus uterque
Argenti vim magnam, vim magnam intulit auri
Infecti, factique: virûm tot millia tanto
Sudarunt operi, atque insumptus plurimus annus.
Obstupuit Nereus innantes gurgite turres
Aspiciens: Cœlum num tantis viribus, inquit,
His petitur? Tellus etenim molimine tanto
Ingens ex illa vicinis illatus timor.
Non sat digna: tamen populi, gentesque timete;
Perniciem in vestram Magni si Regis Iberi
Tot formidandæ vires, totque arma parantur;
Et jam vicini pariter, pariterque remoti
Perculsi Reges animis, quas tantus in oras
Vertisset sese turbo. primique rebelles
Et meritò Batavi, jamque ultima Fata timebant:
Nec vacua ipsa metu tum Gallia: plurima belli

Caussa

Caussa aderat, ruptum fœdus, dataque hostibus arma.
At reliquos supra dira Elisabetha timebat.
Monstrum horrendum, eadem vir, fœmina, nobile scortum
Et Virgo, & conjux: divina, humana Sacerdos,
Et regina, suis vertique, regique volebat
Sub manibus: Stygiis meritò damnata Chymœra.
Et poterat tantis armorum viribus alta
Exturbari sede, simulque tyrannica tolli
Imperia, & Fidei revocari ad jura Britanni,
Criminibus magnis populorum, Numina læsa
Ni contra obstiterint. Neque enim tunc Anglia digna
Visa Deo: lacrymis necdum scelera alta piarat.
Sed gentis pro more, diu cunctante Magistro,
Seriùs Oceani ad fines venère Britanni
Velivolæ turres centum, centumque carinæ,
Et tormentorum numero, rostrisque timendæ:
Nam tempestates Autumni tempore primo
Exortæ, rapidique egressi è carcere venti,
Vique fretum super effusi, rabieque, furoreque
Ilicet horrendos egère ad sidera fluctus.
Æther turbinibus, nigrescit æquora ventis
Discissa, & cani montes volvuntur aquarum.
Quis verò Austriacæ classis queat ore referre
Luctificam visu faciem, miserandaque fata?
Et tristes gemitus, lacrymasque tenere fluentes
Torrentis de more? videns tot gurgite Gaulos
Terribiles nuper, cœlo cervice minantes,
Et tot rostratas, auroque, armisque nitentes
Fluctibus insanis jactari, & turbine cœco.
Totque Duces, illustria nomina, totque Magistros
Militiæ claros: juvenesque ad prælia lectos
Imperio è toto, miseranda sorte perire:
Ceu plebem ignavam, nullo certamine, & armis
Depositis, ventis prædam, & turgentibus undis.
Ipsi Tritones, insanaque Numina ponti,
Glaucusque, Phorcusque, & nudus membra Palæmon
Indignas flevère neces: flevère profundis
Mœstæ Nereides, gemitusque dedère sub antris.
Ergo quibus classes ductandi cura, cavete
Intempestivo cœli sub sidere, & anni
Infido dare vela mari, & fallacibus Austris.

Maximè Elisabethæ; in cujus perniciem immittebatur.

Tantæ classis miserabile ex Ducis cunctatione naufragium graphicè depingitur.





NAUMACHICORUM
LIBER TERTIUS.

INSTRUCTA sed classe vadis spumantibus, acrem
Stat tandem pugnam committere: Nereus & jam
Visurus vitreis surgit spectacula ab antris:
Et circumfusi Tritones cornibus adstant
Raucisonis, magnoque accendunt prælia cantu.
At quia prætentus contra stat viribus acer
Barbarus, & centum trahit in certamina turres
Velivolas, totidemque armatas cuspide longa;
Idcirco præstat socios accire potentes
In dubios rerum eventus, & prælia dura.
Vos ego Magnanimi Heroes, devotaque Marti
Pectora, laurigeris genus immortale triumphis:
Vos qui prædones Orientis, & æquoris Afri,
Et maris Ægæi toties fregistis, & ipsos
Infames Arabes Lybiæ in deserta fugastis.
Vos arx Italiæ, vos propugnacula Romæ,
Inclyta Gens, servata quibus præclara dederunt
Nomina, magnificis palmarum ornata trophæis
Arva Palæstinæ, Solimeque, Ægyptus, Idume,
Et Rhodus, & Gaulos, Meliteque, & maxima Cypros:
Vos ego, vos socios posco. Vos ò mihi vestra
Pugnanti auxilium victrici classe benigni
Ferte Duces: liceat vestra virtute mereri
Egregiam victo palmam de Thrace, sacroque
Exuvias cæsi Regis præfigere templo.
Non insueta peto; quando victricibus armis
In pia bella Scythen contra properare soletis.
Sensit & ille suas toties certamine vires

Hierosolymitani Equites socii ad pugnam accersentur; Eorumque virtus commendatur.

Vir-

Virtute edomitas veſtra, ſeu puppibus oram
Phœnicis, ſeu regna Cypri vaſtaret opima.
Seu Gauli, Melitæque altas invaderet arces,
Latè & velivolis tegeret freta mille carinis.
Eque decem ferus aggeribus bis mille tonaret;
Tormentisque, pilisque, & lethiferis (1) Opiuchis.
Sive recepturus Tripolim, Mauruſia claſſe
Littora tentaret validà, valloque profundo
Syrtibus in mediis (2) Meningis cingeret arcem;
Quare agite Heroum genus, & victricibus armis
Auxilium celerate, precor, magnosque fovete
Conatus: fortesque feros irrumpite in hoſtes.
Tuque vel in primis venies ad clara potenti
Bella manu, (3) Collalte, tua nam cuſpide ſæpe
Percuſſi cecidère Arabes, Tracesque, Scythæque;
Hinc te dixerunt (3) Polenicen nomine gentes.
Namque triumphalem veſtra virtute relatam
Victor ubi palmam merui, pelagoque remenſo,
Victrices tandem convertam ad Patria puppes
Littora, complexu quà Siren jungit amico
Seſe Pauſilypo, & felices ducit ad umbras
Otia, Nereidum cœtu ſociata beato.
Vati ubi materni ſub aprico colle vireſcunt;
Et placidè Zephyris perflantur mollibus horti.
(Si mihi tam longum concedat Juppiter ævum;
Mitior atque lues ſinet, & præpoſtera cura)
Prælia veſtra canam victricia, veſtraque totum
Mœonio nitar cantu portare per Orbem
Clara trophæa, Duces, laudesque efferre ſub aſtra;
Quin etiam memor accepti monumenta favoris,
Æquoreos ſtatuam ludos, quos tota quotannis
Pauſilypi ad littus celebrabit Olympia pubes:
Qui pugnæ ſimulacra gerant, quique inclyta facta
Laudibus egregiis ventura in ſæcula portent.
Nunc agite, & quoniam campo jam claſſis aquoſo
Explicuit ſeſe, ſplendetque ſub ære juventus,
Atque tubæ, & tormenta tonant Vulcania, pugnam
Incipiamus; adeſt ventus, Numenque ſecundum,

Ergo

(1) *Colubrine* Italis audiunt.

(2) *Iſola delli Gerbi*, quæ ponte ligneo cum Africæ continenti Tripolitano in Regno jungitur.

(3), (3) *Vinciguerra*, è Collalti Comitibus Eques Hieroſolymitanus, de quo redibit ſermo.

Ergo ubi jam tempus certamen inire, sub ipsa
Quæ stant fronte rates instructæ, & prælia prima
Modus ineundi certaminis exponitur.
Sorte quibus tentare datum, mora nulla, secundis
Præcipe tum ventis, Prætor, contendere in hostes.
Mox ubi, torta fugit quantum pila ferrea, pinus
Distabunt turritæ æqualibus intervallis,
Continuò latus obvertant, & ahenea turres
Hostiles contra explodant tormenta, favillis
Excussis de reste, facem quæ combibit ante.
Interea celeres tormenta explosa ministri
Sulphureque, nitroque onerent: rursusque reducant
Æra fenestellis, quà machina mugit in hostes.
Mox ictum rectà librent, ut certa metallis
E raucis vibrata rates pila verberet imas:
Inque imas semper ferrum torquete carinas.
Nam sic multiplici disruptæ vulnere, multum
Accipient inimicum æquor, plagisque fatiscent.
Quò tandem laxis pereant compagibus, aut se,
Ars evertendi malos, pilis invicem nexis è tormento explosis.
Ne mergantur aquis, dedant victoribus ultrò.
Quorundam inventum est virgis palmaribus ære
E solido, circoque simul versatile nexis,
Aut geminis onerare pilis, quas circulus unà
Vinciat æratus tormenta, & pulvere multo.
Directumque ictum malos convertere in ipsos.
Sic bifida horrendo mox fulmina missa boatu,
Certiùs ipsa petent canentia vela, rudentesque
Et malos, corbesque, & turrigeras antennas.
Sic etenim velis, quibus Euro afflante ferebat
Sese per fluctus turrita mole carina,
Sic malis, atque armamentis exarmata navis, velut avis sine pennis, nullo negotio capietur.
Exarmata freto in medio torpebit uti ales,
Cui celeres ictu pennas venator ademit:
Ut cervi, cui crura leves fregere sagittæ.
Quam sic nudatam, nec circumferre valentem
Per medios sese fluctus, & cœrula ponti,
E latere invades actutum, & victor habebis.
Non ea sed te prætereat, Dux, cura carinas
Naves in pugna vulneratæ sarciendæ.
Ære tuas valido pulsas sarcire: patescunt
Namque etiam serti, atque inimicis ictibus illæ.
Ne dum tota hosti conniteris arte nocere,
Te tùm despicias ipsum, sociosque tueri.
Et qua industria.
Fac ergo assidui diffractos verbere truncos
Adnexo juvenes componant robore, lamnis
Seu radio affixis obducant vulnera puppis:
Et pice suffusa liniant, ceràve tenaci,
Materies quæ multa tibi sit semper ad usus.

Perge

Perge, calet medio Mars gurgite; plurima pubes
Si tibi sit, Consul, confestim invadere pinus
Hostiles conare, ipsis & cominus armis
Rem brevibus perage, & concessas exere vires.
Luctator veluti, cui fortes corpore nervi,
Articulique vigent duri, se protinus hosti
Obiicit, & jactis circumdat membra lacertis.
At si pube viget contra adversarius, alnos
Tunc, Dux, tormentis inimicas longiùs arce
Continuò explosis, Vestàque ardente domato.
Ceu robustus ubi mediis è saltibus exit
In certamen aper, validi cui robore dentes,
Et vires multæ in membris, & fervida flagrat
Ira: canes circùm quem decertare parati
Præcingunt validi, non cominus impete cœco
(Namque etiam ingenium brutis animantibus, usi
Quo valeant nutrire suam, & defendere vitam)
Hi monstrum contra irrumpunt, sed prælia longè
Exercent, magnisque priùs latratibus urgent.
Hàc, illacque agiles replicatis saltibus illum
Arcent solliciti, cursuque frequente fatigant:
Quò tandem multo lassus luctamine sese
Demittat: rapido tum saltu cominus illi
Ilicet aggrediuntur, hianti & gutture cædunt;
Discerpuntque feri rabie, domitantque, necantque.
Viribus at totis, Prætor, conabere (1) Cori
Ne concessa tibi felicia dona sagaces
Præripiant hostes: nam sic spiramine læto
Descendent contra subiti, cædemque reponent.
Quin immo de puppe tibi cùm sibilat aura
Præsenti Zephyrus, viresque, animosque ministrat,
Utere sorte data, mediosque immitte per hostes
Flammivomas puppes, quæ dura incendia classi
Adversæ portent, nimboque, ignique tonanti
Ilicet involvant, flammisque voracibus urant.
At tibi ne incassum recidat conatus, aquosos
Per Nerei campos illarum dirige proras;
Ut recto cursu, certoque ferantur in hostem
Tempore: sic certa flammis ardentibus hora,
Directoque alni venientes tramite quibunt
Incursare rates, latèque involvere nimbo
Sulphuris horrifici, subitaque absumere flamma.

Si pubes plurima, statim inimicæ naves invadendæ.

Si secus eminùs tormentis res peragenda.

Curandum, ne inter dimicandum ventum præripiant.

Incendiariæ, cùm ventus favet, in hostes immittendæ.

Quod ut feliciter cedat, rectà, & certo tempore dirigendæ.

Ut verò è sententia res successerit, urgendum est prælium.

Ergo

(1) *Togliere al nemico il vantaggio del vento.*

Ergo age, prævalida si Cori Mulciber aura
Irritatus agit magnis incendia flabris,
Classem inimicam inter; tu Prætor, protinus acrem
Pugnam urge, & totam tormentis disiice ahenis,
Quæ turpem si fortè fugam meditetur; iniquo
Nimirum vento, Vulcano, & Marte laborans,
Præcipe tum dextram pinus, lævamque tenentes
Hostem in cedentem plenis descendere velis,
Atque fugam vasto maris intercludere campo.
Attamen id faciant, servatis versibus, alto
Ordine ne rupto spargantur gurgite, & unà
Amittant de puppe Noti spirantis amicum
Arbitrium: quo tota uno victoria pendet.
Nam sic ille citò conversis acer habenis
Circuitu longo poterit tibi commoda venti
Præripere, atque iterum pugnam instaurare labantem:
Jam victis quæ sæpe dedit solertia palmam.

Cum fugiunt hostes, geminis cornibus, fuga intercludenda.

Verùm si medio in cursu comprenderis alnum,
Quæ pelago se pigra ferat, torpentibus alis,
Ictibus acceptis, confestim fortiter illam
Aggredere: umbrosis veluti cum saltibus aprum
Fortis habet multo venator vulnere tardum.
Et velut hic unco, fugiat ne fortè, refixo,
Robustus tenet; interdum nam viribus ille
Collectis visu se subtrahit: ipse morantem
Non aliter puppim, conjecto protinus unco,
Hostilem comprende, illamque rudente revinci.
Post ubi vincta, labor superest, conflictus & ingens:
Scilicet objecti lateris perrumpere septa,
Fraxineos muros superare, & scandere in arcem
Æquoream, ut niteas navali tempora serto.
In primis igitur (1) lorica navis ab alta,
Ut defensores nece multa expellere possis,
Ignea mala tuos confestim mittere in hostes
Præcipe Dux: plumbique simul fac missilis imber
Defluat assiduè canna breviore retortus;
Nudatus donec pateat tibi pineus agger.

Si qua navis amissis velis, a reliquis distracta, ilicet invadenda.

Qua arte in illam irrumpendum. Et eminus primùm.

At turris si septa ferox lateralia miles
Servet, & obnisus multo conamine pugnet.
Acrior invades stricto tum cominus ense,
Et rigida simul objectum diffringe bipenni
Fagineum latus: atque viam tibi sterne sub arcem.

Mox cominus distracto ense bipenne.

At

(1) *Bordo, o fianco della nave,* Italis, aliisq; gentibus dicitur.

At verò ut primùm turbatus ceſſerit hoſtis,
Actutum, inſilias nudatam victor in alnum.
Atque hic te, Dux, admoneo, ne fraude maligna
Deceptus caſſem ſubeas: nam ſubdolus ille
Interdum tabulata ſuper flammantia ſpargit
Sulphura: & incautus cum primum deſilit intus
Adverſarius acer, acuto & detonat enſe,
Incendit, ſtragemque infert ſine more tremendam.
Idcirco juvat ante locum ſpectare: neque unquam
In victam cœco prorumpas impete pinum.
Quin etiam poteris priùs ipſe immittere reſtim
Sulphuream, ut fraudem tibi detegat, inque doloſos
Quæ cadat auctores, pœnamque reſumat ab ipſis.

Cum verò victor irruperis, cavendum ab igne: ideoq; cautè agendum eſt.

Et ſi deprenſus pyrius pulvis eſt, in illum ſulphurea immittenda reſtis eſt.

Aſt illud tibi majus erit perſæpe timendum,
Dux Romane, furens rabie ne barbarus atra,
Nempe ignominias, & victi nomina ferre,
Impatiens, pyriam conjecto fomite, (1) cellam
Incendat, rituque fero, atque immanibus auſis
Devoveat ſeſe Diris, & vindicet igni.
Hoſtis ne palma victor potiatur, iniqua
Sorte perire juvat, flammiſque ardere voluptas.
Victorem, victumque pyra comburier una,
Eſt aliqua, eſt etiam victoria. Tam fera mentes,
O' pudor, humanas cepit dementia! tantùm
Pectora vindictæ ſtimulus mortalia torquet?
Non hæc eſt mentis conſtantia, non generoſi
Vis animi, rerum diſcrimina nulla timentis,
Quæ Fortuna ferat contraria, quæ varians Mars.
Verum eſt imbellis, forti qui pectore ſeſe
Vincere, in adverſum nequit & conſurgere Fatum.
Quippe inimica premit cùm ſors, caſusque ſiniſtri,
Haud equidem vitam miſero contemnere multum eſt.
Aſt animi virtus fortiſſima, robur aheni
Pectoris, arbitrium ſortis perferre, neque unquam
Adverſis vinci Fatis: generoſus & ille eſt,
Qui valet eſſe miſer, ſævamque evincere ſortem.
Sed quid de tali virtutem pectore quæro?
Cui non humani ſenſus, cui nulla feroci
Eſt pietas innata animo: riget aſpera tantùm
Barbaries, & bruta rigent rabieſque, furorque.
Dicite crudeles gentes, quæ lacte ferino
Pavit Hyperboreis vos mater ſæva ſub antris?

Majus periculum, & vix vitandum cùm hoſtis cœcus rabie pyriam cellam incenderit.

In hujuſmodi inſanam rabiem acriter Vates invehitur.

(1) *Santa Barbara*.

An Pistris fuit illa ? vel hac immanior Orca ?
An quæ subjectos vos despicit Ursa ? maligni
An rigor ille poli mores animo indidit atros ?
Anne fero commixta Erebo, & caligine cœca
Vos æterna sinu nox obsita fudit : & ipsæ
Eumenides genitos vos suscepere sorores ?
Quæ mox anguineo lactantes ubere, tetrum,
Immanemque animis instillavere furorem.
Quo sensus crevere truces, & barbara corda,
Digna parente Erebo, & Diris altricibus ipsis.
Vulcano quibus est potiùs flammante cremari,
Quàm sit victori fasces submittere, & æquo
Ferre animo, Mavors, & sors quæcumque pararint.
O precor, ò miseri Stygios dediscite mores;
Quos non Hircanæ, quamvis feritate potentes,
Non Lybicæ coluere feræ, non Dipsades, & qui
Æthiopum seposta tenent deserta dracones.
Naturam vestram induite, & revocate relictam
Formam hominis, revocate animos: communia vos ò
Juraque Naturæ moveant, legesque Deorum.
At vos Romulidæ, sacrum genus, indita magnis
Pectoribus quibus est pietas, generosaque menti
Virtus, Fata super quæ se, casusque sinistros
Altiùs attollat, tales imitarier unquam
Non sit barbaricos mores insana cupido.
Sed pietas Romana magis, legesque Deorum
Evaleant. Quid plura moror ? non talia fervens
Mars sinit ulteriùs producere. Post ubi victi
Aggeribus retulere pedes ignaviter hostes,
Irrumpe actutum, victàque potire carina.
At si fortè hostis summà se puppis in arce
Muniit, & creber plumbatis perfurit : ipse
Infartis lana saccis, tabulaque tuere
Pectus ab imbre fero, cautèque accede sub arcem.
Quique latus munit fac ut Falcunculus hostem
Fulminet adversum, turrimque effringere certa.
Interea ne qui prora stat miles in alta
Hosticus explosa feriat te glande caveto.
Illud at in primis animo vitare sagaci
Nitèris, ne miles ubi tuus insilit alnum
In victam, vacuam tum defensore carinam
Irrumpens citus adversarius occupet, & se
Mox victor victæ jungat, servetque labantem;
Idcirco alata sit semper plurimus arce
Miles, ut insultus possit pulsare ruentum.

Romanos hortatur, ut ab immani more abstineant.

Quid agendum, cùm hostis in puppis castello se communivit.

Cavendum, ne in conflictu vacua defensoribus propria navis relinquatur.

Idque

Idque mali sociæ pariter defendere pinus
Tum poterunt; celeri si cursu ferre carinæ
Præsentem nitantur opem. Sed protinus alter
Jam labor ingreditur magis arduus. Est ubi pugna
Rostratas inter naves: quia scilicet illæ
Occurrère sibi solæ Tyrrhena per alta,
Vel quia sub vastis conclusi rupibus Euri
Veligeras nullis impellunt flatibus alnos.

Quid cùm inter solas longas naves certamen est.

Ergo agite, ò Divæ, & quoniam nova prælia Vati
Consurgunt dicenda, novas in carmine vires
Sufficite, atque novum fessis date mentibus œstrum.
Vos &, Tritones, totas intendite conchas
Afflatu, & calidos majori murmure in arma
Irritate animos, acremque accendite pugnam.
Ergo ubi Mars rauco signum dedit ære, Thetisque
Immugit concussa sono, & perfervida remis
Æstuat intercisa vadis spumantibus; & jam
In luctam rostris occursant obvia rostra:
Nautica displodi jubeas tormenta, carinæ
Adversæ quæ septa petant, scindatque tonitru
Vi portentifera: celeri, mora nulla, volatu
Appete mox rostro rostrum, & proprioribus armis,
Castello ex alto proræ certamen inito.
Hinc ubi connisus turri pulsaveris hostem,
Insili in adversam, cuneo densante, Triremem.
At verò ut juvenes irrumpant tutiùs, ictus
Lethales contra plumbi, munire trilici
Lorica, galeaque gravi, parmaque memento.
Quin etiam fac pila ferant, protrudere ut hostem
Evaleant, hastasque breves, queis spicula longa,
Lataque sint præfixa, queant præcidere quicquid
Obsistit contra, ascensumque moratur in arcem.
Ollis idcirco pariter sit acuta securis
In promptu, sit clava, & duro malleus ære.
Ast in confertam quoniam descendere proram,
Ardua res, multisque occurrit plena periclis,
Quocirca juvenes quibus hæc data gloria, fortes
Sint animis, agiles sint corpore; sintque periti
Navali pugna, medias & nare per undas.

Primùm tormenta explodenda.

Mox rostra rostris petenda: & jucundum certamen est.

Et quibus præscribitur, & ut præcauto opus sit.

Et quàm fortes sint juvenes, qui in proram inimicæ puppis insiliunt.

Perge, moræ cœptis semper felicibus obsunt;
Invertuntque vices. Primo Fortuna labori
Cùm favet, & Mavors se dat pugnantibus ultro,
I, sequere: ut valido miles tenuit pede proram,
Insiliens victor, castello exturbet ab alto
Hostem obluctantem, & capto se muniat illo,

Ubi feliciter proram occuparunt, è castello hostem exturbent.

Aggere navali, confeſtim robore facto
E duro, plenisque levi ſeu vellere ciſtis.
Hinc auctus ſociis ab amica puppe receptis,
Irrumpat confertus, & enſe, & fiſtula ahena;
Vique (1) foris potiatur, agens cædemque, necemque
Hoſtibus adversùm ferro pugnantibus, & ſe
Continuò è mali ſepto tutantibus, ære
Exploſo, & ferro, & præacutis cuſpide pilis.
Aggere quo tandem, vi facta expellere totis
Viribus adniſus conabere, & arce potiri;

Lembis armatis latera inimicæ navis oppuguanda.

Quæ poſtrema manet puppi turrita ſub alta.
At verò ut facilè evaleas, nec ſanguine multo
Bellantum tibi roſtratam ſubmittere pinum,
In latus armatas jubeas utrumque liburnas,
Aut celeres lembos inimicæ irrumpere turris:
Et crebrò glandes torquere, ignesque nocentes.
At te ne ſimili petat adverſarius aſtu,

Quæ muniri ad hoc malum propulſandum, Falcunculis ſolent.

Et vacuam caveas puppim transverſa ſubintret.
Nonnulli ut quirent hoc propulſare periclum,
(2) Aſpidibus ſpondas obfirmant navis: in illis
Seu tormenta, quibus vulgò cognomina (3) Petræ,
(Impete quas valido, longèque per aëra vibrant,)
Fecere, hàc, illac ſua per diſcrimina ponunt.
His etenim exploſis, aſtuta ut fervidus arte
Invehitur, facile eſt hoſtem pulſare ruentem:
Et ſi Sors dederit, venientem apprendere pinum.
Aſt hilaris prima ſi poſtquam fronte refulſit
Incœptis Fortuna tuis, mutata repentè,
Averſo refugit vultu, Mars & tonat atro
Deſuper incumbens nimbo, tum Prætor acerbo

Quid, cùm adverſo Marte pugnatur, agendum Prætori ſit.

Confeſtim fato occurres generoſus: & acri
Ingenio, fortique manu amolire ruinam.
Ingenio nam ſæpe, manuque evincere Fata
Conceſſum: præſtantque animi, & prudentia ſorti.
Ergo novis hoſtes ſociis in ſepta receptis,

Recens ſubſidium immittendū, ac recedentes firmandi ſunt.

Si dare terga tuos cogunt, proramque reverti;
Auxilium tu mitte recens, delecta virorum
Corpora, qui ſaltu jaciant ſe præpete in alnum
Succedantque citi pugnæ, firmentque ſuorum
Nutantes animos, & prælia verſa feroces
Reſtituant. Quos interea tu fervidus ore
Accendes dictis, laudemque, & prœmia ponens

Ante

(1) *La Corſia*. (2) *Falconetti*. (3) *Pretere*.

Ante oculos: & ni vincant mortemque, probrumque:
Quippe valent extrema animum irritare calentem.
Sed neque si in capta valeant statione tenere
Se, deluctantem nec pellere fortiter hostem,
Præcipe, ut in propriam sese æquis passibus arcem,
Cedendum, Fortuna negat quando invida laurum,
Deducant. Verùm multa hic solertia habenda est;
Ut pubem tuto possis servare recessu.
Castello è proræ redeuntis terga juventæ
Urgentes crebra globulorum grandine longè
Arceto, & jactis iteratis pulsibus, ollis.
Sint & qui socios, saltu sua rostra petentes,
Suscipiant, scutisque tegant: circùmque recurrant
Veloces lembi, quò se demittere possint
Armati, & medias si fors labuntùr in undas,
Accepti dextra in cymbas serventur amica.
At si principio vultu non annuit æquo
Mars tibi, vel subito mutatis Æolus auris,
Adversus perflet, sperati ut nulla triumphi
Spes niteat, cœptæ tum Prætor subtrahe pugnæ
Te, classemque, datis confestim in flamina velis,
Quæque suo puppis versu decedat: & omnes
Omnia nitantur ventis dare lina secundis.
Quin & circuitu longo sinuentur, ut ipsis
Præripere evaleant spirantes hostibus Euros.
Nam sic securo classis subducta receptu,
Hostiles potis incursus vitare: citove
Conatu rursus certamen inire secundis
Auspiciis. At si malè cœptis protinus ipse
Detrectet pugnam adversarius, ilicet alnis
Tum levibus cursu præmissis præpete, longo
Præcipies, Prætor, gyro circumdare classem,
Præreptoque fugam vento intercludere, & acri
Remigio: reliquæ dum se in certamine puppes
Ventoque, remoque ferant. Sed jam subit alter,
Nec minor ille feri Martis labor: Ergo age campum
Ingrediamur: erit nam major adorea, & ingens
Gloria: rostrata sunt nobis prælia classe
Turrigeros contra Gaulos, Coroque volantes
Committenda; petit cùm res, & talia Fatum.
Nam secus haud tanti tentanda est alea belli.
Quippe impar nobis miscenda est pugna. Secundis
Auspiciis Vati faveas, RAMBALDE, canenti
Majorum laudes, atque inclyta facta tuorum:
Dumque tui egregios Polemices versibus ornat

Au-

Quod si neque his subsidiis remitti res poterit, receptû canere opus est.

Quæ adhibenda in receptu cautio sit.

Si principio adversa pugna, aut venti in contrarium reflent, à conflictu abstinendum.

Quod si hostes fugiant, è vestigio insequendi.

Subit pugna longarum navium cum Gaulis.

Apostrophe ad RAMBALDUM Mæcenatem.

Ausus, inque ævum conatur ferre perenne,
Tu vires, œstrumque seni concede. Ubi Mavors
Jam tonat ære cavo, teque in certamina poscit.

Qua ratione hujusmodi certamen ineundum.

Artibus his, Prætor, venies instructus in æquor;
Si læto venti flant murmure, cominus hostem
Ne citus aggrediare: Euro nam maxima Gauli
Corpora versantur facilè; assiduoque rotatu

Si venti spirent, longa in cycladem classis instruenda.

Explodunt tormenta, ratesque impunè per omnes
Mille neces, totidem portant per vulnera: longa
Idcirco totam sinuabis cyclade classem;
Ut tormentorum valido se subtrahat ictu.
Et pugnam duc in longum, quò flamine tandem
Ventorum fracto subsidant molliter undæ,
Et sese pigri vix flectant gurgite Gauli.
Tum tibi Mars quando, & pacatis Æolus auris

Cum verò spirare desinent auræ, cominus certandum, & quibus modis.

Annuit, in lento torpentes æquore pinus
Continuò aggredere, & totis te viribus infer.
Mox ubi remigio celeri transvecta carina,
Puppis in hostilis præfixit pectore rostrum,
Et tenet: Ut cursu cervum pernice secutus
Comprensum valido tandem premit ore Molossus:
Castello è proræ juvenes certare jubeto
Missilibus crebris, mediamque irrumpere in arcem.
Ast alto quoniam Gaulorum vertice surgunt
Mœnia Penteris super arcem: atque hostis ab illis
Tela in subjectos torquet feliciùs, ære
Disploso, pilumque manu robustior urget;
Idcirco factu res ardua, se super illam

Idem Gaulus pluribus rostratis invadendus.

Mittere pernici saltu, pinnasque tenere.
Quare opus est magnis animis, & robore forti:
Arte opus & multa Ducis est, astuque sagaci.
Ergo age, Partheniæ præcepta edisce Camœnæ.
Pluribus invadi rostratis, Prætor, eundem

Testudine militari defendenda à missilibus pubes, quique agiles, fortesque in navim insiliant.

Præcipies Gaulum: varia sic parte juventus
Hostilis distracta, diu certamina ferre
Haud poterit, puppimque tibi concedet habendam.
Fac tua præterea pubes, testudine facta,
Defendat sibi tela super labentia, & ignem,
Desuper horrendo stridens qui depluit imbre.
Intereà membris agiles, & saltibus apti
Si qui sunt juvenes, animisque ad grandia facti,
Insiliant, murosque super victricia figant
Vexilla, & sociis aditum mucrone recludant.
Sunt antennarum qui grandes vertice corbes
Suspendunt, intusque locant delecta virorum

Cor-

Corpora, quæ parvo siphone armantur, & ense,
Et levibus læva parmis de more teguntur.
Antennas mox demittunt, corbesque carinas
Intus agunt: saltu confestim præpete ab illis
Exiliunt juvenes: cavea ceu turba leonum,
Erumpunt patefacta, & dente minantur, & ungue
Mille neces, raptantque avidi, mactantque, vorantque,
Sic pugnatores: mediosque feruntur in hostes:
Atque acres pugnam instaurant: cæduntque, necantque
Frustra obluctantes: Interdum his fortibus ausis,
Ingentes Gaulorum arces in gurgite captæ.
Hæc Rhodii primùm generosi inventa Gradivi
Eduxere Equites, quorum est ad fortia niti
Facta per egregios ausus, dextramque potentem.
Tanta illis flagrat laudis, palmæque cupido.
Sed qui magnanimo, cui tanta audacia cordi,
Quo rerum casu, qua tempestate, canenti
Dic age, tu Clio, quæ facta illustria doctis,
Et monumenta soles Heroum condere chartis,
Immemori, tu Diva, precor, succurre, viamque
In sacros mihi pande aditus, roburque ministra.
Immensam Gauli molem Regnator Eoi
Struxerat Othomanus: Nimirum splendida luxus
Barbarici pompa, argumentum & grande futurum
Majestatis, opumque: leves turrita sub auras,
Cyclas uti medio nans gurgite pinea turris
Surgebat: Delum potuisses credere Phœbo
Insignem, Gyarumque fretis spumantibus actam.
Quin & Dædaleo multum sudata labore
Errabat pelago moles, atque illita fulvo
Tota auro, tota & miris cælata figuris.
Nam puppi in media dicentem jura Tyrannum
Eois latè populis, solioque sedentem,
Sculpserat insigni dextra, studioque magister.
Quem circùm proceres, primosque ad jussa ministros
Accipienda: Ducis vidisses ore jubentis
Attentos pendere, humilesque capessere leges.
Hinc dextra, lævaque throni cælarat ephebos,
Queis aulæ cura, & Regis commissa: decori
Ore omnes nitido, & primævo flore juventæ:
Atque opere insignes Phrygio, textuque superbo.
His super in latere admirandæ puppis utroque
Othomanum quotquot regnarunt ordine Reges,
Quemque sua facie, & propria sub imagine cælo
Finxerat: expressos potuisses noscere vultus

Ex corbibus ab antenna suspensis animosiores in hostilem navim saltant.

Rhodii primùm Equites audacia hæc inventa eduxerunt.

Musam invocat, ut qui primus inventor fuerit, ipsi memoret.

Ingens Gaulus ab Rege Turcarum instructus fusè describitur.

Mira puppis sculptura depingitur.

Et utriusque lateris ubi Othomani Reges in auro cælati visebantur.

Cun-

Cunctorum, propriasque notas: sic arte magistra,
Ad vivum species, atque ipsa effinxerat ora.
Dixisses, si verba darent, & vivere in auro.
Hunc pictus vectabat equus, spadiceus illum:
Vestibus insignes ambo, nitidoque galero,
Et gemmis dites, niveisque adamantibus ambo.
Hic pugnans inter bellantum millia, ferrum
Per densos cuneos magna cum clade rotabat.
Huic urbes, & regna dabant se victa: superba
Centauro invectus sulcabat pluribus ille.
Navibus Ægæum, Cycladesque ad frena vocabat.
Huic opere Attalico variatum, & textile limbo
Pro patrio super incumbenti more tapetum
Legati Regum venerati dona ferebant.
Ast illi gentes domitæ, populique tributa
Ante pedes humiles mittebant. Ille patenti
Metabatur agro sua castra; potentesque
Urbes obsidio cingebat, & ære tonanti
Urgebat, juvenum & crebris assultibus acer.
Quin etiam pictæ præfixam vertice puppis
Argento è solido sinuantem cornua Lunam
Fecerat, Eoi gentilia signa Tyranni.
Addideratque pharon puppi, quæ nocte sub alta
Obscuras nitida pulsaret luce tenebras.
Et Proræ mirum opificium.
At verò in prora geminos hinc, inde Colossos
Finxerat Æthiopes, ebenoque insculpserat: uni
E niveo dentes ori indiderat Elephanto,
Cruraque distortos, longa cervice, capillo
Vibrato: curvæ qui grandia rostra carinæ
Complexi, magno fulcibant robore nisi.
At reliquum Gauli corpus, quod mole superba
Conspicuum supra campos extabat aquosos
Floribus insculptis, flavoque rubentibus auro
Interstrictum oculis effecerat, atque decoro
Pulchrum opere, & pulchrum signis, & divite luxu.
Præterea fucati auro splendente micabant,
Et mali, & corbes, & veligeræ antennæ,
Ipsi & erant fulvo funes de vellere torti
Bombycum, floccisque auro de ductile pulchri:
Nimirum ut Zephyri spirans lascivior aura
Luderet, excursumque daret per salsa secundum.
Et fluerent luxu mollitæ leniùs undæ.
Filius Othomani Regis tam mirabili navi vehebatur, ut Mahometi delubra viseret; eique donaria ferret.
Imperio è toto delectæ ad prælia pubi,
Atque Duci egregio tantam commiserat arcem
Pignora chara quibus sua crederet. Ille superba

Namque

Namque hac, quam luxu tanto construxerat, arce
Dilectum Othomanum Regni, Fortuna paterni
Munere quem Divûm sua post matura manebat
Fata sub Ægyptum mittebat; ut inde rubenti
Vectus Ærithræo peteret delubra reposta
Numinis infandi, & sua vota exsolverat aris:
Ditiaque offerret Mahometi dona: nitentem
Gemmarum cumulum, quas plurimus arte magistra
Encausto in fulvo, & sua per discrimina thecis
Auratis opifex innexerat; orbis & instar
Curvarat, medio nitidus fulgebat acervo,
Atque ingens adamas: deni fulgore micabant,
Titanem circa rutilum velut astra, pyropi.
Hos circùm viridi centum splendore smaragdos
Cernere erat, miro connexos ordine: curvo
E limbo cumuli pendebant undique centum
Candiduli, atque auro religati ductile Elenchi.

Scilicet ditissimum gemmarum cumulum: qui fusè describitur.

His super addiderat geminos donaria Mundos.
Unus erat nivea crystallo effictus: & illum
Sidera quot prima, in totidem distinxerat orbes:
Gyris inque suis errantia fixerat astra.
Prima renascenti fulgens argentea cornu
Delia stellati metas pulsabat Olympi.
Fecerat inde opifex ingentem Ægyptius orbem:
Inque illo Solem cælaverat: omnia mundi
Qui videt, & longo complectitur omnia flexu.
Hinc magni circùm flammantia lumina Solis
Crystallo geminos curvarat fusile circos:
Hic minor, & Soli propior, te summe Deorum
Nuncius, insigni ardentem fulgore tenebat.
Te, Venus orbis amor, divûmque, hominumque voluptas
Luce coruscantem pura, complexus habebat
Alter, circuitu qui se majore rotabat.
Sed totum paribus lustrabant passibus ambo
Signiferum, paribusque annum cum Sole diebus.
Exin quintus erat magno curvamine ductus
Circulus, & mundi circùm versatilis axem.
Sanguineo hic Martem fulgentem lumine multis
Ducebat gyris, intricatoque meatu.
Quique sequebatur post hunc vastissimus, ille
Luce Jovem nitida radiantem, & præpete cursu
Per totidem duodena annos stellata meantem
Signa, supra Solem, & mundi convexa trahebat.
Proximus huic Pater, & longo tardissimus ævo
Septeno affixus circo veniebat: & igni

Et duos globos, quorum unus cœlum, & sidera: quæ quàm fusissimè depinguntur referebat.

Plumbeus ardebat, dejecto & pallidus ore;
Mȩrorem Divi referens, vultumque malignum.
Hunc circumplexus, reliquosque volumine vasto
Inclusos orbes, Elementaque cætera mundi
Astriger orbis erat, miro cælamine, & arte
Effictus, variaque nitebat imagine pictus.
Namque peritus eo tot sidera fixa magister
Cælarat, cœlo quot cernimus, humida cùm nox
Labitur Oceano, sudoque per aëra curru
Invehitur, somnumque ægris mortalibus affert.
Quin & imaginibus complexus singula certis
Formisque, numerisque, situque effinxerat ipso:
Ipsa per & spatia, & discrimina nota locarat.
Hìc erat Heniochum, celeremque videre Sagittam,
Et Cepheum, pluviasque Hyadas, Aquilamque, Lyramque
Arcturumque, Canemque, Lycaoniosque Triones.
Delphinumque poli nantem per lucida, Cetumque,
Et procul Argolicis gravidam vectoribus Argo:
Cujus in extrema fulgebat puppe Canopus.
Subter & Indus erat jaculator corpore nudo:
Versicolor Pavo, & Doradas, & Olympius ales:
Quotquot & adverso stellæ sunt axe repertæ.
Parte alia Andromache stabat religata, feroxque
Perseus, horrificæque rubebant ora Medusæ.
Leniter Eridanus fluvio radiante fluebat.
Et stellis candebat Olor: pennisque volabat
Pegasus astrigeris, lucentibus & pede fontem
Eliciebat aquis stellata è rupe; Poetæ
Flumina quæ crebrò libant dulcissima, & aureo
Cassiopea sedens solio; sertumque Coronæ
Gnossiacæ, Craterque nitens, atque Herculis astrum.
Per medium longo complexu signifer omne
Obliquus cœlum circumdabat, inque figuris
Bis sex egregia cælatis arte nitebat.
Lactea quin etiam candebat semita: magnos
Quà stratum ad Superos iter est, tectumque Tonantis,
Omnia sed longum quoniam comprendere versu,
Cuncta videbantur crystallo sidera in alba
Docto sculpta opere, & cœlo variata magistro,
Inque suo descripta situ, & discrimine certo:
Cœruleoque sile, & minio interpicta rubenti.

Alter terrarum Orbem repræsentabat: in quo omnes terræ, ac maria, flumina, montesque depicta quàm solertissimè erant.

Alter at ex ebore, & torno radente politus,
Et terras omnes referebat, & omnia Ponti
Æquora: nam totum solertia scita magistri
Illo terrarum, pelagique insculpserat Orbem.

Ille

Ille hic occiduo non longè à cardine cœli
Europam, Libyamque freto illabente revulsas
Fecerat: hinc Abylam, Calpemque erexerat illinc,
Herculeas olim metas, atque ultima Mundi
Limina: perque sinum terrarum infuderat omnia
Inclusæ Thetidos vada salsa: & litora circùm
Europæ atque Asiæ, Libyæque induxerat undas. Veteris Orbis descriptio: quæ ab Italia capit initium.
Inque sinus, flexusque omnes curvaverat, illic
Quod pelagus supra poteras, quodque alluit infra
Cernere, & Jonium cum turrigero Ægæo.
Insulæ & in media quotquot sunt Doride pictæ
Orbe super cunctæ prospectabantur eburno.
Quarum, Tyrrheno quæ surgit maxima ponto
Italiam juxta, pelagi discrimine parvo
Finxerat: & Scyllam supra, sævam que Caribdym
Infra: verticibusque hærentes pinxerat alnos.
Dextra Asiam, & primi spectantem lumina Solis
Sculpserat: extremoque locarat margine Seres.
Et contra roseo disclusam gurgite Chrysen.
Oceanum supra glacieque, & nocte rigentem,
Atque ignota tenus cælarat regna sub axe.
At magnum Eoi Oceanum depinxerat infra,
Inque diem medium diffuderat. illius amplo
Tot dederat gremio terras innare, quot acris
Jam nostri tandem solertia prodidit ævi.
Exin Oceanum per fauces ire rubentes
Jusserat Ægyptum, & sub thuriferos Nabathæos,
Perque sinum gemmis baccatum Persidos, usque
Tigris, & Euphratis communia duxerat ora.
Faucibus inque ipsis Armusia picta: patentem
Inde Thetin, flavo meruit quæ nomen ab Indo,
Purpureis pinxit cum fluctibus; inter & ambas
Indorum terras longo Gangetica gyro
Æquora curvarat, Ganges quæ gemmeus unda,
Vasta per ora fluens, nitidaque insignit arena.
Hinc supra Seres deduxerat, inque supremos
Ire Scythas jussit, tenebrosaque littora mundi.
Parte alia Æthiopes profudit ad usque remotos,
Inque plagas Austri, & nondum lustrata carinis,
Si quæ diverso cœli stant regna sub axe.

Insuper Ammerice, rerum pars quarta nitebat Novi Orbis, & Oceani terrarumque, quæ in eo sunt, enarratio.
Alterna de parte globi: cælataque duplex
Magna videbatur peninsula, & una sub Arctos,
Altera in Austrinum tendebat strictior axem.
Ignea ab adverso tellus, magnisque rubebat

Flammis, ambuſto mittunt quas vertice montes.
Non uno has inter flexu freta conſita crebris
Cautibus, & curſum pelago alternante fremebant.
Anguſtus geminos orbes jungebat amico
Iſthmus complexu; terræ diſcrimine parvo
Oceanum ſpectans geminum vaſtiſſimus Atlas
Hinc fluit, eque novis antiquos dividit orbes.
Illinc Pacis amans immenſis fluctuat undis
Oceanus, ſeſeque mari permiſcet Eoo,
Omnino noſtris ignotus patribus: illum
At nunc audaces jam ſulcavere minores
Latè omnem, terrasque novas adiere, novosque
Invenere homines, nova bruta, aliasque ſub undis
Nare feras, lucere polo nova ſidera, & agris
Ipſam aliis etiam Cererem flaveſcere ariſtis.
Præterea primos terrarum ſedulus orbes
In ſua regna, ſuas in partes pinxerat, arte
Singula complexus ſolerti, & nobile cælo.
Hìc ſurſum montes eduxerat, atque nivoſis
Partim verticibus, partimque ornarat opacis
Culminibus, ſilvas quibus internexerat altas.
Hìc vallesque cavas, & confraga fecerat: inter
Has reſono dederat perlabi murmure rivos.
Hìc latè campos extenderat: hìc vaga curſu
Grandia multiplici ſinuarat flumina flexu.
Hìc & ſtagna, lacus hìc ſculpſerat: hìc nitidus fons
Rupe videbatur viva prorumpere: & illic
In colles, clivosque humiles conſurgere tellus.
Hìc cultam cęlarat humum: campeſtriaque hortis,
Et Cerere induerat, miti clivoſa Lyæo.
Hìc deſerta unis ſqualentia ſemper arenis;
Magnas hic opifex urbes, & mœnibus illic
Incluſas arctis, hìc pagos addidit, atque hìc
Oppidaque, arcesque, & tumulis caſtella ſub altis.
Quin etiam tenui radio, & cælamine acuto
Addiderat ſua quæque illis cognomina; ut ipſe
Cuncta videre loca, & certò diſtinguere poſſes.
Imò & cunctorum certa intervalla locorum,
Atque ſitus ipſos, poſitusque notaverat. Omnes
Inſuper & Mundi circos, qui maximus Orbem
Terrarum Æquator, cælumque interſecat: & qui
Se ſpatiis ſemper disjungunt undique eisdem:
Semper & arctantur gyro, quò longiùs, amplo,
A medio fugiunt æquo diſcrimine circo:
Quique omnes magni ſeſe per culmen utrumque

Regna, urbes, cunctaque flumina, ſinus, ac montes in eo orbe admirando cœlo exſculpta cernere erat.

Item & Circuli, qui cœlum, & terram præcingunt.

Axis

Axis agunt, mediumque diem sub vertice signant.
Digna Syracosio moles operosa Magistro.
His igitur donis, quibus auri plurima facti
Addidit, infectique, argenti & multa talenta,
Hæredem Regni mittit, sua pignora, natum:
Iret ut Arabiam, Nabathæaque regna, nefando
Vota soluturus Mahometi: insigniaque alto
Dona tholo in medio, foribusque affigeret amplis.
Et jam turrigerum currens felicibus auris
Ægæum transvecta abies turrita, secabat
Myrtoæ Thetidos vada cœca, Rhodumque petebat.
Subter aquæ læto ludebant murmure, supra
Ludebant venti per signa argentea, perque
Purpureo undantes pictas velamine Lunas.
Lusibus ipsa etiam festis replebat Olympum
Pubes Threjicia, & longè convexa sonabant.
Fortè per Ægæas instructis navibus ibat
Classis aquas Melitæa, sacri quam, clara juventus,
Ductabant Equites, Scythico qui bella Tyranno,
Cumque Afris agitant prædonibus, omnia circùm
Doridos inclusæ vastant qui litora, & omnes
Navibus infestant, lembisque fugacibus undas.

Ægæo mari ad Myrtoum mare primùm Turcicus Gaulus à Melitæa classe conspectus, summo Equitum gaudio, qui statim contra illum proras dimicatum dirigunt.

Ut turrim procul Odrysiam spiramine læto
Cycladis instar aquis Myrtois ire natantem
Conspexere, acri confestim laudis amore
Correpti celerant cursum. Ceu vertice ab alto
Cùm venatores magnum vidère leonem
Approperare, citi festinant tendere contra,
Luctatum, & forti palmam virtute mereri.
At verò Thraces turris de mole superba,
Ut pinus vidère sacras descendere toto
Remigio, ventoque cruces albescere signis,
Et novere rates, & despexere Latinas.

At Thraces Gauli mole confisi illas despiciunt.

Namque humiles veluti colles super eminet inter
Caucasus, & totus turritò vertice supra est.
Sic Rhodias inter puppes surgebat in auras
Altior, & Scythicus pulsabat sidera Gaulus.
Ast ubi jam propiùs Latiæ venère carinæ,
Obstupuit primò pubes generosa, superbam
Dum Gauli molem, dum mœnia celsa metallis
Præcincta horrificis, dum tantis undique turrim
Instructam validis circumspicit armamentis.

Obstupuerunt primò Rhodii ad insuetam Gauli molem.

Mox animos revocat, solitumque ad corda vigorem
Virtute insigni, & dextra tentare potenti
Fortunam pugnæ, maneat quæcumque parata,

Revocant mox animos.

At

At Dux in puppim ſocios accirier omnes
Ære jubet: mora nulla, citi venere vocati,
Et circumferti ſtipant ſubſellia. Prætor
Tum ſic facundo jacit ore fugacia verba:

Illos Prætor ad certamen hortatur; atque acribus ſtimulis accendit.

O ſocii noſtri decus Ordinis, ò Equitum flos
Electus, Melitæ ſpes omnis, & omnis aviti
Spes regni, dextro Superorum numine venit
Exoptata dies, votis & mille cupita:
Qua veſtris laudes majorum æquare poteſtis,
Et veteres paribus faſtos ornare triumphis.
Cernite, ut Ægæi calcat pede ſalſa ſuperbo
Æquora, velorumque ſinu tenet Æolon amplo;
Illius & læto famulantes flamine ventos.
Cernite, turrito ut ſuperas ſe vertice in auras
Inferat, & magno minitetur ſidera faſtu?
Auro ut cælato, & ſpirantibus illa figuris
Se jactet, centumque cavis ut fidat ahenis?
Quin etiam (ad noſtras retulit certiſſimus aures
Nuncius) illa ſinu dilectum pignus Eoi
Regis habet, juvenem, quem ſolvere vota Sabæo
Mittit in Arabiam Mahometi, & ditia ferre
Munera mille auri, atque argenti mille talenta,
Et cumulum ingentem gemmarum, Orbesque magiſtra
Factos arte duos, quibus haud præſtantius unquam
Eſt quidquam Eois confectum finibus: illis
Et maria, & terræ, cœlumque, & ſidera picta.
Hinc vos quanta manet nunc gloria, quanta triumphi
Spes, vos ingenio generoſi expendite veſtro.
Quare agite, & magnos ſi quod tentamus, & ingens
Ex illo venturus honor, palma inclyta, fortes
Irritate animos, cunctasque expromite vires.
Hæc ille: ardentes oculis, & pectore toto
Spirantes ſocii Martem plauſere ſecundo
Murmure; percuſſum Myrtoum quo mare circùm,
Et terræ circùm reſponſavere natantes.
Tum Prætor geminis inſtructas verſibus omnes
Ire jubet puppes; ſuſpenſo & cœrula remo
Vertere, & in Scythicam paulatim accedere turrim.
Ut Rhodiam Thraces claſſem vidère propinquam
Adventare, citi cuncta in tormenta coruſcam
Injecere facem: confeſtim murmure rauco
Bombardæ ſtrepuere, gravesque repentè per auras
Intorſere pilas: horrendum ſibilat aër
Percuſſus, latèque poli convexa reclamant.
At quoniam non dum claſſis Melitæa ſub ictum

Pugna committitur, ingenti tormentorum clangore.

Ve-

Venerat, incassum tanti cecidere boatus,
Atque pilæ, atque ignes, & diri pulveris ira.
Non secus ac magno tonitru, immensoque fragore,
Cùm resonat domus alta Jovis, cùm fulgurat, & cùm
Omnia permiscet sine vento, & fulmine, tantìs
Motibus intactæ persistunt vertice summo
Alburni silvæ, tantis & gurgite tutus
Nauta minis medio consistit. Prælia Consul
Tunc usu edoctus multo navalia, tempus
Nactus in hostilem toto succedere Gaulum
Remigio, actutum celeri properare Triremes
Imperat, & rostro turris terebrare cavatæ
Mœnia querna, super celsas & scandere pinnas.
Haud mora, robusto promotæ remige pinus
Velivolum subter Gaulum venère, latusque
Trans prima ante alias fixit Prætoria rostro.
Extemplò explosis stridens hinc ignea cannis
Grando ruit, densusque nitri tegit aëra nimbus.
Illic crebra sonans per inane nocentior imber
Depluit Odrysia jaculorum missus ab arce.
Continuò hinc pubes Melitæa, & Threjicia illinc
Sternitur icta; rubent effuso salsa cruore.
Exin nudato, Mars atrocissimus, ense
Committunt Rhodii pugnam, certantque supremum
Cycladis alatæ saltu superare cacumen:
Irrumpunt, ferrumque rotant, feriuntque, necantque
Threjicios: totis instant & viribus arcem
Scandere: nequidquam saltu tamen itur in altas
Murorum pinnas: adeò tollebat ab undis
Barbara turritum puppis caput, ipsaque primùm
Pulsa licet, secura situ sua mœnia pubes,
Et jaculis crebrò jactis, atque igne tuetur.
Tum tanta advertens Prætor discrimina, tali
Sermone alloquitur juvenes, iramque tepentem
Inflammat rursus, vires & sufficit acres:

Mox comminus, hinc sclopis, illinc immenso sagittarum imbre.

At nequicquam itur in assultum, adeò eminebat Turcicus Gaulus.

Dux periculo suorum animadverso, iterum eos hortatur, ut pugnam instaurent, memores priscæ virtutis, & Majorum gloriæ.

Ne trepidate animis, Mavortia pectora: nec vos
Altior hostilis vertex perterreat arcis.
Invia virtuti non est via: nullus & altus
Mons adeò est, quem non superet spes fervida palmæ.
Non vos, ò socii, toties qui fortibus ausis
Barbaricas ferro classes vastastis, & igne?
Non vos, qui mediam irrupistis nuper in Hellen
Puppibus immissuri ignes ante ora Tyranni?
Qui frendens rabie immani, cœcoque furore,
Centum tormentis utraque tonabat ab arce.

Nec

Nec potuit tantis virtutem frangere vestram,
Ardua quæ quàmvis, vestro confecta labore
Illa tamen: magnumque dedère in sęcula nomen.
Ergo agite, & tantis hoc unum adjungite rebus,
Summa quod egregiæ laudi fastigia ponat.
Quin etiam juvat hoc tandem superaddere, vestri
Ordinis hoc uno certamine vertitur omnis
Gloria, quæ manibus nunc vestris nititur, illi
Consulite, & quantùm sit cordi, ostendite factis.

His dictis accensi animi, generosaque corda
Incaluere: novisque velut calcaribus acti,
Conferti in pugnam juvenes, Martemque feruntur.
Ergo quisque suis connisus viribus, altam
Conatur turrim conscendere, signaque primus
Inferre, & captis victor præfigere muris.
Ac velut horrendo Boreas cùm turbine fervet,
Et freta despumant rigido pulsata flagello.
Certatim ex alto per crebra volumina fluctus
Irrumpunt, glomerantque vadis spumantibus & se;
Alter in alterius procumbens tergus, & altos
Nituntur cuncti scopulos superare, refuso
Gurgite: sic Equites prorumpunt versibus æquis
Unà omnes glomerati, animisque calentibus ira:
Vi certi turrim conscendere, vincere certi:
Vel si Sors renuat, præclara occumbere morte.
Sed postquam multùm certatum Marte cruento,
Plurimaque egregiæ virtutis signa dederunt,
Haud, altam superare arcem potuere, frequenti
Connisi quamquam saltu, ferroque feroces
Murorum è summo pepulissent vertice Thraces.

Novis stimulis incensi Equites iterum conantur in navem scandere.

At iterum referre pedem coguntur.

Fortè inter primos Equitum, qui puppe sub alta
Prætorem circumstabant, corpusque tegebant
Objectis contra parmis, pulcherrimus ore
Unus erat, primoque insignis flore juventæ.
Tunc etenim teneræ prima lanugine malæ
Cęptabant rara florescere, vivida menti
Virtus, & validum formoso in corpore robur,
Crescere & audaces animi: summum genus olli
E Collaltiadum deductum stirpe vetusta,
Grandibus & titulis majorum, ostroque superbum:
Magnanimus (1) puer, & tot avorum sanguine dignus,

Et

(1) *Vinciguerra IV.* de quo ita in annalibus memoriæ proditum; Turcarum terror; ac Fidei propugnaculum.

Et patria dignus fortuna: aucturus & ipse
Familiæ decus egregium, laudesque parentum,
Inque novos titulos, magnumque in nomen iturus.

Nobilis Eques se Duci sistit, facultatemque sibi dari petit, navim inscendendi.

Nam propter palmas Thracum de gente relatas
Sæpius, insignique actos cum laude triumphos,
Turcarum Terror (1) Polenices nomine dictus.
Hic ubi cum dubio certari Marte videret,
Versarique suos Fati discrimine certo,
It cœtum in medium confidentissimus, atque hoc
Aggreditur sermone Ducem: liceat mihi, quæso
Inclyte Dux, tanti in partem certaminis ire,
Laudis & optatæ in partem, partemque triumphi.
Inventum Fortuna novum mihi suggerit, & mens
Ipsa mihi mea, si tantis modò Juppiter ausis
Annuat, insigni decorabo laude juventam:
Atque novis Meliten palmis, clarisque triumphis
Ornabo: in me non virtus spectetur ab annis:
Quamquàm etiam interdum teneris stat magna sub annis.
Tum Prætor pueri mentem miratus, & ausa;
Credo equidem, nec fallor, ait, tibi sydere ab alto
Hos animos, mentemque datam; perge inclyte, per me
I, licet; omnipotens votis his Juppiter adsit.
Et tua cuncta, precor, fortunent Numina vota.

Dux magnanimum juvenis animum, fortemq; admiratus, atque Divinum quid subesse putans, facultatem præbet.

Hæc ille: at juvenis cui laudis mira cupido
Magnanimum pectus succenderat, acer in altam
It citus antennam, summoque in vertice sidit
Læva ancile ferens, dextraque interritus ensem.
Mox jubet antennam dimittier, inter & altum
Converti Gaulum, ceu quondam more vetusto,
Querna è Turre (phalas dicebant nomine Graii)
Perque trabem oblongam demitti corbe feroces
Mœnia quique viri circùm præcincta subibant.
Obstupuit primo Prætor, dum talia cernit
Ausa: sed illa suo secum sub pectore volvens,
Est Deus, est, inquit, certo qui numine tanta
Orsa movet: Nequeunt namque hæc sine numine fieri.

Ille in antennam evolat, eaque mox demissa, audacissimus navem intrat, aditumque suis aperit.

Ille sed antennæ demisso e vertice, turrim
Inque hostes saltat medios, ferrumque coruscum
Hàc, illac rotat imperterritus; aëre ab alto
Qualis ubi in prædam præceps delabitur ales
Sacra Jovi, timidasque fero petit ungue columbas.

Tandem attonitis stupore Turcis, magna ipsorum strage Gaulus capitur.

(1) *Vinciguerra IV.* de quo ita in annalibus memoriæ proditum; Turcarum terror; ac Fidei propugnaculum.

Continuò tantis perculſi audacibus auſis
Hærent attoniti, nec ſe defendere Thraces,
Nec ſtatione queunt inſiſtere; victor at ille
Demittit ſcalas, ſociosque aſcendere in altum
Hortatur; mora nulla, citi ſuper alta carinæ
Aſcendunt tabulata, hoſtesque impune trucidant.
Et tandem læti capta dominantur in arce.
Unius & tantam peperit fiducia palmam.
Talia poſt Equites generoſa inventa ſecuti
Vimineas alto antennarum vertice corbes
Suſpendère, quibus ſuſcepti protinus alnum
Hoſtilem ſcuto armati, ferroque ſubirent.

Hinc novum inventum, ut corbibus antennæ ſummo ſuſpenſis, hoſtiles naves peterentur.

At me ſubluſtri conſurgens Veſper Olympo,
Atque gravis curis, annis & pluribus ætas,
Ulteriùs prohibent cithara producere cantum.



NAU-



NAUMACHICORUM
LIBER QUARTUS.

AST age, velivolas quæ cura in fluctibus alnos
Instruere, undosum ponti seu currimus equor,
Sive hostem contra procedimus, aspera Mavors
Cum fortem tonitru vocat in certamina pubem,
Dicendum nostro jam carmine: Sed priùs artem
Qua, Palinure, ratem cursu (1) veneris euntem,
Accipe: Quem fugiens secat alto in gurgite Rhombum,
Ipse etiam spatiis teneas æqualibus, illam
Ærato donec mordebis dente propinquam.
Ceu cervum, aut timidam sylvosa per avia damam,
Cùm celeri sequitur cursu canis acer, in herba
Quem notat hæc callem, effuso de corpore odore,
Ipse sagax premit, arreptoque insistere cursu
Non cessat, prædam ni prenderit ore tenaci.
Quod si flaminibus volat ocyor usa secundis,
Quam sectare, ratis, geminato nitere velo
Accelerare fugam, propior cùm veneris, illum
Accipies statione locum, quem jussa dedère
Consulis, ut recto sese instruat ordine classis.
Hostica sed fuerit turris si pinea, pugnam
Incipe, displosis Vulcano ardente metallis.
Ni priùs e malo demittens cornua, victam
Se tibi victori dederit, pugnare recusans:
Nempe animis juvenum, ventoque, & viribus impar.
His actis, Prætor turrita protinus alno

Modus insequendi navim describitur.

Quem ordinem teneat classis in navigando.

 Car-

(1) *Dar la caccia.*

Carpat iter, mundique plagam, qua ducere classem
Destinat, actutum teneat, tantumque recurrat
Neptuni campum, quantum satis esse putabit,
Ut reliquæ cursum capiant, retroque sequantur.
Mox aliæ, ut nostro jam dictum carmine euntem
Sectentur, recto donec sese ordine sistant.
Sicque omnis Rhombo percurret classis eodem.
Verùm illud cura caveant solerte magistri,
Dum vexilla sequi celerant Prætoria, eandem
Et prensare plagam, ne rostris obvia rostra
Occurrant, seseque premant, cursumque morentur.

Cavendum, ne sese mutuo occursu implicēt.

Quod si belligeras metari in fluctibus alnos
Stat tibi, Prætor, ubi adversarius explicat acer
Ipse suas, Martemque vocant tormenta boatu,
Unicus ad rauci spirantia flamina venti
Accipiat naves ordo, propiorque sub auram
Accedat: quæcumque latus sic vertet in hostem,
Atque explosa globos jaculantur ahena tonantes.
Ignivomas dextrâ naves sinuabis: ubi acer
Ad lævam posuisse suas spectabitur hostis.

Modus explicandi aciem ad pugnam exponitur.

At quoniam facilè exemplo præcepta tenemus,
Et juvat Heroum insignes celebrare triumphos;
Concilio e Divûm magno fęlicius ævum
Victor ubi curis agitas, terraque relicta,
O adsis, Jacobe, decusque, & gloria regni,
Arctois cingit quod fluctibus Amphitrite:
Partheniæque sacri da fontis flumina Musæ,
Dum laudes celebrare tuas, & grandia facta,
Apparat, & sęclis transferre trophæa futuris.

Explicatur exemplo Jacobi Ducis Eboracensis.

Ingentes Batavi classes ingentibus ausis
Ornarant pelago leges, & jura daturi.
Scilicet Oceani spumantia lora tenere
Soli affectabant, magnis & currere Gaulis:
Ac reliquos populos arcerent omnibus undis,
Nimirum occidui gazas, & munera mundi,
Et vastas Orientis opes, mercesque beatas
Persarumque, Arabumque, & Cinnama divitis Indi,
Ad patrias soli raperent, gens invida, terras.
Id veteres Domini, qui tot per sęcla Britanni
Obtinuere priùs, cùm vix per cœrula nomen,
Ni piscatoris Batavi, obscurumque sonabat;
Haud equidem passi, belloque, armisque superbos
Frangendos duxere animos: sententia cunctis
Gentibus hæc una est, primi subsellia cętus
Seu teneant proceres, seu plebs numerosa secundi;

Caussa belli inter Anglos, Hollandosque exponitur.

Re-

Regnum armis placet aſſerere, & ſua jura tueri.
Haud mora fervet opus, fervent navalia, fervet
Portibus in cunctis delecta ad bella juventus:
Conveniunt ad ſigna viri, nautæque parati.
Coguntur naves, & claſſis cogitur omnis:

Claſſis Dux Jacobus eligitur.

Jacobus toti Dux claſſi imponitur, illum
Extulerat regale genus, & Martia virtus.
Nam Regis germanus erat, venturus & ipſe
Imperium in magnum; & ni Fatis Fata fuiſſent
Adverſa, à Latia diviſos ſede Britannos,
Rurſus divino poterat conjungere nexu.
Sed jam tempus erit, patrio cùm reddita ſceptro,
Id tua progenies, cunctis plaudentibus aſtris,
Efficiet, ſummi quando Regnator Olympi
Annuet exoratus, & impia deſinet ætas:
Atque novam ex aureo nebunt cùm ſtamine Parcæ.
Nec ſpes vana; adytis cecinit ſic Phœbus Apollo:
Et quæ Fatorum ventura ex ordine pandit,
Fatidica interpres Divorum ſacra Pronæa.
Decertata vocant ſed prælia Marte ſecundo
Jam Vatem, ſtridetque tonans per cœrula bombus.
Jam ferrugineos ſurgens Aurora capillos
Extulerat pelago, ſenſimque rubeſcere flammis
Cœperat, interpicta nigrantibus undique punctis,
Horrifici præſaga velut certaminis: & jam
Anglicus è ſpecula cuſtos denunciat hoſtes.
Eſt in conſpectu Batavæ telluris ad Arctos,
Inque obverſa latus ſpirantes inſula Cauros:
Texelia, inſignis portu cognomine dicta,

Texeliæ ſinus deſcribitur, ubi certatum.

Huc omnes Batavûm vires, huc maxima claſſis,
Quam centum ſupra turrito corpore pinus
Conflabant, inſtructæ armis, & milite multo.
Pulvereque, nitroque, & terrificis tormentis,
Convenère, Ducis nutu ad fera bella coactæ,
Hoſtem expectantes, ventumque in vela ſecundum.
Poſtquam alta e ſpecula cuſtos clamavit ad arma,

Conſpecto hoſte, aciem Jacobus explicat, inque hoſtem vadit.

Cenſuit & vires, omneſque ex ordine naves;
Exin cuncta Duci retulit; tunc impiger ille
Haud mora centenis è puppibus explicat agmen:
Præcipit inque uno conſiſtere tramite naves.
Et quoniam Lybicus tendebat vela ſecundis
Flaminibus, tepidum idcirco ſe flectere ad Auſtrum
Dux claſſem jubet, ut conceſſi commoda venti
Accipere, & faciles poſſent ſe evolvere pinus.

Explicat & ſuam Opdamus hoſtem excepturus.

Agmen & ipſe tenet medium, primumque regendum
Ro-

Roberto dedit, & Comiti dedit ultima ſigna.
Non piger Opdamus Batavas in prælia puppes
Inſtruxit, quamquam non proſpera flaminis aura
Perflaret, medioque locans ſeſe agmine Gaulo
Ingenti, magnæ ſurgens qui cycladis inſtar
Turritum è pelago caput oſtentabat ad aſtra
Arduus, horrificus, duro tormenta metallo
Perque latus centum complectebatur utrumque.

Atque in pugnam ſuos accendit.

Trompion hinc ventique ducem, Martisque peritum
Fronte locat, ſtimulatque animos in prælia dictis,
Venturas memorans laudes, & dona parata.
Non minus interea Princeps per ſingula vectus
Signa, ſuos animat, magniſque hortatur ad arma
Promiſſis, priſcæque refert præconia laudis,
Et quæ de Batavis retulerunt præmia victis.
Nunc tempus, factiſque novis, & fortibus auſis,

Animat & ſuos Eboracenſis.

Munera muneribus cumulare, trophæa trophæis.
Hoc ſi victores eritis certamine, magni
Imperium Oceani, & ſummum referetis honorem.
Edomitique ſcient Batavi, quæ bellica virtus
Quæque Britannorum ſit dextera, ſeque lacunas
Batavicas inter condent, victique ſilebunt.
Piſcatu, ut nuper, victum, textuque requirent,
Omnibus ignoti terris, atque omnibus undis.
Nec ſibi cum lento credant certamina Ibero
Nunc fore, quem centum annos æquavere morantem.
Sed quid ego palmas moror, & navalia ſerta?
Ite, viri, conferte manus, pugnamque ciete.
Hæc ubi dicta, cavi dedit æris murmure ſignum.

Mox certamen orditur.

Haud mora terribili bombo ſonuere metalla
Mille exploſa: volant Vulcano ardente per auras
Mille, & mille pilæ, ſeges ærea, & horrida Martis.
Ac veluti Siculo ſurgens Vulcania ponto
Accenſis fervet fornacibus, undique & atram

Acris pugna depingitur.

Eluviem vomit, & ſaxorum turbine, fumoque
Et maria, & terras, & lucida contegit aſtra:
Horrendumque tonans terroribus omnia complet.
Sic & turritæ reboabant æquore pinus,
Mille ſinu flammas, incendia dira vomentes.
Et quoniam in Batavos perflabat flamine læto
Africus, & fumi nubes, & noctis iniquæ
Adverſum chaos, atque volumina ſpiſſa ferebat
Pugnantes contra, vultumque horrore replebat.
At non victi animo Batavi, nec ſorte ſiniſtra
Perculſi, totis pugnabant viribus, & ſe

Sol-

Solliciti in pugnam ſtimulabant, ipſeque rector
Dat ſociis animos, & prælia voce gubernat.
Ictibus interea volitant diffracta per auras
Roſtra, trabes, mali, diſciſſaque turbine vela.
Ipſe & ferratis concuſſæ pulſibus alni
Imbre laborabant multis è partibus hauſto.
Nec non & cædes hominum miſeranda: fluebant
Membra reciſa virûm medias ejecta per undas:
Et clamor morientum, & vitam ex hoſte precantum.
Et tormentorum fragor horridus, & fera nimbo
Tempeſtas igneo reſonans, gemitusque natantum
Triſtem oculis ſpeciem, ſpectacula dira ferebat.
Et quamquàm Batavi navem ad ſua ſigna Britannam
Submisère, ſuâ temeraria claſſe relictâ,
Quæ medios pleno velo perruperat hoſtes;
At pendebat adhuc dubio victoria Marte,
Nec cui victori ſertum navale pararet,
Cernere erat, fortis cùm Dux Jacobus in armis,
Sortis ut arbitrium virtute evinceret, omnem
Ire aciem, facto ſigno præcepit in hoſtem:
Ipſeque turritam Prætoris fertur in altum.
Rurſus & hìc Mavors accenditur horridus, atque hìc
Vulcanus tonat, & rurſus furit ignibus atris.
Ilicet Opdami Prætoria tota ſub auras
Exiliit ſuccenſa, oculis miſerabile viſu.
Non ſecus effeſſo cùm Veſta incluſa cuniclo,
Scintillas gremio immiſſas accepit ab hoſte,
Actutum volat arx, magnaque evulſa ruina,
Dat ſonitum ingentem latè, disjectaque ſecum
Cuncta trahit, nimboque involvit pulveris atri.
Subtus terra tremit, ſubſultant vertice colles,
Attonitique ſtupent homines, & corda tremiſcunt.
Ipſeque dum ſocios hortatur, & impiger arma,
Intrepidusque manu tractat, ruit impete in altum,
Sorte infelici, & ſub funere merſus acerbo.
Ductoris caſu Batavorum exterrita claſſis,
Adverſumque videns Martem, ventumque ſiniſtrum;
Qui contra nimbos, tempeſtatemque nigrantem,
Et ſtrages unà centum, centumque ferebat
Igne neces; tum fracta animos, & viribus impar
Obliquat velum in ventum, refugitque propinquum
Texeliæ ad portum, & tuto ſe condit in alveo.
Inſtant victores, pigrasque ex vulnere naves
Partim vi capiunt, partim dant ignibus; illæ
Imbre fatiſcentes ſalſo merguntur in undis.

Ingens navium ruina, & cædes hominum.

Jacobus tota acie in Batavos fertur: Ipſe Prætoriam aggreditur.

Quæ, igne accenſo, in altum exiliit.

Opdamus igni conſumptus: cujus nece Batavi exterriti fugam capiunt.

Inſtant victores, ingentique victoria potiuntur.

At

At Dux insignis palma Jacobus opima,
Qua nunquam vitreo vidit Neptunus ab amne
Majorem, Nymphæ non & plausere marinæ,
Victricem patrias classem deducit ad oras,
Bataviam postquam latè terrore replevit,
Damna minans populis jam jam majora superbis.
Sed quò me Musæ rapuistis, & entheus ardor?

Vatis Enthusiasmus: reddique optat Sirenum in gremium.

Hunc Vates clivum conentur scandere, quorum
Et florent vires, & vivida temporis ætas.
Jam me lustra premunt duodena, atque insuper orbes
Quinque, senescentem rosei nec munera Bacchi,
Pæoniæque valent artes revocare vigorem
Ingeniique, animique, & priscæ flumina venæ.
Reddite Sirenum in gremium: me littus amicum

Hortatur socios, ut tumulo titulum præfigant, Surrentina in æde, quam ipse à fundamentis extruxit imitatus Actium Sincerum popularem suũ, qui non longè & ædem ædificavit, & tumulum posuit.

Accipiat: formosa sinu Colomelis odoro
Hìc Vatem foveat, pascatque suavibus herbis;
Quo tandem placida compostus pace quiescat
Virginis in templo: tumuloque hoc addite carmen,
Parthenii si quæ, socii, vos cura tenebit.
Propter (1) Olympiacæ quæ templum Virginis orta,
Hìc Surrentina Magnæ Genitricis in æde,
Quam rea construxit voti, Matrique sacravit,
Parthenii argutum cecinit sacra Musa, silet nunc.
At quoniam, Rambalde, seni tu sufficis œstrum,
Instaurasque novas vires, & carmina Vati,
Te sequor, auspicioque tuo do carbasa ventis.
Me, me ipsum, seniumque tuo munimine vincam;
Ut sertum navale tua virtute relatum
Per tua multiplici nexu se tempora flectat.
Scilicet hoc unum deerat, terrestria quando,
Vallaris, seu sint muralis dona coronæ,
Olim victricem cinxerunt plurima frontem.
Ergo age jam tritum Musis læto omine campum
Ingrediamur, erit merces audacibus ausis.

Cùm ventus favet, e superiori plaga spirans libera dimicandi potestas.

Si vento (2) immineas hosti de puppe secundo,
Libera, Prætor, erit tibi tum certare potestas,
Inque hostem plenis cùm vis descendere velis.
Consilio id sano facies, cùm scilicet hostis
Stat trepidus, latumque secat mare navibus impar.

Verùm inclinante die, cùm mutari solent, abstinendum.

Quod provecta dies si sit, certòque vereris

Ne

---

(1) Virgo Olympiaca, vulgò *la Madonna di Piedegrotta*, quòd illius ædes ad radices Pausilypi ante aditum cryptæ, quæ Puteolos ducit, sita sit. (2) *Star sopra vento.*

Ne fervet dum Mars, & flammis Mulciber ardet,
Adverſus ſpiret mutatis Æolus auris,
Abſtineas pugna moneo: monitique memento.
Cùm matutinus cœlo deſudat Eous,
Et ſurgunt cum Sole leves Eurique, Notique
Tum tempus certare, armiſque irrumpere in hoſtes.

Mane verò conſultiùs certamen initur.

Si faveant dextro venientes flamine Cauri,
Atque hoſtem ſuperas alnis, & viribus, uti
Tum vento, numeroque potes: quot duxeris ipſe
Navibus a tota divulſis claſſe, ſagacem
Præcipe legatum diverſa è parte carinas
Hoſtiles petere, exploſiſque invadere ahenis.
Sic facilè optatam referes poſt prælia palmam.
Quod ſi turritis ſuperat contrarius alnis,
Sed venti non lora tenet; quin ſcilicet infra
Navigat, è numero captare hæc commoda multo
Nequidquam valet; interdumque minoribus hoſtis
Cum numero ratibus retulit navalia ſerta.

Quibus commodis eant, qui inferiori parte navigant.

Eſt tamen, eſt illud lucri pugnantibus infra
Spirantes auras, quod cuncta explodere in hoſtem
Tam quæ prima tenent, quàm quæ tormenta ſecunda
Turritæ tabulata ratis; quando altius aura
Aſſurgit latus incumbente, fretumque refundi
Haud per aperta poteſt ſpiracula, & ilicet omnem
Tormentorum uſum, juvenumque evertere curam.

Habet autem & illud commodi, quod cuncta in hoſte tormenta explodere facilè poteſt.

Præterea ſi quæ navis concuſſa laboret,
Vulcanoque, vadoque, aut fractis verbere malis,
Seſe conflictu poterit ſubducere vento
Longiùs ex acie, illatam & reparare ruinam.
Et ſi Mars contra ſe fronte oſtentet acerba,
Pugnam deſerere, & tuto ſe condere portu.

Et in adverſa pugna fugam capere.

Commoda quæ deerunt, quibus aura immurmurat Eurus
Felici à puppi veniens, & amabile murmur
Excitat ardentes animorum in prælia vires.
Atque hic te, Prætor, moneo, ne vela ſecundum
Des temerè in ventum: pugnæ cùm linquere campum
Inque fugam ſpectas, ſalvasque reducere naves.

Quod magna cautela peragendum eſt.

Quando nulla tuis major ventura ruina eſt,
Quàm cùm decedunt inimico inſtante ſecundis
Eurisque, Zephyrisque: potis namque ille ſequendo
Aſſequier, trepidosque tuos invadere, certa
Damna tibi, cedesque ferens, incendia, & ignes.
Quocirca mediteris, ubi ſub tuta receptum
His tantùm facies in caſibus, humida cùm nox
Appetit, & tenebris cita ſubtrahit omnia viſu.

Et quibus in caſibus.

Cùm ventus crebrescit, & altior unda tumescit,
Atque locum pugnæ negat hosti; cùmque carinas
Vectorum trahit hic multas, queis impiger ipse
Est opus invigilet, casu & tutetur ab omni.
Sed si fortè cupis, Prætor, condiscere causam,
Cur uno ordine exponendæ naves.
Cur omnes uno naves disponere versu
Conveniat, paucis, res est discenda, teneto.
Si gemino puppes extendas ordine, primo
Quæ versu insistunt, fuerint cùm cominus hosti,
Et sua displodunt tormenta, ardente favilla,
Ac pugnam totis committunt viribus, illæ
Agmine quæ structo versum tenuere secundum;
Tormenti quoniam consistunt longiùs ictu:
Nec conferre manus poterunt, nec ahena metalla
Vertere in adversos, pulsuque exscindere turres.
Et quoniam non fronte, velut rostrata Triremis,
Sed latere objecto certant, accedere nunquam
Ad primum poterunt versum, pugnamque ciere.
Insuper his, Prætor conàre ad flamina venti,
Ad plagam ex qua ventus spirat, admovendæ naves.
Spirantis pinus extendere, subdolus hostis
Ne fortè (1) arbitrium Zephyri furetur amici.
Et quamquàm facere id valeas, cùm tempus, & ipsa
Pugna petit, tamen adversis fuga fortè videri
Hic cursus poterit, versuque tenere sub uno
Haud facilè undoso possunt sese æquore navès;
Idcirco facies sub prima exordia pugnæ,
Et quæ inde commoda.
Quod sine mox lucro perages, certoque periclo.
Est etiam, est illud lucri, cùm classis ad auram
Efflantem accedit, (2) stringitque propinquior Euros;
Quod si quæ pinus certando acceperit ictus,
Ipsaque cum malis amiserit armamenta,
Longiùs ad quartum poterit procurrere Rhombum,
Et simul arbitrium Cauri sufflantis habere:
Damnumque acceptum auxilio sarcire suorum,
Rursus & in pugnam descendere; quod tamen arte
Id nulla poterit, si rectà acceperit auras.
Perge, Noti faveant hosti, & de cardine Eoo
Spirantes repleant hostilia carbasa primi,
Mox tua vela petant, tendantque ruentibus auris,
Qui ex inferiori parte navigat, ad plagam venti conetur accedere.
Tum moneo, ad sedem pariter crepitantis Eoi
Cominus ire fuga, Rhomboque errare secundo.

Sic

(1) *Togliere al nemico il vantaggio del vento.*
(2) *Accostarsi per fianco al Rombo del vento, che spira.*

Sic etenim si fortè Noti mutentur, & auræ
Assurgant aliæ, potis es variantibus uti,
Præripere arbitrium, incautique erroribus hostis
Proficere ad palmam virtute, astuque merendam.
Quin etiam versu instructo ni strinxeris Euros,
Obliquo scindens cursu freta cęrula ponti,
Postremum poterunt inimici invadere cornu,
Aut medium excipere, & geminis incessere flammis.

Si secus periculum ne hostes postremum agmen carpant.

Præcipuè ille suis superet si navibus, ipse
Haud poteris mundique plagam percurrere eandem,
Absque gravi vitæ noxa, certoque periclo.

His animadversis, superest ut carmine nostro
Ediscas, quæ certa inter distantia turres
Velivolas statuenda: freto certamen aperto
Cùm tempus serere, & ventis favet aura secundis.

Quæ discrimina inter naves in conflictu statuenda.

Rectores Galli, quorum nunc plurima cura
Re super hac, centum ducunt, non ampliùs; ulnas,
Sufficiens discrimen, aquarum in gurgite vasto,
Quo celeres distent puppes, quamquàm æquore in alto,
Et spatia æquata, & certos describere fines,
Difficile est: fallax nimirum, & mobilis unda;

Quod non sanè facilè est.

Attamen ingenium solers, & plurimus usus
Multum sæpè valent, & quæ præcepta magister
Ante tibi dederit Geometres, flore juventæ
Cùm Musas coleres, divinasque impiger artes.

Tutius erit, si angustiora sint spatia.

Hic autem admoneo, palmæ conferre merendæ,
Si brevibus spatiis nexu junguntur amico
Turritæ pinus: nam si discrimine longo
Se fugiant, strictisque adventet versibus hostis,
Tum quæque excipiet geminatos ictibus ignes:
Et geminæ poterunt invadere tutiùs unam;
Sed caveas ne plus justo discrimina stringas:
Semper enim modus in dictis, rebusque tenendus
Omnibus est. Media in pugna si fortè laboret
Fulminibus pinus concussa, & verbere malis

Non tamen plus justo: quando omnibus in rebus servandus est modus.

Truncatis, fractisque alis, clavoque revulso
Fluctuet, in socias incurset tum illa carinas
Est opus, incursu & commune augere periclum.

Hic non præteream, multum quod scire juvabit,
Dux Romane, freto qui classes ducis aperto,
Imperiumque tenes pelagi, finesque tueris:
Duc semper magnos turrito corpore Gaulos,
Certam navali si tu certamine palmam
Exoptas. Tormenta vehunt majora, globosque
Vegrandes vibrant, & longiùs impete muros

Præstat magnos Gaulos ducere: & quibus ex caussis.

Concutiunt, crebròque tonant quia plurima contra,
Fortiùs obſiſtunt ſolido cum robore pulſu.
His igitur certas ſi navibus, æquore turres
Inſtrue contractis ſpatiis, ſi dona referre
Navalis ſerti affectas, laudemque mereri.

Alius modus exponendi claſſem deſcribitur.

Sunt qui velivolam ſenis ſub verſibus omnem
Diſponunt claſſem; medio ſtat in ordine Prætor
Ante ſuos verſus, & ſubter navigat auras.
Sic dextra, lævaque ſuos legatus uterque
Præcedit verſus, & flantes excipit Euros;
At qui Prætoris dextram tenet, ille ruentes
Ad ventos propior ſeſe deflectit, & alter
Alternum in picta percurrit pyxide Rhombum.

Qui minimè commodus, ſi vicinus hoſtis navigat.

Et quamquam modus hic ſulcandis commodus undis,
Inque vias omnes ſe ducere, quò data juſſa,
Vel res ipſa vocat, procul at cùm navigat hoſtis:
Nam ſi vicinus, pugnamque minacior offert,
Tum non ſe facilè in verſum diſponere claſſis,
Ilicet & dubium Martis certamen inire.
Idcirco Vatem ſi me tu conſulis, iſto
Non utère modo, Prætor Romane. Sub Arcto
Mars tonat horrendum, totumque à cardine cœlum
Subſultat, nutant ſcopuli, longèque reclamant
Littora terrificis crebrò concuſſa metallis.
Horreſcit Thetis, atque omnis tremit Amphitrite.
Aſt ò qui motus? rupto num fœdere pugnant
Rerum principia, inque nigrum ſe vertere rurſus
Affectant chaos, atque imis confundere ſumma?

Vatis Enthuſiaſmus.

Vos tanti motus, vos Muſæ pandite cauſſam,
Parthenio Vati, vocemque attollite, quando
Vix ætas affecta, ſonum vix excipit auris
Jam ſenio contracta, obtuſaque tympana pulſum
Vix ſentire valent. Satis eſt, ſat grandia, Muſæ,
Verba datis, ſatis eſt. Divino munere veſtro
Et ſenii vitium, & fugientis vincimus ævi.
Audio: Pieridum quis Pindi à vertice ſummo
Clamantum voces non audiat? omnis ab imo
Gurgite reſponſat Penèus, & avia Tempe.
Dicam igitur commiſſa olim fera bella ſub Urſa;
Ut res exemplo fiat manifeſta Magiſtris.

Batavi, & Angli certant de maris imperio; litemque Marti decernendam committunt.

Barbaricos inter populos, quos cardine mundi
Arctoo, æternis nivibus, glacieque rigente,
Educat immitis, mammiſque rigentibus Urſa,
Immanemque animis inſtillat lacte furorem,
Oceani ſuper imperio lis orta, quod armis

Jam-

Jamque ſuis Batavi conati aſcribere ſignis.
At contra veteri repetebant jure Britanni,
Hinc odia, ultricesque animis ardentibus iræ
Exarſere: placet litem decernere ferro,
Et Marti ſortem committere. Protinus arma
Expediunt, naves ornant, delectaque pubes
Navibus inſtructis imponitur, & ſimul ingens
Vulcani seges, & victus, bellique paratus.
Conſenſu Patrum Batavis Dux Trompius acer,
Et claſſem regere, & navalia bella peritus
Præficitur. Mora nulla, ſuas è portibus alnos
Turritas educit, & aura afflante ſecunda,
In ſenos claſſem verſus citus explicat omnem,
Inque hoſtem ſolvit, certus decernere pugna,
Utrinam maris imperium Fortuna dediſſet.
Sperabatque ſibi confiſus viribus: & jam
Verſabat palmas animo, clarosque triumphos.
Stultus, qui dubium Martem, & verſatilis orbem
Haud Sortis norat. Miſeri nos fallimus ipſi
Mortales vana ſpe ducti, & inanibus auſis.

Claſſes, & arma ab ambobus parantur.

Laurenti, jam ſacra tibi lux fulſerat, & jam
Extulerat roſeos rediens Aurora capillos,
Et Zephyri adverſo mundi de cardine flabant;
Cum longè è ſpecula conſpecto Trompius hoſte,
Dat ſociis ſignum certaminis, acer & arma
Expedit; atque animos dictis vehementibus urget:
Pugnate, ò ſocii, atque armis oſtendite veſtris,
Quæ virtus Batavis inſit: norintque Britanni,
Se jure imperium regni amiſiſſe marini.
Non poſthac priſcam virtutem, & jura vetuſta
Ventoſi jactent: nobis Fortuna ſecundis
Auſpiciis regnum dedit: & victricibus armis
Stat nunc aſſerere, atque aſſertum Marte tueri.
Hic liti finem campus dabit, æquore in iſto
Æternum figet Victoria parta trophæum:
Famaque per geminos alis pernicibus orbes
Diffuſa egregiam palmam canet. Hæc ubi dicta,
Dat duri ſignum certaminis, aura ſecundat
Vota ducis, primàque nitet Victoria fronte.
Ergo omnes Zephyris vadunt crepitantibus Alni
Belligeræ, & velis accedunt cominus hoſti.
Nec ſegnes Angli convertunt æquore claſſem
In Batavos, primùmque adniſi viribus auras
Hoſtibus eripere, & ſupra ſe ſiſtere ad ortum.
At poſtquam incaſſum cecidit labor omnis, & æra

Trompius, inimica claſſe conſpecta, ſuos ad fortiter dimicandum hortatur.

Vadunt contra Angli, conanturque ventos hoſti præripere: ſed incaſſum.

Igni-

Ignibus assiduis, crebroque tonare boatu
Cœperunt: magnis ipsi simul ausibus hostem
Excepère, sinuque cavo explosère metalla
Mugitu horrifico: latè ruit horridus imber
Grandinis horrendæ: qualem irritata Deorum
In terras jacit ira: homines cùm perdere, & urbes,
Et justas scelerum molitur sumere pœnas:
Pugna omnis acerrima describitur.
Mars ferro furit, exardescit plurimus igne
Mulciber, Æthnæos revocans ad prælia fratres.
Continuò miseranda oculis se scena theatro
Pandit in undoso: trepidat Neptunus, & ipsi
Tritones, trepidasque tenent sine murmure conchas.
Tritones admirati pugnantes hortantur, ut ab iris, odioque internecino cessent.
Mox circùm attoniti sua lumina circumflectunt.
Proh Superi, tantæne animis mortalibus iræ?
Tantum odium? tanta & rabies insana nocendi?
Cessate, & vestras in cędes vertere dextras,
Parcite, & humanos, Homines, ostendite sensus.
Sylvestrum rabies hæc sit damnanda ferarum,
Taurorumque, canumque, quibus Natura negavit
Divinas leges, rationis & aurea dona.
Ne facite: immanes exhorrent sanguine vestro
Ipsa etiam Cete, refugitque immanior Orca.
Sed frustrà dant verba: ruit mens cæca furore:
Horribilis conflictus enarratur.
Nec quidquam leges, & propria funera curat.
Quot naves subitò malis, velisque revulsis,
Incertum fluitant, mediis quot fluctibus haustæ:
Quot vi flammarum disruptæ in gurgite vasto
Cum miseris ardent nautis, & milite forti!
Immensum tormenta tonant, tonitruque tremendo
Subsultant maria, & cœli convexa tremiscunt.
Ingens erumpit caligo, atque omnia circùm
Occupat, effusis vis turbinis atra tenebris.
Non æquor, non ipsæ apparent æquore classes.
Turbinibus cœlum obtegitur, non ampliùs ardet
Lumine Sol: media tantum caligine flamma
Emicat interdum, magnoque fragore sub auras
Vi volat, & secum miserorum corpora raptat,
Divulsasque trabes, cum & puppibus armamenta.
Has inter tenebras lynceus Trompius (ira
Exacuit violenta hominem, & spes ipsa triumphi)
Tres Anglorum naves ab una Batavorum incendiaria incensæ.
Tres coiisse videns Anglorum è puppe carinas,
Ilicet ire sinu gestantem incendia pinum
Imperat. Excussum cœlo ceu fulmen ab alto,
Sic volat acta ratis, mediosque impingit in hostes.
Ut venit, ut gremio conceptus promicat ignis,

Ut

Ut ſimul extemplò cunctæ exarsère carinæ:
Exilière trabes, tabulæquæ, & ahena, virique
Terribili circùm tonitru, horrendoque fragore.
Omnia complentur terrore, ipſique paveſcunt
Hactenus intrepidi. Caſu timuere Britanni;
At non immemores priſcæ virtutis in arma
Acriùs inſurgunt, Fortunam & fortibus auſis
Adverſam, dextraque ſtudent, atque arte mereri.
Et periiſſe placet pugna, quàm vertere terga.
Ipſe ſed optato ſucceſſu Trompius audax
Urget opus Martis, furit igne, & fulminat ære.
At fortes ſpectans hoſtes ſtare æquore aperto,
Et pugnare acres, & ſpem præſumere palmæ,
Indolet hoſtili ſertum virtute morari.
Ergo moræ impatiens fertur feſtinus in hoſtem,
Adverſique petit Prætoris mœnia querna:
Aſcenſumque parat, primusque irrumpere in arcem
Aggreditur, Certa eſt numquam Fortuna, ſecundis
Fulgeat auſpiciis licet, & memorabile ſemper
Fatum hominis: parvi percuſſus verbere ſclopi
Hic magnus virtute gigas deſcendit ad Orcum,
Deſertæ Fidei pœnas paſſurus in igne.
Vos ò, vos populi, ſtygiis quos Urſa colubris
Complexa, à Sacri divellit Sede Parentis,
Eſt Deus, eſt ſcelerum vindex, ultorque: timete,
Nec vos Divini monitus contemnite Vatis.
Proderit & forſan, ſi mente evolvere pœnas
Enceladi ſedet, & triſtem caſum Oromedontis.
Cęde Ducis ſubita, Batavorum exterrita pubes,
Ardentes poſuère iras, ſenſimque remittunt
Pugnaces animos; tandem re turpiter acta,
Arripuère fugam: ventoque in vela ſecundo,
Texeliam mœſti repetunt, vultuque refracto
Turpem ignominiam, ſociorum & funera flentes.
Inſtant victores, ventoque ſequace Britanni,
Gratanturque ſibi feſtivo murmure palmam;
Palmam inſperatam, caſuque favente relatam.
Vicerunt; Cadmæa tamen Victoria fulſit,
Cęde pari victos ipſis victoribus æquans.
Sexaginta fero perierunt Marte carinæ
Claſſibus e geminis, quas Mulciber abſtulit igne,
Fulmineque, nitroque, & terrificis carcaſſis.
At cędes numeroſa hominum: toto æquore nabant
Membra reciſa virûm, combuſtaque corpora flammis.
Conſtratum latè tabulis, tignisque revulſis,

Æquor

Caſu vix territi Angli animo tamen aſſurgunt, atque acriter dimicant.

Trompius in Britannicam Prætoriam invehitur.

Sed ictu ſclopi percuſſus interiit.

Quo occiſo, Batavi animos demittunt, mox in fugam ſe coniiciunt.

Angli inſperata victoria, ſed Cadmæa potiuntur.

Æquor erat, fœdumque rubebat ſanguine multo.
Quin & adhuc vaſto fumabant corpore Gauli,
Semianimesque viri miſeranda voce gemebant,
Incaſſum nantes, & opem, auxiliumque petentes.
Sed quæ vos, Muſæ, cępit veſana cupido,
Luctibus his nimiùm, fœdaque in imagine rerum
Verſari? refugit pater hæc ſpectacula Apollo;
Nec nece dira hominum, fuſo nec ſanguine gaudet.
Læta vireta petit, frondoſaque culmina Pindi,
Et vitreos fontes Amphryſi, & Hymettia prata:
Otia læta quibus, felicesque exigat annos.
Ergo agite, & triſti celeres diſcedite campo,
Barbaricæ exoſæ rabiem, & fera prælia gentis.
Inque ſinus lætos Sirenum, & ſplendida Tempe
Reddite me, Divæ, & RAMBALDICA juſſa ſequamur.
Majeſtas veneranda viri, lumenque decoræ
Frontis, & ingenitæ virtutis nobilis ardor,
Egregium depoſcit opus: viresque petendo
Sufficit, heroa diffuſa in carmina dextra.
Partheniæ decus ò Muſæ, roburque ſenectæ,
I præ, poſt veniam, quò lætà afflaveris aurà.
Ductandis igitur melior qui claſſibus ordo,
Accipe Dux, Nerei qui regna undoſa gubernas,
Et duros Latiis defendis finibus hoſtes.
Ordinibus ternis ſpumanti dirige campo
Velivolas acies: obliquos quilibet ordo
Accipiat ventos, Rhomboque undoſa ſecundo
Diffindat maria. Aſt illud ſolerte, magiſter,
Efficies cura, ut quæ linea fronte prioris
Ordinis ad calcem excurrit protenſa ſecundi,
Quæque à fronte hujus ſub terni tergora currit,
Seſe inter fugiant æqualibus intervallis:
Utraque & afflantes directum colligat auras.
Inſuper & verſus acierum, & linea quæque
Ordinis in frontem inſiſtat rectiſſima primi.
Sic inſtructa acies pelago decurrere aperto
Aptior, & ſi res tulerit, ſe vertere ad arma:
Sed quæ certa inter diſtantia danda columnas:
(Hoc etenim ordinibus nomen fecere minores;
Martius & verſus, queis linea ſæpiùs audit)
Ipſe tibi numeros ſeſe inter ducere doctus
Præceptor Samius, rerumque frequentior uſus,
Ingeniumque dabit ſolers, Divina animi vis.
Verùm agite, ò Muſæ, & ſalebroſum evadere callem,
Pergite, veloceſque gradus grandite ſequaces.

Vatis Enthuſiaſmus ſe ipſum corrigentis: cupitque in Sirenum Tempe reſtitui.

Seqi ad canendum Mecænatis juſſu hortatur.

Traditur modus alius ductandæ claſſis, in tres ordines, quos columnas novi dicunt.

Si, Prætor, cęptum tua non fortuna secundet
Certamen, primò vel si pugnare recuses
Viribus imparibus, vectorum & plurima tecum
Impedimenta trahas; idcirco evadere campo,
Ac tutum in portum servatam inducere classem;
Vectoresque simul meditare; artemque, modumque
Accipe, quo valeas nullo discrimine classis,
Tantum opus efficere, & coram aspectantibus ipsis
Hostibus, incassum multa frendentibus ira.

Modus ordinandi aciem, cum receptus canitur.

Sic naves acie dispone, obtusior omnem
Angulus ut classem accipiat, Lunæque recurvæ
Ostentet speciem, geminataque cornua gestet.
E puppi in medio insistens Prætoria ventum
Colligat, obliquis procurrant flatibus alæ.
Quæ verò annonam, vectantque incendia naves,
Agmine se teneant medio, classemque sequantur.
Hæc autem ratio potior nunc visa magistris,
Agminis exponendi, in tutum ducere quando
Res adigit classem, & vectoria plurima turba est.
Nam si fortè hostes instent, retròque sequentes
Extremas urgent alas, Prætoria vento
Quo fertur facili, tormenti fulmine ferreo
Approperantem hostem petere, atque arcere valebit:
Cùm talem, Prætor, cursumque, modumque tenebis:
Et poteris ventos flantes è puppe secundos
Accipere, & simul obliquos: seu marmora dextrâ,
Seu læva de parte auræ spirantis acuto
Diffindas rostro. Quod si Victoria signis
Arrisit festiva tuis, victusque recedit
Hostis tuta petens, fugientem protinus ipse
Impiger insequere, & felicibus utere Fatis.

At si hostes se victi recipiant, qua arte insequendi.

Ilicet instructas velis majoribus alnos
Præmitte, extremumque hostis sectarier agmen,
Præcipe, fortè queant fugitivum ad prælia rursus
Cogere, vel tardas cursu captare carinas.
Mox tu victricem dispones ordine classem
Dux simili, certamen erit si fortè ferendum.
Id verò facies, paribus cùm viribus hostis
Salsa secat; possitque iterùm se fidere Sorti.
Quod si non æquas numero, nec robore vires
Hostis habet, fractis nec spem locat ampliùs armis,
Actutum sine lege rates immitte sequaces.
Terrestri veluti quando certamine victi
Terga dedère fugæ, tum retrò effusa juventus
Ordine neglecto insequitur, cęditque, capitque;

Nam

Nam si tum Prætor certa ratione struendis
Navibus, insumas concessam temporis horam,
Longiùs interea fugiens inimicus acerbam
Vitabit cladem, classemque in tuta reducet.
Ipse sed amissam palmam, laudemque dolebis.


Modus excubandi ad fretum, hostique transitum prohibendi.

His tandem spatiis utcumque egressus iniquis,
Insequitur labor ille, fretum servare, per illud
Ne fortè alatis cum puppibus irruat hostis.
Duplo majorem numero Dux instrue classem,
Quam mox in geminam diffindes partibus æquis.
Hæc latus hoc servet, terræ prætenta propinquæ;
Illa sed adversum teneat: speculaque suprema
Observet custos: & cum descendere ab alto
Oceano observet, Coris ducentibus, hostes,
Det signum, subito quæ pars ad flamina ventì
Excubat, extensis venientes sistere velis
Adnitatur, aquis adversis altera sidens
Irruat in latus adventans: deprensus utràque
Haud sese expediet quamquàm solertior hostis.
At tua spirantes auras si naviget infra
Classis tota, supra tunc adversarius auras
Excipiens latere adverso freta stricta recurret,
Atque tuum eludens conatum innoxius ibit.

Traditur & modus, quo invitis vel hostibus, angusta per freta corripienda via sit.

Verum age velivolas freta per conclusa carinas
Ducere opus, stipatus ubi tenet hostis utrumque
Littus, & in pugnam promptus descendere: classem
Ordine dispones omnem, tu, Prætor, eodem,
Quo cum de pugna adversa loca tuta petisti.
Sed prodest geminum plus circumflectere cornu,
Arctior ut species Lunæ visatur: ab omni
Sic se acies instructa valet defendere parte:
Exin de puppi lætis spirantibus Euris,
Armataque omni ventura ad prælia pube,
Angustos irrumpe aditus, obsessaque ab hoste
Finde freta, inque sinus cursu nitèris apertos.

Sed Vatem cursu defessum, annisque labantem
Tantisper solitam Siren divertere ad oram
Invitat Colomelis, opacum pandit & antrum.



NAU-



NAUMACHICORUM
LIBER QUINTUS.

MAXIMUS at labor insequitur, postremaque cura,
Instaurare aciem, versusque invertere, in antrum
Cùm veteres revocat spirantes Æolus auras,
Emittitque novas, alioque è cardine Mundi
Flare jubet: variis agitantur cœrula flabris:
Et varia est semper facies maris: æquora numquam
Constanti stant firma gradu; concussa flagello
Aerio, actutum pulsu diversà feruntur,
Atque vices variant, sese variantibus Euris.
Idcirco eventu in tali quid Prætor agendum,
Protinus expediam, non multo carmine; quando
Jam maturat opus, fusumque explere laborat
Immitis Clotho, & cervicibus imminet atra,
Truncatura brevi fatalia stamina vitæ.
Nec blando citharæ cantu, numerisque canoris
Flectitur: at cautes veluti prædura rigescit,
Aspera, fœda genis, vultuque inamœna severo.
At tu præclaro cujus de munere factum est;
Rursus ut in medium heroo præcincta cothurno
Parthenia exiret Musa, intermissa resumens,
Et desueta diu, fractumque sonantia plectra,
Adsis RAMBALDE; & mecum gentilibus armis,
Quæ proavis tractata tuis per mille refulgent
Laurusque, Palmasque, immortalesque triumphos,
Undosum in Martis campum descende, manet te
Hìc nova palma, novis titulis figenda Trophæa:
Ergo age, & ancipiti in casu pugnantibus adde
Ingenium: Valet ingenium in certamine multùm.

Quid Architalasso agendum cùm venti sedem variant.

Ad Mæcenatem Apostrophe.

Difficilisque Duces artis præcepta doceto.
Principio cessent Zephyri spirare, repentèque
Africus assurgat, quatuorque in pixide Rhombos
Permutet, tum vela, citis ad jussa ministris,

Quid cùm venti quatuor variant Rhombos.

(1) Laxare actutum festinet Martia classis:
Turres velivolæ, soloque dolone relicto,
Tantisper maneant: Verùm quæ prima tenebat
Agminis instructi sedem ratis, omnia pandat
Vela novis auris, atque impete pulsa secundo
Octavum in Rhombum excurrat, reliquæque sequantur;
Quo tandem in versu, qui stringat proximus auras,
Insistant cunctæ: sic instaurata parumper
Inceptæ classis poterit succedere pugnæ,
Et reduci rursus palmam virtute mereri.

Quid cùm ventus à puppi perflat.

Perge, novus perflet ventus de puppe secundus
Exoriens, prima quæ Pinus fronte locata est,
Ilicet in versum, propior qui flamina stringit
Obliquus properet, simul & conentur eundem
In versum reliquæ: sic omnes ordine in uno,
Persimilique maris campum ad fera prælia habebunt:
Hoc facili, certoque modo, Dux, utere sæpe:
Sic etenim quæ plura forent incommoda, primo
Conatu vitabis, & hosti commoda venti
Eripere, & poteris procul amolirier, usque
Dum reliquæ in Martio ponent sese ordine puppes;
Nec dubites, aliæ quin per vada salsa sequantur
Actutum naves: etenim quæ Pinus eundem
Non currit versum, poterit quàm longiùs undas
Findere, in optatos & se deducere versus.
Sicque acies inversa, caput quæ navis agebat
Agminis, extremæ in caudæ succedet honorem.
Sæpius, atque omnis facilè instaurabitur ordo,
Extensusque magè in ventum, neque longiùs ulla
Puppis aberrabit: stabitque ad prælia rursus
Tota acies instructa, optati & certa triumphi.

Quid cùm classis obtusum in angulum instructa, & ventus ad sextum decimum Rhombum se flectat.

Insuper his, obtusa volat si classis, & aura
Ad sextum decimum flectat se flamine Rhombum,
Tum velum inferiùs cornu citò laxet utrumque;
At reliquæ puppes vento dent lina secundo,
Justoque excurrant spatio: mox quælibet alnus
Inferiora liget canentia suppara, & illo
Ordine constituant sese, quem Martia poscit

Lex;

---

(1) *Porre le vele in panno*, quod Galli dicunt *en pane*.

Lex. Legem pugnæ ſemper ſervare memento.
Ut verò evites incommoda, motibus hiſce
Quæ non rara cadunt, cùm claſſis plurima, naves
Ordinibus æquo diſtantibus intervallo
Se teneant, omnis donec converſio fiat
In ventum, ſeſeque locent in verſibus iiſdem.

Atque hìc te, Prætor, moneo ne flamine primo
Diverſo è mundi venientis cardine venti
Feſtines alios claſſem convertere verſus,
Atque aciem variare: morandum tempore parvo,
Si fortè in veteres ſeſe ſpirabile murmur
Reſtituat ſedes, vireſque, & nomina ſumat.
Sæpe etenim, varium quando, & mutabile ſemper
Cœlum eſt, extemplòque auræ ſurguntque, caduntque.
Vix novus afflavit ventus, cùm protinus ipſo
Deficiens ortu moritur, ſedemque priori
Concedit, vitæque ſuæ pertæſus, & auræ.
Idcirco lentè feſtina ſemper arena
In media; græco quondam ſermone ſolebat
Occinere interdum media inter prælia, primus
Omnia qui Mundi obtinuit moderamina Cæſar.

Morandum tantiſper, dum venti variant, ſi fortè in eaſdem ſedes ſe reſtituant.

Auguſti dictum memorabile, Feſtina lentè.

Quod ſi non æquo meditaris Marte receptum,
Et dum velivolas turres inſtruxeris, aura
Deſinat, ac ſexto e decimo nova cęperit undas
Pellere diverſùm, navis Prætoria vela
Infima ſuſpendat, reliquæ dent lina ſecundis
Flaminibus, donec propior ſe linea vento
Offerat obliqua, atque omnes tum ſuppara naves
Contrahere accelerent, ſicut Prætoria fecit.
Sic etenim prior ille, rates quem ſingulæ habebant,
Ordo inſtauratus, portuſque intrare licebit,
Hoſte vel invito, fruſtra & tua terga ſequente.
At ſi tot numero Rhombos non mobilis aura
Permutet; tum cœrulei pars agminis illa,
Quæ vento inferior, quatuor, non ampliùs, undas
Per vitreas currat Rhombos, properetque ſiniſtram
Spirantis Cori ad partem, ſtringatque propinqua:
Mox reliquæ curſum puppes conentur eundem,
Ordine quæque ſuo: medio Prætoria ſtabit
Angulo in obtuſo: poteritque ad litora nota,
Hoſtibus eluſis, tutum celerare receptum.
At facilis quamquam modus hic; tamen imminet illud
Sæpè malum, nimium variat cùm ventus, ut ipſo
Obvia poſtremum occurrat Prætoria in agmen.
Idcirco, Prætor, quò tanta incommoda vites,

Quid agendum Prætori dum non ęquo Marte receptum meditatur, ventus deſinat, aliusque à XVI. Rhombo ſpiraverit.

Quid cum non tanta venti variatio.

Quæ in hoc cautio adhibenda, ne Prætoria in extremum agmen incurrat.

Præ-

Præcipies, Rhombos excurrat ut ala quaternos
Longiùs ad lævam venti: ſic obvius illi
Non ibis: quamvis ſuccedat dextra ſiniſtræ,
Montibus his, claſſisque omnis variabitur ordo;
Verùm ſi priſcos cupias perſiſtere verſus,
Inque ſuo poſitu puppes, tu currere pinu
Perges veligerâ, quà linea panditur æqua;
Quò tandem arbitrium teneas ſpirabilis auræ.
Hac iterùm alatas alnos inſtruxeris arte:
Non & poſtremos in verſus obvius ibis.

His tandem ſpatiis utcumque egreſſus iniquis,
Quod ſupereſt tentemus iter, verum aſpera Vati
Hìc etiam pandit ſeſe via, perque receſſus
Difficiles ſalebris, & opaca luce malignos
Eſt adeunda: ſolo ſed non veſtigia trita
Pieridum apparent, doctarum aut ulla ſororum,
Per quæ tutus iter capias, ſummumque cacumen
Conniſus teneas; audendum fortibus auſis
Partheniis tamen eſt Muſis, quæ ſæpè locorum
Per prærupta ſequi ſolitæ, perque avia curſum,
Quem Phœbus pater oſtendiſſet, & antheus ardor.
Ire igitur ſedet, undivagique per æquora Nerei
Alatas ſociare acies, Martemque ciere
Pieriæ clangore tubæ, numeriſque canoris.

His ſpatiis egreſſus Vates difficiliores vias ingreditur.

In primis vitreis inſtructum fluctibus agmen
Ad pugnam, in tutam fugientibus hoſtibus oram,
In verſus iterum cupias revocare priores;
Ut curſum teneas, fugientum & terga ſequaris,
Vel patrios adeas victor ſine ſanguine portus,
Aut propior fias inimico: aut agminis alas
Permutare, locumve aliquem captare ſequendo
Feſtines, celerique hoſtem prævertere curſu.
Da Vati faciles auras præcepta canenti.
Præcipe, Dux, omnes ut puppes tempore eodem
Se flectant, flantemque minùs luctentur in Eurum,
Ordine ſic etenim pugnandi ritè ſoluto,
Tota pererrabit campo cita claſſis aquoſo,
Quà Dux ipſe velis, tempusque, & juſſa vocabunt.
Quod ſi fortè ſitum variarier agminis optas:
Nimirum ad lævam qui primùm flamine Cori
Captabat propior, dextram ſpirabilis auræ
Mutatus premat ordo ſecantis marmora claſſis.
Præcipies, uno volucrem ſe flectere puncto
Claſſem omnem, curſumque alium percurrere pinus;
Idcirco adverſas in proras vertere puppes

Qua arte inſtructa ad pugnã claſſis ad priorem in navigando ordinem, ut hoſtes inſequatur ex acie decedentes.

Quid variare aciem libet.

Fac

Fac, Prætor, poſtquam quatuor, non ampliùs, ipſa
Excurrit pelagi Rhombos poſtrema carina.
Ad lævam longo gyro, quam deinde ſequantur
Poſt reliquæ, actutumque erit & ſic redditus ordo.
Verùm alio ſi fortè modo inſtaurare priorem
Dux mavis formam, qua ſtructa ſecaverat æquor:
Poſtremo turrita loco quæ fortè locata eſt
Navis, ad efflantis dextram procurrere venti,
Contendat propior: reliquæ mox ordine pinus
Poſt velis liquidum ſulcent crepitantibus æquor:
Donec quæ medio ratis agmine ſalſa ruebat
Poſtremæ in ſedem pervenerit: ilicet & ſic
Claſſis erit primus, quem quæris, redditus ordo.

Quid agendum ſi alium in ordine mutare præſtat.

His ſuper, in ternas claſſem inſtaurare columnas,
Ordine quò pelagi ſulcet vada ſalſa priori,
Si cupis, horrificus cùm Mavors mitigat iras,
Et fugiunt hoſtes, aut pugnam denegat aura
Adverſam mutata plagam, & turgentior unda:
Artem diſce; prior verſus, ſeu prima columna
In latus alternum flectatur tempore eodem:
Interea reliquæ currant per cœrula pinus,
In primi donec primæ, mox prima ſecundi
Agminis accedat ſedem, teneatque relictam.
Tum ternus moveat verſus ſeſe ordine eodem,
Et curſum teneat, quem pergit currere prima,
Quo tandem verſu reſpondeat utraque terno:
Tum primus, mediusque cito ſe vertere gyro
Accelerent verſus: claſſis ſic protinus omnis
Ut priùs in ternas erit extricata columnas.

Qui modus reſtituendæ claſſis in priorem ordinem, cùm ternos in verſus explicatur.

Perge, tuis ſemper non Sors inimica ſecundat
Dux cœptis, ſequitur nec Mars tua ſigna: receptum
Idcirco canere eſt opus, & loca tuta ſubire:
Donec Fata vices varient, verſatilis & Sors.
Primus ſe varians in quartum flectere Rhombum
Feſtinet Gaulus percurrens tramite in uno:
Sic reliqui facient, medio ſtans agmine donec
In primi ſedem ſeſe devexerit alnus.
Quæque priùs campo explicuit ſeſe ordine Martio
Sulcatura maris nunc ſtat freta cœrula claſſis.
Et quamquam modus hìc tempusque, moramque repoſcat;
Utendum tamen eſt illo: ſic fallimus hoſtem,
Ne facilè advertat properari ad tuta receptum:
Continuò & noſtris opponat ſe auſibus acer.
At breviore cupis ſi Dux diſſolvere verſus
Arte, modoque, novus valido cùm murmure ventus

Quo ordine explicanda claſſis cùm receptus canitur.

E latere adverso consurgit, & æquora turbat,
Et tua cępta simul, faveatque hostilibus armis,
Fac quartum ad Rhombum sese agminis ultima pinus
Ad dextram venti flectat, curratque per æquor:
Hinc media ut fuerit classis pars tramite in illo,
Ad dextram properet spirantia flamina venti.
At reliquæ cursum teneant, quem prima secundæ
Se classis pennata vehit per cęrula puppis,
Quo tandem obtusus campo spectabitur ordo.
Ast agite, ò Musæ, & Vati succurrite vestro,
Difficiles artes præceptaque dura docenti:
Perque iter abruptum dum vadimus, inque rigentes
Dumeti sentes, tribulosque irrumpimus, ipsæ
Pandite non æquos aditus; callesque malignos
Sternite, vos Divæ, facilesque ad cępta præite.
Tuque vel in primis, Vati qui Phœbus Apollo,
Desuetas senio revocas in carmina vires,
Musarumque chorum sata per Moravia ducis,
Perque Atavis regnata tuis viridissima Tempe.
Adsis RAMBALDE, & dum te Lucina recenti
Ditavit partu dilectæ conjugis, aurea
Cui risit Fortuna, astrisque faventibus Horæ,
Horæ, queis vitam cura est, sortemque parare.
Progenitum gremio Musæ cępere priores
Certatim, & sacri lactarunt ubere fontis;
Aspice tu fasces puero, sortemque ferentem,
Et jam næniolas, & mollia verba parantem.
Interea inceptum Martis stat currere campum,
Atque coronatas ad littora vertere proras:
Quò me festivis compellant vocibus illinc
Parthenope, Megareque, & Olympia dulcis, & Ægle:
Et jam me teneris stringunt complexibus; atque hinc
Surrentina vocat Siren Colomelis aprico
De colle, & cœtu cunctarum cincta sororum,
Jamque (1) aditus reserat notos, antrumque repandit.
Quæ Vatem accipient, norunt fatalia Parcæ
Stamina, quæ ducunt fusis, & tempora figunt
Certa cuique hominum: sed si me consulit ipsum
Atropos, hìc Magnæ Matris tumularier æde
Optarem. Sed vivit adhuc dum spiritus & dum
Pe-

Mæcenatem invocat, cui de novo gratatur.

Optat Vates tumulari in Æde Surrentina ab se ædificata, ac Virgini dedicata, cum hac epigraphe: PARTHENIÆ GENITRICI VATES PARTHENIUS.

(1) Ostium, quò è scopulo per iter in monte excavatum, in Surrentinum, cui vulgò *Cocomellæ* nomen factum, quotquot sunt villarum amœnissimæ.

Pegafeas haurimus aquas, fera bella canamus:
Ergo age, Dux quando delufis hoftibus omnem
Subduxti è campo, & certo difcrimine claffem,
Nec fefe pandit fecura in valle receffus,
Nec portus conclufi, & turribus undique fepti,
Tuta quibus maneat, ftat litora curva fecundum
Velivolas ferro turres firmare tridente.

Cùm nulli in vicinia portus, ad littora applicanda claffis, atque anchoris firmanda.

Sed quæ cura locum firmandis navibus aptum
Deligere, & cautis folertia quanta Magiftris
Hìc adhibenda, priùsquàm fe gravis anchora fundo
Committat, fundetque rates, certamque falutem,
Accipe. Sit primùm fcopulis, & fyrtibus altis
Immunis, fundi fit arena rudentibus apta.

Quæ in hoc cafu cauto adhibenda fit.

Sitque tenax unci, fint littora libera ventis
Adverfis, nimbisque, & tempeftatibus atris.
Utque uti vento poffis, qui devehit hoftes,
Arbitrioque frui: actutumque educere ferrum,
Omnemque in verfus bellandi exponere claffem,
Soliciti valeant juvenes, doctique Magiftri.
Nec cùm fe expediunt, fefe per mutua naves
Incurfent, hoftique locum, dent protinus arma

Quæ fpatia tunc inter naves ftatuenda.

Inferre, atque tuo fua commoda quærere damno.
Idcirco, Prætor, fac pinus æquore diftent
Centum & viginti folidas, non ampliùs, ulnas;
Ilicet ut facilè, & nullo difcrimine poffint,
Inque aciem prodire, & aperto infiftere campo.
An non his ftudiis, hac folertiffimus arte
Ingentem Anglorum claffem, fociosque periclo
Exemit Jacobus? & aufis fortibus olim
Hoftem infultantem vicit, victumque fugavit?

His ufus artibus Jacobus Dux Eboracenfis claffem fervavit, atque hoftem improvife adventantem fugavit.

Jamdudum Batavos dura ad certamina Martis
Elicere, & cunctis conatus viribus una
De belli fumma tandem decernere pugna.
Hi certi portus, objectaque fepta tenere,
Nec fortem tentare, & apertum invadere marmor,

Bellum inter Anglos, & Batavos.

Ni dexter Mars, & victoria certa fuiffet.
Ergo Anglus fruftra cum fe confumere tempus,
Cerneret, atque hoftes procul à certamine abeffe,
Dat velum in ventum, & Susbäia litora curfu
Nota petit, Cereremque fuis, Bacchumque parare.
Non temerè hìc claffes, ut fors, cafusque tuliffet,
Sed cura folerte locat, ftudioque fagaci.
Ut quæque in cafus fe pinus verteret omnes,
Inque adventantes actutum pergeret hoftes.
At Ruitèrus ubi Batavæ Dux claffis ad oras

Ruiterus cùm ad Sufbai litora ftare in anchoris Anglos cognoviffet, in illos improvifus movit.

Jam patrias cunctis cum navibus iſſe Britannos
Cognovit, mora nulla, ſuos educere ferrum
Imperat, & ventis expandere vela ſecundis:
Nempe ratus hoſtes adverſo in littore ſtantes
Invadi facilè, & vinci certamine poſſe.
At verò incautum ſententia vana fefellit,
Et ſua ſpes hominem: conſpecto protinus hoſte;
Præſenti aſſurgens animo Jacobus in arma,
Explicat extemplò claſſem, locat ordine Gaulos

Extemplo Eboraeenſis anchoras educit, agmen explicat, ac fortiter Batavos excipit.

Quemque ſuo, & velis obliquas excipit auras:
Hortatur ſocios, dictisque ardentibus urget
In Batavos, certamque jubet præſumere palmam;
Inde movens, primum legatum præcipit agmen
Ducere in adverſos, pugnamque ordirier ære
Ignivomo: ſequitur medio promptiſſimus ipſe.
Ilicet Eſtræus ter denis navibus hoſtem
Aggreditur: ventoque uſus mirabilis arte,
Hoſtiles longè puppes (armaverat illas
Undifluis incincta vadis Zelandia & acer
Bancherus primo ductabat in agmine) in altum

Eſtræus primus hoſtes aggreditur, & ſubmovet.

Dimovit, pugnamque tonantibus undique ahenis
Arduus inceptat, crebris & pulſibus inſtat.
Continuò horrendis mugire tonitribus aër,
Fumoque obduci cepit, denſiſque tenebris
Incubuit nox atra ſuper lata æquora ponti.
Eſtræi ſed tanta fuit furibunda procella;
Ut plures Batavorum arces, urbesque natantes
Fulminibus fundo everſæ ſub gurgite vaſto
Corruerint: quin & conatus vertere claſſem
Se ſuper hoſtilem, & ventis delère ſecundis.
Aſt aura immoriens velis audacibus auſis
Obſtitit, adventansque nigris nox atra tenebris;
Non minùs interea Jacobus plurimus acri
Marte, animoque calens Ruiteri mœnia querna
Aggreditur: pugnant magnis conatibus ambo:

Acriter & Jacobus invehitur in Batavorum Prætoriam; fit acerrima pugna.

Æra tonant, volitantque pilæ ſub pondere vaſto,
Excidiumque, necemque ferunt: apluſtria ponto,
Disjectæque trabes, & corpora cæſa virorum
Incertum fluitant; medioque in gurgite fumant,
Malique, tabulæque, ambuſtaque fulmine vela.
Non minùs ardebat Mavors, & Mulciber atrox
Agmine poſtremo, quod & hinc Sanvichius, illinc
Batavici ductor Vangentius acer agebat.
Hìc Mars, Vulcanusque ferocior, hìc magis atrox
Pugna fuit, fortis periit Sanvichius igne

Am-

Ambuſta cum nave; ſimul perière procella
Quingenti juvenes, propriæ non cædis inulti:
Nam contra Hollandi periit dux agminis unâ
Cum navi, geminæque aliæ ſunt fulmine aduſtæ:
Non aliàs tantis odiis, cæcoque furore,
Nec tantis unquam pugnatum viribus inter
Æquè auro dites gentes, animoque feroces.
Sed cùm jam fuſco luceſceret æthere Veſper,
Thracius & ſenſim tenui lenteſcere flabro
Inciperet, Batavi, certò res perdita quando
Marte ſub adverſo, vento dant vela reflanti
Sub noctem, indecoresque petunt ſua littora curſu:
Victores Angli exultant, lætique triumpho
Vocibus & feſtis, & ovanti murmure totam
Duxerunt noctem, & Baccho indulxere frequentes.
Uſque adeo captare ſinum, & loca puppibus apta,
Artibus & propriis claſſem diſponere multum eſt.

Batavi victi ſe fugæ mandant.

Angli victores ovanti ſibi murmure victoriam gratantur.

Tempore poſt multo ſub Mœnia nota Panormi
(Partheniis quondam Muſis habitata Panormus
Et quamquam non æqua, tamen dilecta poëtæ.)
Non ſic ipſe, licet multa foret inclytus arte,
Verſatusque diu pugnis Ruitèrus, & armis
Et doctus maris ambages, poſitusque locorum,
Præſtitit, armata Galli cum claſſe ſecundis
Deſcendère auris incendia vaſta ferentes.
Idcirco (piget & noſtri meminiſſe doloris.
Sat luctus tulit illa dies, ſat ſanguinis hauſtum
Flammaque, ferroque: virûm ſat gurgite merſum eſt;)
Ipſe vel in primis duro data victima Marti,
Sublatus Fato indecore, & ſine honore ſepulchri.

Batavi, Hiſpanique Ruitèro cæſo, ac claſſe incenſa ad Panormum in anchoris ſtantes victi.

Verùm age, reſtat adhuc labor alter, & altera cura;
Arbitrium venti, Prætor, lucrarier, infra
Spirantes auras Nerei cùm cœrula ſulcas;
Ut ſic immineas hoſti felicibus Euris.
Et premere extemplò, atque in pugnam cogere poſſis:
Evades objecta fugæ ſaxa ardua, vel te
Et claſſem inducas quæſito flamine portus.
Obliquum cures verſum, qui proximus Eurum
Seu læva, dextrave (1) premat; tantumque profundi
Diffindes ſpatium, quantum properare poteſtas.
Hinc retrò flectes æquato tramite curſum.
Idque iterum facies, donec ſpirantia flabra

Qua arte venti arbitrium obtineri poſſit, ut promontoria ſuperari poſſint.

(1) *Accoſtarſi al vento*, quod & ſtringere ventum dicimus.

Obtineas victor, vel procurrentia saxa
Exuperes; liceatve sinus intrare repostos.
Ast hic te moneo, Prætor, quod discere multùm est:
Cùmque per accessus procedere, perque recessus

Juvat ad id ut aditus, reditusque longiùs fiant.

Niteris obliquum in ventum, quò mobilis auræ
Arbitrium tandem obtineas à puppe secundum;
Longior accessus fiat, latèque per æquor
Extensus: multùm flantis lucrarier Euri
Sic poteris, facilique jugum superare labore,
Præripere aut hosti crepitantes murmure læto,
Caurosque, Zephyrosque, & ovantes imbribus Austros:
Ast labor est, vento cùm deluctamur euntes
Angustas inter terras, freta stricta carinis
Velivolis, accessus ubi, mox inde recessus
Haud equidem poterit produci tramite longo.

Quod sanè difficilè in angustis fretis, quocirca Martio ordine incedendum.

Hinc tibi sunt multæ insumendæ temporis horæ,
Et multi pariter peragendi in gurgite flexus
Gaulis undivagis, toties qui cursibus actis
Incursare sibi poterunt per mutua, & unà
Intricare orbes sociorum, ipsosque morari.
Quocirca Martio procedant ordine naves;
Et mox inde retrò cursu flectantur eodem:
Atque adhibenda tibi in cursu solertia multa est.
    Ast age, si studeas, Prætor, cùm mobilis Euri
Aura favet pinis hostilibus, ipse sonantem
Inferiùs ventum accipias, invertere sortem,

Exponitur ars, qua ventus præripi hostibus possit.

Et tibi sufflantis flabri captare favorem,
Nitere velivolis inimici pellere puppes
Æquor in abruptum, & longè fac salsa secare:
Id verò facili poteris præstare labore,
Tramite si adverso, largoque volumine curres,
Omnibus & flexis simul in contraria velis.
    Et quamquàm venti arbitrium furarier hosti
Ardua successu res sit ventura secundo:
Attamen in longum ducas si tempus, & auræ

Nectendæ interdum moræ: nam sæpè ipsi se variant venti, cùm novi se vapores attenuant.

Expectes de more vices variantis in horam;
Ut vapor assurgens vario de cardine mundi
Attenuat sese, mutatque sonantia flabra.
Rarus enim dum fit, multo ciet aera nisu,
Spirantesque animas sine corpore ducit in auras;
Erroresve hostis malè cauti sedulus ipse
Opperiêris, ubi concessa & protinus uti
Si tu forte queas: Solertia sæpè Magistri
Atque acre ingenium tulit, & patientia palmam;
Ast illud teneas: interdum littora propter

Dum

Dum ſpirant Zephyri, atque intendunt vela ſecundi,
Longiùs aut Libyci reſonant, aut perfurit Auſter,
Quin etiam juga celſa, & promontoria circùm
Diverſæ perflant auræ: latus Eurus Eoum,
Occiduum ſed Corus habet, flatusque Favoni.
Idcirco interdum porrectum evadere montem
Si noris, Dux, arbitrium lucraberis auræ.
Quin etiam incluſam terris ſi Dorida curris,
Currentes poterunt ſinuoſi gurgitis undæ
In dextram ventum tibi mittere, mittere & hoſti
Ad lævam: certam quo mox certamine palmam
Marte feras. Vaſtis ubi fluctibus æſtuat ingens
Oceanus, Lunæque ſuos per tempora fluxus
Alternat, variis ſimùl ipſæ & flatibus auræ
Alternare vices ſolitæ, quæ cuncta neceſſe eſt
Scire Ducem, & docta pariter prænoſcere cura.
Vincere ſi cupiat, laudemque à Cæſare ferre.
Perge, velis Prætor, dubio certamine Martis
Claſſem ſubtrahere, atque in congrua tempora pugnam
Differre; optati cum ſpes ſecura triumphi
Fulſerit, Æoliaque ruunt dum rupe, ſecundi
Intendunt & vela Noti, & fera prælia poſcunt;
Sive novi accedant ſocii, vireſque recentes,
Queis priùs inferior fias par hoſtibus, æquo
Extento in campo valeas decernere Marte.
Non etenim præſtat, non res & publica poſcit;
Adverſo ut vento, multis & viribus impar,
Unius in ſortem committas omnia pugnæ.
Quæ nequeas reparare, cave permittere caſu:
Si tibi felici faveant ſpiramine venti,
Haud equidem poterunt hoſtes te cogere ad arma
Non æqua, in certum te te, claſſemque periclum
Coniicere; è puppi repleant ſi carbaſa Cori,
Ad dextram venti propior vada ſalſa ſecabis
Curſibus obliquis: longè ſic ſemper ab hoſte
Tutus erit, lævam Cori dum cogitur ipſe
Obliquo pariter curſu per ſalſa tenere.
Quod ſi conſtanti ventus regat æquora flabro;
Haud multum tibi, Prætor, erit coram hoſte tenere
Adverſo claſſem, & pugnam vitare morando.
At quoniam inſtabiles ſemper, nec ſiſtere eadem
Sede ſciunt auræ, quibus & variantibus, ipſa
Seſe etiam pugnæ variat fortuna repentè;
Idcirco hoſtili è conſpectu abducere claſſem
Nitere dux longè, ſic tutiùs æquora curres,

Nonnumquàm quæ ad dexteram Promontorii ſpirat aura non eſt eadē, quæ ad lævam ſibilat.

Maris etiam fluxus ad ventum obtinendum conducunt.

[Id præcipuè in Oceano]

Quid Prætori agendum, cùm dubio Marte ſubducere claſſem cupit.

Si ſecundi perflent venti, ad dexteram auræ accedat, quò longiùs ab hoſte naviget.

Quò

Quod si inferiori ex parte currat, quàm longè ab hoste illi navigādum.

Quò tandem melior tibi Sors sese offerat. At si
Inferior ponti sulces vada cœrula, & aura
Arbitrium tibi dura negat, tum, Prætor, & ipse
Hostis uti, largo circumdabis æquora flexu,
Nec propior pinis fias hostilibus: altum

Si verò subducere classem velit, id ordine, quo supra dictum est, faciet.

Æquor adi, velisque obliquo tramite curre.
At tibi si in ventum placeat dare carbasa, quando
Haud tutum coram hoste diu persistere campo:
Ordine tu facies, quo dictum carmine nostro,
Cùm tempestivum meditare in tuta receptum.
Nam si, Dux, cursum temerè in contraria flectes,
Casibus obiicies certis classemque, tuosque.
At si tu juvenum virtuti, & navibus altis
Confisus certare velis, hostemque morantem
Cogere; ut & sorti palmam committat, & armis:
Da mentem; paucis, res est operosa, docebo.

Quid si virtuti suorum, & navium magnitudini confisus certare velit, qua id arte perficiat, exponitur.

In primis in vela Noti si suscipis auras
Inferior tali proscindes Nerea flexu,
Qui longè alatas inimici submovet alnos;
Ast in conspectu semper versentur, ut Euri
Cùm variant sese, crepitantque in vela secundi
Protinus aggrediare, ibique faventibus auris
Egregiam referes palmam. Sed carbasa dextro
Si tua vel Zephyrus tendat, vel flamine Corus,
Qua cogas ratione hostes descendere ad arma,
Accipe; si vento, obliquisque per æquora velis
Ad lævam currant, flexu tu longior ibis;

Qua arte cogendi sint hostes ad arma.

Ut justo spatio decedunt navibus illi.
Classis quique tuæ mox cursu præpete Gaulus
Hostilem sectetur, aquas qui findat acuto
Adversas rostro, rhomboque excurrat eodem.
Quandoquidem tali si naves ordine cunctæ
Neptuni vada salsa secent, cùm tempore longo
Tota perhorrifici jactum se fulminis intra
Constituet classis: tum signum protinus ære
Bellandi dabis, & primus certamen inito;
Ut tamen eventu peragatur pugna secundo,
Omnibus efficies, Prætor, conatibus, omnis
Ut classis classi respondeat: omnibus omnes
Navibus & naves adversæ: longiùs una

Quæ industria cavere, ne hostis te ad ineundum certamen cogat,

Hostilis ne pars classis procedat, & auras
Se circumflectens velis furetur amicas.
Præterea dum quæque ratis sectabitur æquos
Per tractus hostem præeuntem, à sede recedat
Ne propria, varietque situm, ni certa Magistri

Jussa

Juſſa velint, & quo Rectores ordine currunt,
Currere ſubjectæ pinus nitantur eodem:
Illi etenim curſus, & prælia dura gubernant.
Perge, tuas ſuperet vires numeroſior hoſtis,
Et ſalvam in patrios claſſem deducere portus
Exoptes, illo nitaris tramite ſemper
Findere velivolis undantem Dorida pinis;
Quo ſimul ipſe ſuis volitat cum navibus hoſtis;
Terga premens, teteque affectat cogere ad arma.
Et nunc ad dextram, nunc lævam mobilis auræ
Inflectas clavum, donec ſub littora nota
Incolumes vertas multa cum laude carinas:
Inſuper his, multis ſuperas ſi navibus hoſtem
Ut facilè evincas producta longiùs ura
Poſtremum circumvenies Dux ilicet agmen.
Sic latere è gemino, & geminatis ignibus hoſtes
Comprenſi, nimboque & tempeſtate ſonanti,
Vel tibi ſe dedent, vel acerbo funere merſi,
Ad Manes ibunt Plutoni victima. Sed ſi
Arbitrium neget aura ſuum, lævaque ſuſurro
Murmuret; in velum retrò perſiſtere naves
Agminis extremi jubeas, ſi fortè reſlantes
Alternæ ſurgant auræ, & tua murmure deſtro
Intendant vela: actutum tum flectier agmen
Poſtremum poterit, ſubitòque accendere pugnam:
Sunt qui non circumveniunt ſigna ultima claſſis,
Fronte ſed ex ipſa trans vela hoſtilia vecti,
Primum tormentis quatiunt ardentibus agmen:
Nam ſi ſerpentis ferias caput, omne repentè
Corruit & corpus, victoria & integra parta eſt:
Sic ubi jam primum excuſſis turbaveris agmen
Fulminibus, cęptantque hoſtes terroribus acti,
Deſpondere animos, reliquas comprendere naves
Mox pavor incipiet, terrorque, & mortis imago
Plurima: quin etiam ſeſe inter fulmine abactæ
Incurrent naves, ſociasque timore replebunt.
At tu Parthenias Muſas ſi conſulis, agmen
Poſtremum aggredere à tergo, dum fulminis ictu
Alterna de parte tui quatiuntque, petuntque.
At circumveniat ne te numeroſior hoſtis,
Si vitare cupis, cura ſolerte caveto;
Ne longam retrò extendat cum navibus uram;
Flectere quam poſſit vento, & tua tergora nimbo
Fulmineo petere, & quernos diſrumpere muros.
Si vento immineas, primi fac agminis alnos

Si numeroſa claſſis, extendenda eſt: Ura, ac poſtremum hoſtium agmen circumveniendum.

Audaciores ilicet per ultimum agmen invecti primum aggrediuntur.

Quid agendum ne Prętori ab hoſte circumveniatur.

Non

Non primis hoſtis, ſed reſpondere ſecundis.
Sic etenim quotquot prima ſtant fronte carinæ;
Haud tete petere, ardentique laceſſere nimbo
Adverſo poterunt; & ſi ſe flectere quibunt,
Haud equidem facient longo ni tempore, quando
Incaſſum recidit curſu labor omnis, aquoſo
Inſumptus campo: nam poſt certamina longa
Fulminaque, bombosque, & terribiles reboatus;
Deponunt venti flatus, pelagusque ſileſcit:
Scilicet excuſſi fugiunt diverſa vapores:
Materiesque novis gignendis tollitur auris.
Quin etiam media ſub claſſe relinquere inane
Sæpè juvat ſpatium, fruſtra quod verberet hoſtis;
At caveas primum ne ſic ſe diſtrahat agmen
Navibus à reliquis, aut callidus abſtrahat hoſtis.
Sic etenim efficies ne inimici longiùs uram
Extendant tua ſigna retrò, geminisque flagellent
Pulſibus extremum, atque involvant ignibus agmen;
At non dextra tibi Zephyri ſi ſibilet aura,
Non tantum vacui prima ſub fronte relinque,
Plus tamen in medio. Verùm ne fortè per illum
Irrumpat citus adverſarius, & tua pulſu
Terga petat, medio præſtabit habere carinas
Turritas aliquot, vacuum quæ fulmine ſervent
Excuſſo, atque alias incendia dira ferentes,
Clauſa ſinu ſuperas jam jam eruptura ſub auras;
Contra adventantes quæ mox mittantur in hoſtes;

Quibus præſens, ac fortis eſt animus per mediã hoſtium claſſem irrumpunt, ventique arbitrium lucrantur.

Verùm audax labor inſequitur, plenusque pericli;
Seſe transverſum medios immittere in hoſtes,
Et dextras captare auras, & vertere ſortem
Hactenus adverſi certaminis: ardua Martis
Alea, digna viris ſed fortibus, & quibus alma
Eſt cordi laus, & facti meritiſſima laurus.
Qualem Texeliæ ad fines certamine duro
Audacem Eſtræum magno retuliſſe ſuorum
Cum plauſu memorant, dubio cùm Marte, Notoque

Sic magna Eſtræus cum laude in Batavos præſtiℓit, ac victoriam adeptus.

Adverſo, in Batavas irrumpens impete pinus
Evaſit ſine noxa, aurisque in vela ſecundis
Inflexit clavum, & Zelandas fulmine adortus
Disjecit ſubito naves, palmamque morantem,
Hoſtibus edomitis, tandem ad ſua ſigna vocavit.
At quia difficilis, magnoque obnoxia damno
Res eſt, ſucceſſu careant ſi cœpta ſecundo;
Idcirco raro in caſu tentabis, iniquus
Cùm te Mars premit, & Fortuna adverſa, malumque

Im-

Quia verò res ardua, idcirco rarò, & quibus in casibus tentanda.

Impendet majus. Audendum rebus in arctis,
Et quod Sors, Mavorsque negant, virtute merendum est.
Insuper hostilis multum si classis inane
Liquit utrumque inter versum, navesque suorum
Adversùm stantes non prælia dura ciere,
Sed tantum spectare queunt, transvadere in hostem
Idcirco præstat, Martemque accendere bombis,
Sique aliquot mediis in fluctibus armamentis
Exutæ fluitant alni, incertumque feruntur,
Postremum poteris, via quà tibi larga patescit,
Agmen trans petere, & longo comprendere flexu.
Sique tuas hostis naves distraxit, & illæ
Sint arcto positæ, circùmque premantur ab hoste:
Auxilium quibus adverso sub Marte ferendum est.
At res ut magnis cedat feliciter ausis,
Collige, Dux, agmen, structoque sub ordine pinus
Immitte, & velis geminatis plurimus auras
Accipe, quò spatium pervadas ocyùs omne,
Ne vadens medio in cursu oppugnèris ab hoste.
Insuper actutum stat cœptum inflectere cursum,
Hostica ne classis flexu se vertat eodem.

Sed post tot pelagi tractus, fluctusque remensos,
Ventorum & luctas, durataque prælia Martis,
Securi invitant portus, & littora duris
Rupibus intercincta, armataque turribus altis:
Defessis ubi blanda quies, atque otia læta.
Sed proh Fata Deûm, nec tuta in portibus ipsis
Vita, salusque hominum! tantæ mortalibus iræ,
Atque odia, & regni numquam saturanda libido.
In flammas, ferrumque ruunt: non horrida Martis
Exterret facies, nec certa pericula tardant.

Qua arte portus, inque ipsis Classes muniendæ.

Idcirco ut gremio classis secura recurvo,
Stent clausi portus hinc, illinc littora propter
Uno dispones turritas ordine pinus.
Anchoraque expositas fundabit dente tenaci,
Illæ autem tanto distent discrimine terris,
Ut terras inter, puppesque meare potestas
Nulli sit: juxtà sed portus littora naves
Ignivomas aliquot dextra, lævaque locato,
Quà sua conclusis nautis sinus ostia pandit,
Nam sic irrumpens ab apertis fluctibus hostis
Amittet venti arbitrium quæque ostia propter
Ignivomæ insistunt naves ruere ocyùs aura
Felici poterunt, hostemque involvere flammis.
Non secus & reliquæ, stabulant quæ litore utroque

Actutum ventis expandere vela secundis,
Et pugnam serere, atque inimicas perdere naves,
Et quibunt palmam parvo certamine ferre.

Apostrophe ad Mecænatem, cujus jussu cęptum opus, finem accipit.

Sed jam devexi me temporis admonet hora,
Ut jussis RAMBALDE tuis, quam cępimus alto
Suspensam è clavo citharam, & discordia fila,
Reddamus numquam nostris (mortalia quando
Linquimus, & superas jam jam properamus ad arces)
Articulis pulsanda, tui tu suscipe Vatis
Obsequium, & nostram victuram in sæcula famam,
Laude tua, magnique tui tege nominis umbra.

FINIS.



PARTHENII
BELLICA.

NICOLAI PARTHENII
GIANNETTASII
NEAPOLITANI

E Societate Jesu

BELLICA

Editio secunda emendatior.



NEAPOLI, M. DCC. XIV.
Apud Bernardum-Michaëlem Raillard.

Superiorum licentia.

Reimprimatur, Neap. die 6. Novembris 1714.

NICOLAUS CAN. ROTA PRO-VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Gyptius Can. Dep.

Reimprimatur, Neap. die 8. Novembris 1714.

ARGENTO REG. ET PRÆSES.

Pescarini.

EXCELLENTISSIMO
PRINCIPI
THOMÆ AQUINATI,

Castilionis, Feroleti, Sancti Manghi, ac S. R. I. Principi,

PERPETUO HISPANIARUM MAGNATI,

Mamertinorum Comiti, Urbiumque Neocastri, Mamerti, earumque Statuum Domino.

NICOLAUS PARTHENIUS GIANNETTASIUS

PERPETUAM FELICITATEM.



Um Surrentinos Autumnos, lusus nimirum nostros, & succisiva temporum ramenta, quę excidere sine lucro, veteri sapientum more, non patimur, summa humanitate, ac benevolentia, quæ dotes ita animi tui propriæ sunt, ut natus ad bene merendum videaris, complexus sis, Princeps Excellentiss. haud equidem multum mihi dubitandum fuit, quin Bellica, tot mihi annos evigilata, & ea, qua poteram, diligentia perpolita, tibi etiam nuncupare, illicò decernerem. Nam si tanta in tenuissimo illo, ludicroque opere excipiendo humanitas, tanta legendo voluptas fuit; majorem sanè futuram, sperare meritò poteram, in eo opere, in quo si nihil

hil aliud, certè materia ipsa te viro, tum erudito, tum bellicoso, est quàm dignissima, atque à genere tuo minimè aliena. Est quippè illud à Bellicosissima tibi gente traditum, & quæ in Italia tot annos continuis fermè bellis sibi imperium ascivit. Ea verò Longobardorum gens fuit, quæ & si primùm barbaro è solo prodiverit, mox in mitissimo, cultissimoque Italiæ cœlo, adeò civiles ritus, humanasque artes edocta, ut nihil admodùm esset, quod antiquis cultoribus invideret. Ex his verò, qui ex Capuæ Principibus, ac Beneventanis Ducibus, ipsisque Italiæ Regibus orti, Aquinum, vetustissimum Volscorum Oppidum, ex quo inclytum Familiæ tuæ cognomen factum est, primi occupavere, clarissimam generi tuo originem dederunt: ex quo uberrimo, ac perenni fonte per tot sæcula, plurimi, præclarissimique viri progeniti; qui eam sibi laudem bellicis artibus pepererunt, ut victoriarum suarum famam immortalem ad posteros suos transmiserint. E quorum numero (quando omnem proferre multitudinem annorum opus, integrique voluminis, non verò paucarum horarum, & unius Epistolæ foret) satis sit perpaucos, qui reliquos inter fama gestorum supereminent, proferre. Ex quibus, eo tempore, quo Aquinatium Comites supremo in gentem imperio dominabantur, tum ordine, tum gloria primus emicat Athenulphus, *qui validissima hostium arce eversa, victisque acie Cassinatibus, illi Campaniæ oræ imperitavit, quæ inter Lirim, & Vulturnum amnes jacet. Hunc* Landus *non minùs nominis, quam laudis hæres, secutus est: is Capuæ principatum contra fortissimas Corradi Cæsaris copias strenuissimè propugnavit: Cassinates verò cum cæteris fœderatis, qui armato occurrere ausi, insigni victoria ad sublicium Liris pontem profligavit. At enim longè illustria, etsi præclara illa sint,* Athenulphi *Secundi gesta fuere: qui quantùm pietate, tantùm fortitudine valuit: is D. Benedicti, ejusque sedis cum tutelam suscepisset, in Minturnenses movit, collatisque non semel signis, magna clade debellavit, atque aperto Marte contra Nortmandos, Capuanosque Principes pro Cassinatibus summa sui nominis laude decertavit: Cumque Cajetæ Dux creatus, susceptam suffragio magnam illam dominationem, armis adversus Salernitanum Principem tum temporis potentissimum asseruit, inque posteros suos transmisit. Illius autem celebris adhuc apud nos memoria pertransiit: quod & Alphanus Salernitanus Archiepiscopus in ejus tumulo eodem ferè tempore testatus est;*

Dormit, Aquine, tuus Comes hic, Cajeta, tuus Dux
Magnus Athenulphus, Capua quem genuit, &c.

Nec minor Pandulphi *pietas, ac fortitudo enituit: qui nullis periculis, nullis casibus retardari potuit, quin Ecclesiæ partes,*

unà

unà cum Lotario Imperatore contra Anacleti fautores sequeretur, tantumque suis viribus, suoque ingenio afflictis rebus momentum addidit, at meritò egregiis laudibus ab Ecclesiasticis Scriptoribus commendatus sit.

At quoniam id temporis, sic ferente reciproco humanarum rerum æstu, ac variantis Fortunæ arbitrio, & nescio quo malo Italiæ fato, quæ toties Barbaris patuit, ad Nortmandos magna Meridionalis illius pars devoluta esset, Aquinates Comites Victores secuti, strenuam illis operam in bellis navarunt. Ex quibus Rinaldus, *&* duo Pandulphi *insigni delectorum virorum manu Gulielmum cognomento Bonum, in sacram primùm expeditionem, deinde contra Africanos mirificè adjuverunt. At extinctis Nortmandis Regibus, iterumque vices variante Fortuna, Svevi affinitatis jure admissi, egregiè ab Aquinatibus Comitibus adjuti, ut rerum potirentur. Ea verò ætate, is floruit, quem tu uti nomine, ita egregiis moribus refers, relaturus mox etiam victoriis. Is fuit* Thomas Aquinas; *alterum familiæ tuæ lumen, atque præclarissimum sui temporis decus: illum cùm Acerrarum Comitem Federicus creasset, sibi etiam generum ascivit, juncta illi in Matrimonium filia Constantia: id verò se idcircò fecisse palàm professus, quod illius operæ tanti accessionem regni deberet: quod, victis, fugatisque, Celani Comitibus, qui seditiosorum Duces erant, summa fortitudinis, prudentiæque laude asseruerat. At licet hæc magna fortissimi Ducis gesta fuerint, maxima profectò, quæ nobiliori titulo in Palæstina, Syriaque gessit: in has enim Provincias summo cum Imperio à Federico præmissus, non semel cum Saracenis tanta felicitate conflixit, ut illis acie victis, castrisque exutis, jam penè desperatas, perditasque Christianorum partes penè in integrum restituerit. Quapropter non immerito, nobilissimum illud Eugenii P.M. præconium promeruit: quod quidem referre operæ pretium est.* Prælia tua, *inquit,* audivimus, quæ & prælia Fidei sunt, ubique felicitatem consecuta, &c. *Quibus verbis cum illius tùm pietas, tùm fortitudo, tùm felicitas divino dicam oraculo commendetur, nescio quid majus sit, quod ad hujus egregii viri laudes possit ulterius accedere: imo laudum omnium instar est, ab eo, qui Numinis vices apud homines gerit, egregio præconio exornari.*

In hujus filio Landulpho *tanta in ipso ætatis flore indoles præluxit, tam appetens laudum animus visus est, ut maximarum rerum spem Avo Imperatori fecerit: nec sanè infra expectationem eventus fuisset, ni properata vota, & præcoces spes primo in cursu immaturum juvenis fatum abstulisset: quod adeò acerbum Federico accidit, ut epistola ad generum scripta tum amoris, tum doloris plena, consolari illum, testarique suam erga conjunctissimam sibi, gratissimamque familiam, benevolentiam voluerit. Verùm,*

rùm, quod præstare Landulpho *præmatura mors vetuit, exequutus* Rinaldus *est Casertanus Comes, & sororis Manfredi Regis vir, cui inclyta post facta, Regnique totius & pace & bello moderationem, fato occumbere cum ipsa Suevorum regnatrice domo obvenit.*

Cùm verò ad Andegavenses rerum, Regnique arbitrium translatum, Thomas *hoc nomine secundus, Acerrarum Comes Carolo Primo in Corradini prælio, Luceriæ expugnatione, cunctorumque Saracenorum expulsione egregiam operam præstitit. Hunc autem* Athenulphus iv. *Acerrarum Comes, paternarum laudum æmulator secutus: qui sub Carolo II. tùm navalibus, tùm terrestribus præliis contra rebelles Siculos prosperè gestis, majorum palmas, novis fascibus cumulavit.*

Et quamquam hæreditariæ familiæ tuæ dotes Pietas, ac Fortitudo semper fuerint, effulsere vel maximè in Pandulpho *Aquinatium Comite: qui Sanctæ Sedis partes periculosissimis tum temporibus constantissimè tenuit, cujus filii, & præcipuè* Rinaldus *Paternarum virtutum æmuli; in Etruria, ubi acerrimum tùm bellum inter Gibellinos, & Guelfos exardebat, qua etiam lue tota penè Italia comprehensa miserum in modum vastabatur, pro Romana Ecclesia, æternum victuri, ceciderunt. Quo tempore divus* Thomas *eorum frater, maximus tùm familiæ, tùm Fidei splendor divino ingenii sui acumine, validissimoque stylo contra tùm temporis Heterodoxos, pro Fide, ac Religione acerrimè, feliciterque decertabat: & successu tam prospero, ut ab ipsomet humani generis Servatore laudari semel, iterumque meruerit. Sed quanta hic laudum recensendarum seges esset, si extra oleas ferri liceret? quantus palmarum campus? immensus profectò: cùm verò nec præsens id tempus, nec institutum patiatur, ad Martia majorum tuorum facta revertor.*

At quia festinanti mihi uno plures fasce, sed laureato, colligere necesse est: dicam Ascolitanos Comites, Satrianos, Bellicastrenses, Lauretanos ex tua domo, tamquàm Trojano ex equo emissos, non ad Trojam incendendam, sed ad Patriam defendendam, sub Carolo II. & Roberto, mirificas palmas, laureasque adeptos. Quibus veluti summum laudum apicem imposuit Adiunlphus iii. *Primus Castilionis Dominus: qui per omnes militiæ gradus ad summum armorum imperium evectus, Ludovici Bavari contra Ecclesiam, Romanosque Pontifices insanientis, maximas vires gloriosissimè fregit, Ferraria propugnata, Ecclesiæque libertate asserta, atque Hæreticis Donatistis, Reate tunc degentibus, funditus extinctis, quibus egregiè gestis à Roberto evocatus, inque ultimos Italiæ fines Supremus Dux missus, expulsis Siculis Rhegium Julium obsidione liberavit. Tanta verò præclarissimi Ducis merita in Regem, Regnumque fuere, tantæ res bello gestæ, tanta palmarum*

rum

rum seges, ut jure optimo epigraphen illam meruit, quæ in sua Castilionis arce præfixa ad æternitatem est.

ATHENULPHO
THOMÆ AQUINATIS, & Amengaldæ de Ceccano filio
Ex Comitibus Aquini, Cajetæ Ducibus
Post obita præclariora Caroli II. & Roberti Regis munia
Capitaneo Generali
Castrum regia munificentia concessum.
Anno Dom. MCCCIII.

Ex hac autem fœcundissima Heroum propagine post XI. Castilionis Dominos, Principes V. tu, Vir præclarissime, emanasti, inter quos THOMAS II. *illustribus impressa notis Patris vestigia secutus, Marti se addixit: summoque cùm Imperio in Japygii Dux sub Carolo III. & Joanna I. exercitibus præfuit; palmisque ex hostibus relatis, se Aquinatem probavit: eodem ferè tempore, quo juvenis Ladislaus libertatem, nomen, Regnumque Francisco de Borgo celeberrimo Duce, asserta retulit, cujus domus materno jure in vestram Familiam commigravit: nescio cujusnam majori sorte? hujusne, qui in illustriorem revixit, an illius, qui tantæ accessione domus una cum Monderisino Comitatu, antiquos titulos, atque ornamenta novis amplificavit?*

Andegavensi, ac Dyrrachina domo tandem extincta, Aragonenses adoptionis, & antiquissimo hæreditatis jure postmodùm successere: quos tuæ Familiæ plurimum debere nemo unus est, qui nesciat, ni fortè is, qui illius ætatis Scriptores, & præcipuè Jovianum nunquàm evolverit: à quibus prodita memoriæ sunt FRANCISCI *Aquinatis Laureti Comitis gesta, qui unus ex Interregibus fuit. Hic enim Capuam fortissimè tutatus, atque exercitui ad Cajetam præfuit, Caldorensium fines invasit, Eugenii IV. arma tandiù retardavit, donec Alphonsus auxiliares copias duxit, atque arctissimam solvit obsidionem: cujus rei præclarissima merces, ac testis fuit Pescbariæ Marchionatus, Regni Neapolitani, tùm ordine, tùm dignitate primus, quo magnanimus Rex* BERARDUM GASPAREM *Francisci filium eo ipso die insignivit, qui suo illustris triumpho fuit.*

Sed quoniam longum esset cunctos, vel etiam summatim percensere, prætermitto, quam fortiter, constanterque Aragonensibus Regibus suam operam reliqui Lauretani Comites, Castilionisque Domini præstiterint, commemorare: & quanta V. RINALDI, VIIQ. LUDOVICI *Castilionensium Dominorum merita fuerint, quando præclarissima exstant testimonia, eaque sunt Regiæ Mensæ, Ærarii, totque armorum Præfecturæ, totque insignes Æquestres Ordines, titulique complures, quibus modò hi, modò illi pro præclaris in bello gestis exornati fuerunt.*

*m 2 *Et*

Et quamquam istorum omnium virtus ad Regnum obtinendum, conservandumque Aragonensibus Regibus plurimum valuit, nihilo tamen minus, extinctum omninò fuisset cum illorum nomine Imperium eo tempore, quo Carolus VIII. Francorum Rex validissimo, numerosissimoque exercitu Aragonensium Principatum aggressus est, nisi hinc Indici *Avali, illinc verò* Andreæ *Mamertinorum Comitis atavi tui collata in unum virtus juveni Ferdinando spes, animosque fecissent, atque illius jam jam labentem fortunam tenuissent, erexissent, ac demùm in priorem dignitatis gradum restituissent: quocirca istorum opera exortas tum primùm Aragonensium res non immeritò dixerim: hujus verò tàm saluberrimi, quam præclarissimi in Regem, ac Regnum gesti haud par retributio visa est amplissimus Mamertinorum Comitatus: quod Rex ipse in diplomate magnificis confiteri verbis non est veritus.*

Post Aragonenses Austriaci, ut in Hispaniarum Regna, ita in Neapolitanum hæreditario jure asciti. Quibus quam peregregiam operam, quam fidam Progenitores tui collocaverint, neminem profectò esse arbitror, qui non teneat: Cæsar x. *Castilionis Dominus in Africana primum expeditione, quæ contra Albæ Juliæ prædones suscepta est, deinde contra Lautreci copias, ac validissimos conatus in obsidione Neapolitana, pugnacissimè pro Carolo V. dimicavit. Joannes Baptista in Belgico bello,* Horatius, *Hierosolymitanus Eques, dum Melitam Fidei asserens à Barbaris propugnaret,* Gaspar *in navali ad Athæneum pugna fortissimè decertantes gloriosissimam mortem occubuerunt. Et ut ad proximiora tandem tempora descendamus, celeberrima apud Belgas est* Joannis *Secundi Feroleti Principis propatrui tui virtus, qua sibi sempiternam nominis famam comparavit. Inter cæteras verò res in bellis gestas* Ludovici *Sancti Manghi Principis propatrui etiam tui memorabile illud est, quod in prælio ad Norlingam inter Catholicos, atque Hæreticos commisso, concreditum sibi collem fortissimè defenderit: ex quo illa populorum omnium vocibus non dum satis celebrata victoria, parta est. At quanta ego voluptate, quanta veneratione Principis* Aloysii *Parentis tui memoriam revoco: cujus virtutem, prudentiamque nostra hæc Civitas, Regnumque universum difficillimis temporibus experta feliciter est: siquidem in populari tumultu, à Patruo, qui à Joanne Austriaco summa authoritate ad componendam pacem legatus fuerat, regii vexilli, quod ex improviso ad Albam Portam explicatum, erectumque est, illi uni, tamquam viro forti, tutela commissa est. In postrema Messanensium defectione, Siculoque bello, delecto ex sua dominatione milite Calabriæ litora strenuè defendit, auxiliumque Castilioni tulit, cujus arcem ex inopinato adorti Galli, Siculique fuerant: naves onerarias, quæ Neapolim annonam devehebant, ex hostium penè manu eripuit: quo tempore tu puer visus*

es

es hastile humero gerens inter antesignanos milites stationem tenere: & quantum puerili corpore infra reliquos eras, tantum supra omnes animi magnitudine, ac divina indole eminebas.

Et sanè non tibi hucusque animus, non ardor bellandi, sed occasio defuit: quod manifestis argumentis præteritis annis ostendisti: cùm post pugnam ad Orbesanam haud feliciter initam, res nostræ periclitarentur, designatus Dux es Italicæ legionis, quæ tum in supplementum scripta erat, à Comite S. Stephani Prorege Neapolitano, cui tua virtus, prudentiaque apprimè nota, perspectaque erat: quæ dotes non solum ætati præcurrerunt, vix enim XXIV. annum attigeras, sed natæ tecum sunt: sed cùm casu, qui quantum humanis in rebus possit, scis equidem, retardata illius legionis expeditio sit, & pacta Italiæ primùm, deinde Europæ totius, quæ in armis erat, pace, ablata tibi tam peroptata, tam felix occasio, quod quàm ægro tuleris animo, scimus equidem: nam nihil iniquiùs generoso accidit animo, quam præsentem rei bene gerendæ occasionem amittere. At sume, quo præstas, animum, si non hæc, aliæ certè non deerunt occasiones, quibus eam adipisci gloriam valeas, quæ domus tuæ propria est. Nam cum tibi Martius à majoribus inditus sanguis sit, cumque pulcherrima ex grandi conjugio proles obvenerit; quo, quidem regio item, ac bellicosissimo sanguine tuo admisto, nova ad bellandum incitamenta, novique tituli addentur: liberi nempè tui ex Fulvia Mirandulæ Ducis filia procreati, cui Mater Estensis, Ava Sabaudica, Abava Austriaca, Philippi III. Hispaniarum Regis soror; primis tum Italiæ, tum Europæ Regibus conjuncti jure sanguinis cognatique sunt: cum denique viribus, ingenioque polleas, inque veterum Ducum gestis versatus sis, quis tè optimum futurum Ducem ambigat, etsi tardè in arenam descenderis? tardè autem? imò tempestivè: continua quippè exercitatio umbratiles pugnæ sunt, nec experientia ei deesse poterit, cui & perspicax ingenium, & præsens est animus.

Accedit etiam, quod cùm Catholicus Rex, summo, prudentissimoque judicio Te inter Hispanæ Aulæ Magnates perpetuò adlegerit, qui honor multò anteà Familiæ tuæ debebatur, & non ad Domus tuæ magnitudinem, splendoremque tantùm, ac Atavorum tuorum inclyta gesta, ut è multis pauca enumeravimus, sed ad Te, virtutesque tuas, fidemque respexerit, magnamque de Te tot animi dotibus exornato expectationem conceperit, habes novos stimulos ad immortalem tibi gloriam comparandam. Verùm, ne modestissimas aures tuas offendam, reliqua, quæ de te, tuaque familia dicere possem, prætermitto: & eo præcipuè, quod nemini non sunt quam notissima. Quis enim adeò inscius annalium est, qui nesciat tot præclarissimos ex tua familia viros, vel infula venerandos, vel purpura conspicuos, vel præfecturis Provinciarum, ac

Re-

Regnorum nobiles, vel Regiis, ac Pontificiis Legationibus insignes prodiisse? Quis adeò imperitus rerum qui tot, tantosque domus tuæ titulos, ac principatus ignoret? Quis Majorum tuorum egregias dotes, ac virtutes plenè divinas, quibus præ cæteris emicuerunt, admiratus sæpiùs non est? Ex quibus jure factum, ut non immeritò antiquos modernosque Aquinates comitate, ac moderatione cum Romanis Valeriis conferre quis possit, uti bello & fortitudine cum antiquis Claudiis, & Corneliis alii contulere. Superest tandem, ut benigno vultu, ac ea comitate, quæ animo tuo indita à natura est, nostra hæc tu Bellica excipias: habebis profecto quibus artibus, qua industria, eam gloriam comparare possis, ad quam regium semper animum intendisti: atque erudiri etiam in illis liberi tui, vel à teneris annis valebunt, mihique eam segetem laudum subministrabitis, qua nobiliori cothurno altius quid sonare valeam. Vale ex Surrentino Nonis Augusti MDCXCIX.



BEL-



BELLICORUM
LIBER PRIMUS.



QUæ melior bello pubes, quibus illa sub armis
Eniteat, structaque acie quæ signa sequatur,
Seu peditum turmæ, seu componantur equestres:
Muneraque, & variæ quot bellatoribus artes,
Sive struunt, variantve jugis & versibus agmen:
Nec non fulminei quæ Martis machina, & usus
Qui sit: quæ leges, & disciplina adhibenda:
Qui Ducis & magni labor, & solertia quanta,
Seu moveat, seu castra locet, sivè explicet omnem
In campis aciem, & pugna jam provocet hostem:
Quanta & bellaces ordiri industria fraudes:
Quin etiam docto fuerit quæ cura Magistro
Obsidii, & validas detur quibus artibus arces
Expugnare, quibusque acri defendere ab hoste,
Jam canere, & levibus paulùm me attollere cœptis,
Incipiam. Tantorum operum tu numine amico
Author, Aquiniade, propera, lux inclyta nostræ Mæcenatem invocat.
Parthenopes, doctique decus memorabile sęcli:
Seu magna æternis meditantem condere carthis
Te (1) Megare turrita tenet, formosaque cultu
(2) Ægla Palatino mirata à vertice plaudit.
Sive redux priscum, tua regna, revisis Aquinum:

Aut

(1) Insula, in qua castrum ædificatum, *il Castello dell'Ovo.*
(2) Quæ & Lucullanum, nunc vulgus popularium vocat *Pizzofalcone.*

Aut procul irriguo, lustras, quæ flumine cingit
Hinc celer Ocinarus, vagus illinc amne Lametus,
Ac juga sylvosus complectitur Apenninus.
Regna antiqua patrum, lætisque uberrima campis,
Opportuna situ, & Tyrrheno ditia fluctu.
O age, terrarum quacumque in parte residas,
Quidquid agas, insigne licet, descende parumper
Lauriferum in Martis campum, delectaque Vati
Auspiciis da bella tuis percurrere plectro
Heroo, & grandi numeros æquare cothurno.
Nam tu belligerum genus altum à sanguine avorum
Ducis, in Ausonia quæ regnavere tot annos.
Quos inter non laude minor, non fortibus impar
Ausibus assurgis: perque ardua cursibus acer
Palmiferum sub culmen iter moliris, & almas
Jam jam victrici dextra legis arbore frondes.
Quas tibi Pieriæ pariter deferre Camœnæ
Certatim affectant, doctosque incingere crines:
Quando etiam dulci cantu Parnassia pulsas
Culmina, & Etruscus tibi plausibus assonat Arnus.
Scilicet ut venias Mars alter, & alter Apollo.
Quare age, & Austriacum Juvenem dum bella docemus,
I Vati comes in Mavortia carmina, ut olim
In sacra signa, Scythen contra comes illius ibis.
Ille tuus veluti Federici Cæsaris arma
Insigni quondam Thomas virtute secutus:
Cui nunc par vultu incedis, par nomine, & ausis.
Tu verò toti spes optatissima mundo,
Apostrophe ad Josephum Cæsarem.
Austriade Josephe, sacro sate numine divûm,
Has precor, has humiles ne dedignare Camœnas:
Nam tibi magnanimas artes, & Martia tradent
Munera, Threicium queis debellare Tyrannum,
Et potis egregios majorum æquare triumphos.
Nam tu (vana mihi cecinit non Delius) ille
Cæsar eris, Graii primùm quo Consule fasces,
Post cladem Othomanùm, & felicia bella recepti,
Addentur Latio: fastis melioribus annus
Aureus incipiet, palmaque insignis Eoa;
Austriacusque tuo veniet de nomine dictus.
Tunc Oriens, tunc Vesper erunt Rectore sub uno:
Tu Rector, tu Cæsar eris: tibi serviet uni
Europe, atque Asia, & pacatis Africa monstris.
Jam video Scythicis fervescere cladibus Hebrum,
Pallentesque atro volventem sanguine Lunas
Æquor in Ægæum, pharetrasque, & barbara tela,
Vi-

Victatosque ſimul penna trepidante galeros.
Jam video Rhodopen, Pangæaque celſa ſuperbum
Inclinare caput, totis & plaudere ſylvis:
Teque altum incurvis venerari collibus Æmum.
Jam tua ſeptenas veſtigia lambere pronas
Aſpicio turres, lunataque ſigna tyranni:
Et Byzantinas jam jamque pateſcere portas.
Ergo age, da faciles aures, animumque docenti
Egregias majorum artes, & munera belli:
Et ſimul Heroo jam nunc aſſueſce labori.

At tu, cui chari ſemper tutela parentis,
Dive, fuit, magnasque domos, & regna gubernas,
Auſtriadum, LOIOLA, polo delapſus ab alto,
Dexter ades, noſtriſque favens allabere cœptis.
Atque tuo, meruit ſi tantum, carmina Vati
Suffice: ſi pennis, animiſque audacibus altum,
Corripimusque iter intactum, inſuetumque carinis,
Dulcia & ingenti ſi rumpimus otia nervo;
Ducere tu Vatem poteris per devia, perque
Ambages belli varias, perque ardua Martis
Munera: quandoquidem dux acer Iberica quondam
Prælia conatus virtute, animoque virili,
Non unum pulſo retuliſti ex hoſte trophæum.
Quare age, ſi ſunt Auſtriadæ tibi maxima cura,
Tu Mars, dive, tubam, tu bellica tympana pulſa:
Inſtrue tuque acies: confer tu ſignaque ſignis:
Tu dictis accende animos, & prælia miſce:
Arduus inque Scythas aſſurge, Hunnosque rebelles,
Atque tuos ſacro Auſtriadas dignare triumpho.

Invocat D. IGNATIUM, ut ſibi opem ferat.

Principiò quicumque parat decernere bellum,
Conſulat, æqua priùs fuerit ſi cauſſa: neque unquam
Deſcendat temerè in campum, ſeque implicet armis:
Legitimum, ſanctumque fovent præſentia bellum
Numina, & egregiis ſemper ſucceſſibus augent.
Nec niſi læta pio ridet Victoria regi.
At non æqua vetant certamina: vindice pęna
Injuſtos & juſta duces ad vulnera ſervant.
Sæpè urbes arma in ſocios ſine jure ferentes,
Florentesque unà populos, ſubverſaque regna
Vidimus, & cædes paſſim, fœdaſque rapinas,
Atque profanatas ædes, & templa deorum,
Virginibus per vim raptis, temerataque ſacra;
Dura quidem, miſeranda: ferocibus attamen illa
Debita erant populis, atque auſis digna profanis:
Plurima quæ modo te poſſunt documenta monere:
Nec longè à faſtis majorum exempla petenda.

Nunquam de bello decernendum ni juſta ex cauſſa, ſecus cædes expectandæ.

Fœdere diſrupto per tot perjuria, bellum
Movit, & ingentem Romanis Thracia cladem
Sæva minabatur, ſupremaque funera regno.
Jamque Scythæ Tanaim, & Mæotidis antra paludis
Deſeruere: quibus ſeſe conjunxerat omnis
Dacia: permixtique Getæ, Moeſique ruebant.
Jam Rhodope pharetrata ſuos præmiſit, & Hæmus
Ipſe ſuos: gentesque bibunt quæ Strymonis amnem,
Et quæ Peneum, quæque alta Ceraunia luſtrant:
Albanæque acies, domitrixque Epidamnus equorum,
Bellatrix Epirus: & his convenerat omnis
Græcia, nec longo jungunt poſt tempore duri
Agmina Cappadoces, Galatæque, & Lydus, & omnis
Ægyptus, viresque Orientis, & accola Rubri
Æquoris uſtus Arabs, & odoriferi Nabathæi.
Millia quot Scythici nunquam duxere tyranni,
Jam tantis populorum undis, & viribus auctus,
Et tumidus faſtu ingenti regnator Eoi,
Pannoniam in magnam ſeſe diffundit: & omnia
Occupat agminibus centum, & latè obruit armis:
Qualis ubi è Lybicis liquefactæ montibus altæ
Defluxere nives, vel ſiccos plurimus imber
Abluit Æthiopas, centum torrentibus auctus,
Hinc, illinc magnum coëuntibus agmen in unum,
Intumuit Nilus, totidem vel fluminibus (1) Gis.
Haud mora, diſrupto ruit aggere, & omnia victor
Arva tenet, camposque premit, quatit ariete ſylvas
Undoſo, atque ipſis inſultat turribus audax.
Jam Thrax imperii ſedem præcinxerat, & jam
Undique tormentis centum diffracta patebant
Mœnia latè aditus & propugnacula cœco
Vulcano convulſa dabant: reparare Magiſtri
Tot non damna valent: non contra obſiſtere pubes
Auſtriadum generoſa poteſt, dux barbarus urget:
Jamque ferox turres tenet, imminet & jugulo Thrax.
Cum ſubitò viſa è cœlo deſcendere Virgo,
Cui recti tutela, ſacris & præſidet armis:
Atque his obſeſſos eſt vultu affata ſereno:

Confirmat exemplo Othomanorum.

Quorum immenſæ copiæ Viennam obſident.

Virgo è cœlo allapſa obſeſſos animat, & vires ſubminiſtrat.

O magnis audere animis: ne barbarus atrox,
Mille licet ruat agminibus, licet ære tonanti
Fulminet aſſiduè, vos terreat, inclyta pubes.
Sed fortes durate etiam, atque arcete ſuperbos
Odryſios, virtute pari, qua priſca juventus
Hæc ſigna, has acies pepulere è mœnibus iſtis;

Nam-

(1) *Fiume Negro*, qui medios alluit Æthiopes, inq; Atlanticum ſe exonerat ad Arſinarium Promontorium, *Capo Verde*.

Namque iterum indecores, castris post terga relictis,
Clade nova fracti fugient per devia Thraces;
Atque Scythæ, atque Daæ, Galatæque, Syrique, Arabesq;
Nam sic vestra fides meruit, sic Cæsaris, & sic
Pontificis Magni meruit pietasque, fidesque,
Vertice quem summo venientem cernitis, ille
Est Pius, est Felix Cæsar: victoria vestra est.
Hæc dedit, & cœlum repetens Astræa petivit.
His dictis firmata manus generosa, ruinas
Murorum super insistunt, atque omine tanto
Audaci vallant disruptas pectore turres,
Hostibus obnixi non cedere: donec ab alto
Culmine descendens Cæsar felicibus armis
Irruit, & toto dispersas æquore turmas
Dejecit, victique Scythæ fugere tyranno,
Præque ignominia, rabieque, iraque fremente.
Hinc illæ exortæ clades, iterataque crebrò
Excidia in miseros: tantorum & caussa malorum
Una fuit, rupto susceptum fœdere bellum,
Armaque, vi facta, regnis illata quietis.
Quis tantas unquam, licet audax, vincere gentes,
Deque tot indomito sperasset Thrace triumphos?
Quis validas arces, & mœnibus oppida tanta
Præcincta egregiis, opere expugnare, vel ære
Fulmineo tentasset? eo tamen impete cessit
Frustra olim nostris obsessa Sicambria signis,
Altum, horrendum ingens, & non superabile vallum
Imperii, spes omnis erat quo fixa tyranni.
Innumeræque arces igni, ferroque subactæ:
Græcaque concessit tandem victoribus Alba.
Et qui tot populis armis felicibus ante
Dicebat leges: & tot cui regna tributum
Prona dabant, pacem supplex nunc ille precatur.
Othomanus pacem supplex petit? impia reges
Gentibus innocuis ne bella movete: Latini
Est Deus Imperii vindex. Sed justa gerendi
Quæ belli sit caussa: Sacri si jussa Senatus,
Aut si Maiestas populi violata Latini:
Sive sit à populis Divûm temerata profanis
Relligio: sociis vel sunt cùm justa ferenda
Auxilia: aut Gentium si jus sine jure refixum est.
Publica præterea si res oppressa tyrannis,
Sanctaque libertas eversa: aut regibus actis
Legitimo è solio per vim, regna occupet armis
Impius invasor: tandem si sceptra tuendum

Affert auxilium Cæsar cum suis, victiq; Thraces. Et subinde multis cladibus attriti.

Quæ belli gerendi justæ sint caussæ.

A vi barbarica prædonum, armiſque potentum,
Legibus his bellum ſi decernatur, ab alto
Numina ſacratis aderunt præſentia ſignis,
Felicesque dabunt ſucceſſus: omne cavendum
Non æquum tibi ſemper erit: nec bella ferenda
Sunt ex re minima, vel præ exiguis momentis.
Nimirum ſi læſa domus privata potenti;
Vel ſit ab externis ſi rapta pecunia civi.
Triſte malum, atque ingens, & non optabile bellum:
Idcirco ſummo non eſt niſi jure movendum.
Et ſummum tibi magna dabit jus cauſſa. Britannos
Non ego magnificis, non quiſquam laudibus ornet:
Ulturi canis unius ſi fata, propinquos
Continuò in ſocios moverunt arma: necesque
Inter ſe ingentes, ingentia damna tulere.
Nimirum tanti funus dignatur inane
Occiſæ pecudis! verum hæc inſana cruentis
Digna feris rabies: homines molliſſima quando
Pectora habere, animumque jubet natura benignum.

Ex tenui cauſſa minimè bellum decernendum eſt.

Perge, inimica priùs quàm bella in regna feramus,
Robora militiæ, cunctasque expendere vires
Convenit; æquales ſi ſint hoſtilibus illæ.
Nam ſecus, incerti ſortem tentare Gradivi
Non Patres, populumque decet: ſed poſcere pacem;
Conditione tamen, quæ ſpontè petentibus æqua
Arbitrio cenſenda ſenum. Exorantibus ultrò
Vos date magnanimi pacem, & miſereſcite reges.
Nam non hac major domito victoria ab hoſte
Eſſe poteſt; præclara magis nec gloria, veſtrum
Quæ nomen magnis populorum plauſibus ornet.
Parcere ſubjectis, pacisque imponere morem
Principis imperium magni, & ſuprema poteſtas.
Pendere quin etiam ſemper juvat illud, iniqua
Conditione minor, faſtuque oppreſſus, in iram
Ne ferus inſurgat pro libertate, ſuperbumque
Imparibus quamvis armis vi deleat hoſtem.
Caſibus extremis, quando ſpes occidit omnis,
Junctaque virtuti mens irritata repulſa,
Viribus exiguis nonnunquam fracta potentum
Agmina regnorum, amiſſisque inſignibus alti
Indecores abiere duces. Natura ſuperbos
Scilicet eſt faſtu quia dedignata ſuperbo.
Et variantis erit ſemper dubia alea Martis.
Si pacem Græcis poſcentibus ante dediſſet
Rex Macedum faſtu tumidus, victorque Philippus,

Expendendū priùsquàm bellum decernatur, an vires pares ſint, ſin minùs, pax petenda.

Pacem dare petentibus magnificum, & neceſſarium.

For-

Forsitan ad Manes non Perseus isset inultus,
Nec capta imperio cessisset Pella Latino.
Staret adhuc Carthago maris regina: neque omnes
Res Asiæ Antiochus vidisset turbine volvi.
Plurima nec desunt hac tempestate per omnem
Europen, Asiamque tibi documenta, Magister.
Quæ quoniam longum mihi percensere, docebunt
Te varii rerum annales, fastique vetusti.

Insuper his, illud tota vos mente sagaces
Maturate, senes, crebrique expendite, bello
Plurima si vobis sint emolumenta futura,
Ne damnoque gravi, summoque petita labore,
Spem magnam populi tenui victoria lucro
Frustretur, nullos vel sit latura triumphos,
Aurato velut æquoreis qui piscibus hamo
Insidiatur, ei si fors disrumpitur inter
Linea piscandum, fulvi jactura metalli
Nullo capturæ lucro pensabitur unquam,
Idcirco nunquam sunt Patribus arma movenda;
Commoda ni multo damnis majora sequantur.

Videndum an bellum futurum sit utile, nam secus, abstinendum.

Præterea sit cura, æquis ut quæstibus auri
Vim magnam, argentique, futuri prima reponas
Belli fundamenta; quibus non rite locatis,
Haud læto Mavors vultu tua signa præibit.
Agmina nam frustra juvenum generosa parantur.
Magnanimique duces frustra; firmissima quando
Robora militiæ, nervique ad prælia desunt.
Fulmine Mars, ferroque incassum armatur acuto;
Ni simul ardenti stipatus fulguret auro.
Quamvis ore minas, oculis cita fulmina vibret,
Et dextra assiduè rotet implacabilis ensem;
Divitias, & opes nisi det diffusa sinistra,
Haud equidem poterit palmas ex hoste referre;
Idcirco sit prima Patrum vim cogere cura
Æris inexhausti: quæ multos certa per annos
Sustineat belli pondus, cœptumque secundet
Ubere proventu. Nonnunquam maxima bella
Principiò magno rerum suscepta paratu,
Viribus & magnis, subitò sublapsa referri
Visa retrò, & medio spes cursu amissa triumphi;
Qualiter è paleis æstate accenditur ingens
Ignis ubi in campis, latè prima omnia circùm
Arva tenent flammis incendia: cunctaque complent
Immani strepitu, & sylvis, campisque minantur.
Vis tamen illa brevis mox ut consumpta, repentè

Paranda pecunia ad bellum, qua sine, speranda victoria non est.

Om-

Omnis flamma cadit, timor omnis: solus & amplo
Exiguus restat campo cinis: & puer unus
Insultans cinerem dat flatibus. Aurea, Patres,
Robora militiæ, Martique parate futuro.

Sed cavendum ne vi à populis cogatur.

At cauti prohibete, duces ne forsan avari
Per vim, perque nefas rapiant nimium à populis æs.
Nam benè non jacto fundamine, tuta sub auras
Haud surgit moles: verùm est casura ruina
Jam jam præcipiti, quando crudelis oborta
Seditio, gentes vocat in civilia bella.

His animadversis, instat jam tempus habendæ
Pubis, & egregios ad signa vocare maniplos.
Fortia sed quoniam, generosaque corda reposcunt

Quæ diligentia in legendo milite.

Munera bellorum, non gentes cogier omnes
Præcipio: tibi multus erit delectus habendus.
Delige pauca virùm, sed Martia pectora: palmæ
Nec spes in numero armorum, turbisque reponas,
Parva manus juvenum, sed lecta, ingentia bella
Confecit, nitidosque tulit, victo hoste, triumphos.
Non populum innumerum, non millia multa trahebat
Magnus Alexander: erant ter dena virorum
Millia, parva phalanx Macedum, sed vivida multo

Sint pauci, sed fortes, idque Macedonum.

Robore, lecta animis, usuque asperrima belli.
His Asiam in magnam, numero, non viribus impar,
Ingressus, tantis ausus se opponere regnis,
Persarum & mille agminibus, Medùmque, Sirùmque:
Ausus & Hircanos, atque ipsa lacessere Bactra:
Et tandem extremos convertere signa sub Indos,
Quæ damnanda quidem fiducia tanta fuisset,

Et Carthaginiensium.

Robora ni Macedum, & virtus lectissima regi
Pellæo tantas, & spes, animosque dedissent,
Arsacidæ bello victi, totumque subactum
Regnum Asiæ, Gangesque simul separatus, & Indus,
Urbibus atque potens magnis Ægyptus: & omnis
Latè Oriens Graiis ascitus legibus, ingens
Parva peregit opus gens invictissima. Pœni
Non aliter tantis Lybiam domuere subactis
Gentibus: & domini tot sulcavere per annos
Omnem non multis cum classibus Amphitriten.

Et tandem Romanorum exemplo confirmatur.

Sed quid ab externis populis exempla requiro,
Stant quando majora domi? si Romula tantum
Res crevit: dominam terrarum pronus adorat
Si Romam, & signis servit famulantibus Orbis;
Urbs una, & paucis Italùm comitantibus armis.
Attamen electis sociorum, est ausa superbis

Tanta

Tanta animis tentare: viris & grandia bella
Suscepit paucis, paucis perfecit: & illa
Magnis cum ducibus, bellaci & gente peracta,
Macedones rerum domini, Pœnique subacti,
Victus Iber, domitique Afri, Gallique feroces:
Cimbrorum fractæ vires, junctique Britanni,
Divisi quamquam Oceano; Germania cladem
Non unam sensit: perfracta audacia Dacum:
Et domiti tandem Parthi, labarumque receptum est.
At contra imbellis numerus, confusaque turba
Haud equidem quidquam præclarum præstitit unquam.
Millia quot Xerses Persarum fusa maniplis
Græcorum exiguis coram spectavit? & ipsi
Agmina tot paucis Syrii flevere tyranni
Cæsa Palæstinis: infecta sæpè soluti
Re Libyam rediere Arabes: rediere potentes
Sæpius Othomani, vultu pallente, Polonos
Seu fortes bello peterent, seu Pannonas, aut cùm
Tentare Italiæ robur sunt classibus ausi.
Quin etiam in primo pauci stant agmine: & omnem
Rem pauci peragunt: qui si delecta juventus,
Spem certam palmæ læti præsumite, Patres.
Præterea raró magni data copia campi,
Ut tantas populorum acies dux explicet: ingens
Hinc illud retrò consistit inutile vulgus,
Spectator tantùm pugnæ, non actor, & inter
Tot varios lingua populos, & moribus, ordo
Martius haud certa poterit ratione teneri.
Et si fortè pedem referunt primi, ruit omne
Tum quoque vulgus iners, magnoque urgente tumultu,
Terrorem sociis, & vires hostibus addunt.
Quæ cum sic habeant, delectus plurima semper
Cura tibi: pubem selectam transtulit Argo
Vellus in auriferum: Danaùmque electa juventus
Ilion ad magnum cum magnis venit Atridis.
Quare age, quæ duro potius gens apta Gradivo,
Accipe: Sylvestrem primò describere pubem
Ne dubites: semper tractando aptissima bello
Rustica gens multo quoniam nutrita labore,
Et Jove sub nudo, ventisque exercita, & imbri;
Est Solis patiens, & amicas despicit umbras:
Nescia deliciis frangi, parvoque beata,
Simplicitate potens animi, durata palæstris
Membra, manu valida, & rigido consueta labori:
Quæ ferrum gestare, profundam ducere fossam,

Multitudo imbellis semper victa, & cæsa.

Inque acie impedimento potiùs, quam auxilio est fortibus, si qui sunt.

Qui juvenes legendi.

Fer-

Ferre onus, à primis didicit solertior annis.
Agrestes optimi. Sic olim bellator erat, qui rusticus idem
Exercebat humum, & terram vertebat aratro:
Qui Cererem curva flaventem falce secabat,
Falcatos idem currus ducebat in hostem,
Quique ligone alto vallabat limite campos,
Pervalidas urbes idem obsidione premebat.
Quin & Dictator jussus, Consulque creatus
Quintius, Attiliusque, serens hic, ille nitenti
Vomere dum terram durus scindebat arator.
O niveos patrum mores! ò aurea sæcla!
Quin etiam agrorum, & nigræ gens incola sylvæ;
Quæ vix delicias vitæ, vix otia novit,
Nescio quo minùs in mortem perterrita fertur?
An quia chara minùs, facilem dat prodiga vitam?
Hinc semper pubis supplendum robur ab arvis
Præcipio, rigidosque in bella armare colonos,
Plurima sed vitæ norunt qui commoda cives,
Urbibus in mediis geniti, multaque parentum
Cura, divitiis, & tot felicibus alti,
Cives minùs apti, ut qui deliciis enutriti. Apta minùs Marti sunt corpora: neve magistro,
Ni fors urget opus, numerumque implere necesse
Accisæ morbo pubis, pugnisque sinistris,
Scribendi signis. Verùm, Prætore jubente,
Cogendi tibi si cives: ne scribere nullo
Delectu properes: mixtimque ad prælia ducas
Vulgus iners, cunctisque aptes neu artibus arma.
Non igitur piscator erit, non aura probandus.
Quamvis multa tibi belli præcepta gerendi
Piscator dederit, quamvis & Navita concha
Bellatorum animos ferventi accederit ira.
Scilicet hunc mater inter civilia bella
Cratere in medio connixa, ex urbe Dicarchum
Dum petit, & patriam percurrit Olympida puppi.
Inter civiles tumultus natus est Vares, nimirum ut bella caneret. Infantem genitor regalia signa secutus
Bellaces inter strepitus nutrivit, & arma.
Ærea fulmineo tormenta sonora metallo,
Atque fuere tubæ, & rauci cui nænia cantus.
Nimirum trepidis ductorem per freta nautis,
Et præceptorem dederant piscantibus, illum
Difficiles idem belli qui traderet artes
Militibus, ducibusque, parabant Fata Magistrum;
Munere pro tali triplici cui tempora serto,
E musco, myrtoque levi, & Parnasside lauro
Gaudent tergeminæ pariter præcingere Musæ.

Arma

Arma nec aucupibus, nec inerti danda telonæ:
Linteo non Marti, non par dulcarius, aut qui
Fœmineas studiis exercent mollibus artes.
Ast æris, ferrique faber, durusque macelli
Tractator: rigidam qui carpentarius urget
Assiduè serram docilis, lignoque dolando
Plurimus insudat; quique arma tonantia cudit
Qui venator aprum jaculis, cursuque fatigat:
Qui cervos novit, leporesque æquare sequendo,
Inque feram clamore avidos urgere Molossos,
Aptior in bellum veniet: discrimine quando
Non longo distat: pubes ceu rustica, tantum
Arma armis, similem permutat & artibus artem,
Ast urbe è media Marti quæcumque vovetur,
Exercenda tibi primùm gens illa labore est.
Pondera ferre humeris, cursu transmittere campum
Ingentem, & rapido discat consuescere Soli:
Et victu modico, facilique, & tenuibus uti
Vestibus, & nudis interdum incedere suris,
Edoctamque velim nandi: sic flumine cursu
Collectos crebrò sudores abluet: omnes
Sic morbos vitabit: erit sic aptior armis.
Insuper his, cives ad Martia munera lecti,
Semper ab illecebris patriæ procul urbis agendi:
Aëre & in nudo condiscant carpere somnos:
Degere & in campos sua per tentoria: & ipsi
Illa sibi sylvis suescant metare sub altis.
Bellaces sic Sparta suos instruxit alumnos;
Sic mundi domitrix sese Romana juventus
Exercebat agris; luxu, longèque remotis
Deliciis, bello pariter se aptabat, & armis.
Hinc & digressus, quæ sint certissima signa
Bellatoris: erit pubem cui cura legendi,
Plurimus insudet, juvenes ut deligat ipso
Membrorum nexu, vultuque, oculisque valentes.
Ut varii possint implere gravissima belli
Munera, quandoquidem certis Natura recludit
Indiciis, hominum quæ sit solertia cuique
Indita, quæ vires animo, quæ robore membris,
Qui genius, vel cui succedat promptior arti.
Quæ signa in brutis pariter manifesta patescunt;
Nempè quibus meliora queas prænoscere, quæque
Apta magis soboli veniant, duroque labori.
Ergo signa tibi semper tutissima fortis
Pugnatoris erunt, cervix erecta supernè,

Si qui ex Urbe lecti labore exercendi.

Quæ sint signa egregii bellatoris.

Distincti maculis humeri, longique lacerti,
Præduri nervo digiti, nisuque potentes:
Et vigiles oculorum acies, & pectora lata.
At modicus venter, sint tenuia crura, pedesque
Non pingues, latique nimis, distentave sura:
Duritia nervi sed sint collecta valentis.
Pluribus his pollens adolescens, optimus armis,
Acer equis, promptusque manus ad bella vocandus.
Et quamvis Mario delecti Consule, tantum
Proceri juvenes, primaque in fronte reposti,
Qui senis alti pedibus: tamen illa relata
Delecto si signa viro, ne plura requiras:
Nam fortem præstat, quàm grandem scribere pubem.
Corpore non magnus, magnus sed robore Tydeus,
Acer erat bellator: erat, quis crederet? ipse
Exiguus pariter Pellæus mole, futurus
Gesta per, & palmas re mox, & nomine Magnus.
Quod superest, potior semper delectibus ætas
Prima, puer quoniam discendo est aptior: & quæ
E teneris imbuta, insidunt altiùs, annis.

Prima ætas aptior est armis.

Quin etiam tentanda priùs fortissima belli
Munera, veloces arcus, agilesque palæstræ,
Et saltus ætate vigor quàm langueat, & quàm
Corporis invalidi vires, animique senescant.
Qui velox, agilisque, atque omnes dexter ad usus
Armorum, pugnator erit insignis, & acer.
Nec te pœniteat, quod multos atterat annos,
Ante puer bello quàm surgat idoneus, ævum
Causetur juvenis non dum venisse merendi,
Quàm vacuum doleat jam præteriisse triumphis.
Ingenio fuit acer, & ausis maximus ille
Othomanùm Rex, qui tenero præcepit ab ungue,
Eque sinu matrum pueros ad munera Martis
Dura rapi, & rigido sub præceptore feroces

Turcæ pueros eligunt, & longo usu exercent.

Institui, atque ipso cum lacte haurire Gradivum:
Vagitu simul arma sonare, & prælia primo.
Sunt arcus, pharetræque, venenatæque sagittæ,
Vertibilis turbo, & scuticæ, teretesque trochisci:
Suntque ollis ludi pueriles martia bella.
Membra labore domant, æstuque, & frigore durant:
Et cursu, fortique student contendere lucta.
Hinc acris gens illa virorum, & nescia vinci:
Cui ludus sunt bella, neces, stragesque voluptas.
Viribus his nostra, pudor oh! de gente paratis,
Barbarus imperium rapuit sibi victor Eoi.

At

At non prætercam, quæ primæ in milite dotes
Semper erunt, pudor ingenuus, visque aurea honesti.
Hæc habilem bello reddit, dum vertere terga
Ille vetat, multa victorem laude remittit.
Hinc tibi nobilium semper sit primus ad arma
Delectus, Martisque vocentur ad alta decori.
Quid juvat ignavum exercere ad prælia vulgus,
Pluribus in castris annis & habere, sine ulla
Optatæ spe frugis? agro quæ futilis arbor,
Agrestum multo nec profectura labore est,
Tollitur, ex ima radice excussa securi.
Non aliter pellendus iners tibi miles ab armis.
At quia sæpè duces his indulsere, cruentas
Nempè hinc & clades populorum, & vidimus arces
Excisas, flagrasse urbes, subversaque regna.
Idcirco, cui cura datur describere pubem,
Mente sagax, rectique tenax, sitque integer, ore
Ille sit & blando pariter, pariterque severo.
Imperii cui totus honor, cui tota salutis
Spes commissa, fides sociorum, atque omnis opum vis.
Publica namque salus, sociùmque, & gloria regni,
Divitiæque omnes versantur cardine in uno,
Nimirum forti, & generoso milite nixæ.
Egregius quamquam multis virtutibus esset,
Attamen hac laude insignis Sertorius una
Præ veteres, clarosque Duces felicior ibat.

Quæ præcipuæ militis dotes sint, Nobilesq; semper legendi.

Sed neque, terrarum quæ sit, cœlique patentis
Conditio, te prætereat. Tellus licet omnis.
Et cœlum licet omne bonos, & gignat inertes:
Quæque tamen bello gens gentem vincit: & ipsa
Cœli queque plaga, & tellus bellacia mittit
Corda magis, roburque animis infunditur alto.
In medium conversa diem, mundique teporem,
Et gens Auroræ, & nascentis conscia Phœbi,
Chara minùs Marti: quoniam siccata calore
Præ nimio, tenui turgescit sanguine venas.
Idcirco sapit, & consultior illa; cruorem
Fundere & hinc renuit, refugitque ferocia bella.
Quin & divitiæ multæ, luxusque superbi,
Et placidi emollit gentem clementia cœli.
At verò gelidas quæ gens devexa sub Arctos
Nascitur, & rigidis crescit durata pruinis,
Acrior, indomita, & duris magis effera pugnis.
Temperieque procul, rectoque ex Orbe remota,
Inconsulta venit, largo sed sanguine dives:

In delectu terrarum ratio habenda est.

Auroræ, & Austri gentes minùs bellicosæ.

Quæ verò ad Septentrionem bellicosissimæ.

Plurimus ad ferri qui vulnera ſuppetat, & qui
Audacem faciat, contemptoremque pericli
Plurima non animum verſantem, & nulla timentem;

Aſiæ populi luxu molles, atque imbelles.

Hinc Aſiæ gentes, molli quas irrigat unda
Euphrates, flavoque humectat flumine Ganges:
Et quas frugiferæ tractus telluris amœni,
Et fontes vitrei, & cœli molliſſimus aër
Allicit, & luxus animorum, & dulcia ſuadet
Otia, bellaci non ſunt devota Gradivo
Pectora, Parthorum quamvis clariſſima virtus:
Scilicet à tergo torquentes ſpicula verſi,
Fraudibus, & noſtro didicerunt vincere luxu.
At gens nulla magis ſtudiis bellacibus impar,
Quàm qui terrarum tenuerunt ultima Seres,

Seres item imbelles, contra Japones.

Vix norunt luctantis equi ſpumantia colla
Flectere, & adductis revocare ad munera frenis.
Verùm quæ toto contra jacet Orbe repoſta
Chryſia gens olim, cui nunc cognomine Japon,
Belligeros animos, & fortia pectora geſtat,
Nimirum rigidi gentem plaga martia cœli
Ambit, & abrupto tellus in vertice nutrit.

Montana gens bello perquam idonea, & cur?

Optima gens quoniam bellis montana ciendis.
Nempè acres duris animos è montibus haurit.
Indomita idcircò pariter Samnitica pubes,
Cantaber indocilis, cum Rhæto Helvetius, & cum
Fortibus Illyricis permixta Albana juventus,
Et pubes Alpina jugis durata nivoſis.

At Libyæ populi, medii quos torrida cœli
Zona tenet, quorum & propior ſtat verticibus Sol;

Afri exangues.

Exangues veniunt, pigrique ad bella: calore
Præ nimio indociles armorum ferre labores.
Pœnorum gens nota tamen valuère: ſed iſti
Mendaces potuere dolis: Numidæque frequenti
Ex uſu, Italiæque polo venere feroces.
Aſt Arabes, numero fortes, & crimine noſtro,
Ferre per Europam potuerunt barbara ſigna.
Eſt fama tantùm majorum, & carmine vatum
Æthiopum gens fortis, & æſtiferi Garamantes.

Mortales inter cunctos novus incola mundi
Alterius, noſtris quem per tot ſæcula terris

Indi occidui ſupra omnes imbelles.

Oceanus dimovit aquis ingentibus, & quem
Subjectum mediæ torret plaga fervida Zonæ,
Nec duro acceptus Marti, nec idoneus armis.
Ænea non genti tormenta, tubique canori,
Non enſes, non ſcuta, citique ad vulnera nervi:

Sed

Sed viridi armatus ramo, vel arundine glauca,
Vel fragilis calami tenuatis cote ſagittis,
Ammericus campo tractat puerilia bella.
Hinc parva gens victa manu: rudis, inſcia, mutum,
Ignavumque pecus veluti, ceſſere triumphis
Heſpericis, dominoque novo parere coacta.
At felix errore ſuo: nam capta ferarum
Exuit immanes mores, & barbara ritus
Humanos edocta: ſacrisque imbuta Latinis,
Servitio infami Stygiorum, Orcoque redempta,
In partem Regni venit, vitæque beatæ.

Sed jam tot populis bellorum laude ſuperbis
Me vocat Europe, oſtentatque inſignia mille,
Mille triumphales arcus, & clara trophæa,
Palmarum monumenta: quibus præfixa tyrannis
E victis, ſpolia alma nitent, lituique, tubæque,
Atque haſtæ, atque enſes, & fulmineæ baliſtæ.
Monſtrat & effigies tot ovantium, eburque curule,
Et ſceptra, & mitras nitidis diſtincta lapillis:
Divitias & tot regnorum, è totque ſubactis
Gentibus inſignes palmas, clarosque triumphos.
Quæ quoniam populi bellacis aperta ſuperſunt
Argumenta; nihil tantis fas addere ſignis.

Europei bellicoſiſſimi, quod & palmis, & triumphis confirmatur.

Quid quod lethali contritus clade refugit
Magnus, & Imperii pariter, proh Fata! Latini
Aurea libertas illa ſub ſtrage ſepulta eſt?
Nempè Aſiæ vires, Ægyptus, & omnis Eoi
Gens illum comitata: ſocer pugnacia ſecum
Agmina Gallorum, Germanorumque trahebat,
Robur & Italiæ: ſimilique errore ſuperbi
Cæſaris ultores capti periere Philippis.
Et ſociis ſimul ipſe ſuis inſtructus Eois,
Victus in Actiacis Antonius occidit undis.

Pompejus victus, quia orientales ducebat, victor Cæſar, quia Europeos trahebat.

Occiduis igitur potior bellator in oris
Gignitur: hinc validum genus eſt Hiſpana juventus.
Ingentes populorum animi, vis æmula laudis
Maxima, & in parvo magnæ ſtant corpore vires,
Non virides agri, non arva, artesque Minervæ.
Bella ſed, armorumque uſus eſt prima ferocis
Gentis cura: pati docilis, ſitque æqua labori
A teneris creſcens annis, generoſaque geſtat
Pectora: Martis opus ſemper tentare ſuperbum
Prompta animis, & prompta manu: mortemque ſubire
Certa, triumphali pro lauro, & laude decora.
Nobilis in pugnam gaudet pedes ire, comanti

Hiſpani laudantur ut bellaces,

Ar-

Armatus galea, & ſcuto ſeptemplice tectus.
Inſignes tolerare moras, obſeſſaque multa
Mœnia tutantur virtute & fortiter ipſam
Ore famem parco vincunt: ſtat fortis in arce,
Inque data ſtatione pedes, piloque tremendus
Deſcendentis equi pugnacia pectora rumpit.

Quæ ſequitur, præclara tenet faſtigia Martis
Gallica gens: rigidis olli vis ignea bellis,
Atque incredibilis virtus, roburque ſuperbæ
Mentis. & ingenitæ laudis generoſa cupido;
Eſt Martis ſtudiis exculta, uſuque frequenti
Armorum, & magnos jam ſcit tolerare labores.
Vulcano ſolers variando, & molibus altas
Expugnare arces, & propugnare perita.
Eſt alacris natura viris, animæque capaces
Mortis, & indignum ducunt ſine laude reverti.
Inque hoſtes effuſa ferocius impete primo
Gens ruit, atque viros ſupra Mavortia tentat.
Paulatim primus ſed cum deferbuit ardor,
Molleſcit tepefacta animis, ſimiliſque pruinis
Illa ſuis, ingentem animorum decutit æſtum:
Nec patitur calidas procedere longiùs iras.
Montano præceps ceu cùm de vertice torrens
Subjectas ruit in valles, tegit arduus, ingens,
Omnia, proculcat ſepes, ſecat, aggere rupto,
Flaventem campo Cererem, magniſque minatur
Arboribus, raptat caulas, & ſaxa volutat.
Aſt imbres primi cùm defluxere, cadit vis
Omnis; & è tantis vix obſtrepit unda fluentis.
At Martis tanta floret gens Gallica laude,
Pro meritis quoniam Rex laudem, & præmia ponit:
Atque artes fovet egregias, documentaque belli.
Vos largi date dona, Patres, arteſque fovete.
His animi, his artes creſcunt, & Martius ardor.

Sed jam proceræ ſuccedunt corpore gentes,
Quas vaſtis nemoroſa tenet Germania ſylvis.
Prægrandes, flavique comas, & lumina glauci,
Robore & ingenti fortes, animoque feroces,
Et contemptores vitæ Mavortia tractant
Prælia Germani, quibus otia vendere ſemper
Mos fuit, & forti mercari præmia dextra.
Impatiens illis animus, ſævuſque, feroxque,
Corporis adverſos qui molem impellat in hoſtes:
Vulneraque, ferrumque, & ſanguine tela laceſſat.
Stant acie obnixi non cedere: ſtant pede firmo

Et Galli Martis ſtudiis perquam exculti.

Valent primo impetu.

Commendantur & Germani præcipuè ſtataria in pugna.

Frag-

Fragminibus ſuper, atque objecto pectore vallant.
Non minùs inſignes curſu, freniſque domare
Cornipedes, pugnaſque agiles bellantur equeſtres.
At prompta non mente valent ad Martia furta.

Bellicoſi etiam Poloni, & vel maximè equeſtri certamine.

Sed neque Sarmatica taceam de gente Polonos.
Lechiadum bello durum genus: arma juventus
A teneris trahit, & ſolertior excolit annis.
At quoniam loca plana tenet, campeſtriaque arva;
Idcirco gens gaudet equo, quem flectere curſu,
Inque hoſtem effuſis dimittere novit habenis.
Exſuperat Moſchos virtute, & equeſtribus illos
Sæpè domat pugnis, Dacumque, Scythenque ſub ipſo
Sæpè Boryſthenio metit amne, Tyraque rubente
Sanguine barbarico, pharetraſque, & tela ferente:
Lechiadum teſtes virtutis, & alta trophæa.
Verùm longa pati faſtidia Martis, & arces
Molibus expugnare, diuque inſiſtere caſtris
Indocilis, genti laus una, & una cupido,
Collatis campo ſignis viciſſe patenti.

Moſchi virtute præſtant.

Aſt Italis olim fuerit quæ Martia virtus,
Non opus ut repetam: quando ſatis ipſa loquuntur
Inclyta geſta, notis inſignibus addita faſtis.
Et ſatis ipſe jugis Romanis ſubditus Orbis
Terrarum, domituſque docet cum fluctibus ipſe
Oceanus: radiis quà Sol utramque coruſcis
Perluſtrat mundi metam, victricia ſigna
Italia invexit, regnumque æquavit Olympo.
At nunc (proh Fata, & nobis non ampliùs æquus
Juppiter!) antiquum decus omne, & gloria ceſſit.
O patria, o Divùm ſedes, atque inclyta bello
Auſonia! ò veterum virtus heroa parentum!
Ergone tam magnum potuit ſubvertere regnum,
Ingentes tot opes Divùm inclementia? mecum
Ad piſcoſa ſedens apricæ ſaxa Minervæ,
Talia dum queror, & magni ſolatia luctus,
Antiquum repeto Imperium, generoſaque Patrum
Facta, tot & claros devicto ex Orbe triumphos,
(Læta, peracta juvat, vana ſub imagine quamvis,
Comminiſſe, malis dum mens præſentibus ægra eſt)
Defeſſum levis invaſit ſopor. Hic Deus egit
Me trans Sirenum molliſſima litora, & alto
In Vaticani delatum vertice ſiſtit.
Et Deus ille equidem: non falſa inſomnia Vates
Fingimus, aut vana populos ſpe ludimus, illi
Dum ſeptem aſpicio fundatam collibus urbem,

Itali reliquos ſupra bellaciſſimi, idq; ex Terrarum Imperio oſtendit Vates.

Quod defeciſſe queritur, queſtus, dum iterat, ſomno corripitur.

Viſa

Viſa mihi regina leves reſoluta capillos.
Et pulchros demiſſa oculos, vultuque dolenti.

Viſa Roma, dejecto capillo ſua fata queri.

Non altum diadema caput, non dextera ſceptrum,
Non humeri clamydem, gemma variante, tenebant,
Nec comites ulli circùm: ſed ſola reclivi
Vertice ſqualenti lauro ſubnixa manebat.
At tali lacrymans rumpebat ſydera queſtu:
Ergo tot è gemmis regnorum intexta corona
Decidit, & tantis majeſtas clara trophæis:
Imperiumque, decuſque, Orbemque amplexa poteſtas,
Atque ipſo periere ſimul cum Conſule faſces.
Hei mihi! quis noſtra ſertum cervice ſuperbum
Dejecit turbo, & tantum decuſſit honorem?
Qui caſus, quæ Fata Deùm potuere repentè,
Cardine convulſo, tantam divellere molem?
Scilicet in terris quia nulla æterna poteſtas
Eſſe poteſt? ſed Fata mihi ſine fine futurum
Imperium dixere: licet tamen ulla Deorum
Hæc Fata ex adytis dederint promiſſa repoſtis:
Id tamen, id tanti terra, pelagoque labores
Effuſi meruere: tot & clariſſima bella,
Tantæque immani gentes feritate redemptæ,
Totus & humanis imbutus moribus Orbis:
Idque mei inſignes etiam metuere triumphi.

Et vel maximè, quod Conſtantinus in Orientem imperium tranſtuliſſet.

An quia ſpe captus falſa malè cautus Eoum
Flavius Imperium terrarum tranſtulit? eheu!
Fatalis fuit illa dies, fuit illa malorum
Tantorum mihi cauſſa, & acerbæ prima ruinæ,
Quæ totum gemino commotum cardine mundum
Corripuit: Latias quæque alto à culmine turres,
Eque imo excuſſit Capitoli immobile ſaxum.
Barbaricis dedit illa viam tot gentibus: illa
In mea damna, jugis Alpes dimovit apertis.
Hei mihi! tum magni decor omnis, & alta poteſtas
Occidit Imperii, ſedes cùm fixa ſub Ortu eſt.
Quis tantus furor, & quæ tanta inſana cupido,
Mollibus Auroræ populis mea tradere ſceptra?
Hæc lacrymans dabat illa: polo cum præpes ab alto
Nuncius adveniens candentibus Aliger alis,
Talibus ingreditur dictis: Regina dolorem

Mox ſublevatur ab Aligero, docetúrque Dei conſilio id factum, ut ſacrorum Imperium conſtitueretur.

Excute: nec vultum fletu fœdare decorum,
Et crebris triſtare animum ne perge querelis.
Deſine jam queſtus, jam deſine, diva, doloris.
Hæc tibi nunc Pater Omnipotens me ferre per auras
Juſſit, & è curis animum relevare moleſtis.

Non

Non tibi, non ingens Divùm inclementia regnum
Evertit: nec ab Ausoniis sine numine terris
Flavius in populos sedem transvexit Eoos.
Consilio Patris id Magni, Fatoque peractum est.
Nimirum nova sic totum diffusa per Orbem
Pontificis Magni foret intemerata potestas:
Incrementa pii caperent & maxima ritus.
Sacrorum qua parte tibi non defuit unquam
Imperium, summoque æquata potentia cœlo.
Quin etiam terrena vices, alternaque Fata
Sentirent se cuncta pati, nec Sole sub alto
Rem fore perpetuis mansuram finibus ullam.
Cuncta suos enim habent certos mortalia casus.
Ast age, sume animos: alternas reddere quando
Festinant tibi Fata vices; & Juppiter æquus
Aurea solicitis decurrere vellera fusis,
Atque optata jubet deduci sæcula mundo:
Quando iterum Latiis parebit legibus Orbis.
    Hæc dedit, & subitis cœlo se transtulit alis.
Et mihi surgentes Zephyri excussere soporem.

Et spem bonam facit novæ ætatis.





BELLICORUM
LIBER SECUNDUS.

PRotinus arma, quibus bellandum, & ahenea dicam
Tela, Jovis raucum tonitru referentia fulmen.
Tu Vati sacros aperi, Bellona, recessus,
Omnis ubi seposta latet seges horrida Martis.
Dic, Dea, dic rigido cannas ex ære cavatas:
Et genus, & numerum, variasque expone figuras.
Adde simul pyrii vim pulveris, & nova miris
Artibus inventa, & qui sit pugnantibus usus.
Nam nisi tu Vatem doceas, Dea, perque repostos
Vulcani referas aditus, fumosaque regna.
Haud equidem tanto poterit par ire labori:
Quare age, Diva, præi, dextramque extende sequenti.
Singula non ævi mihi nunc repetenda vetusti
Armamenta, Sudes, Contique, Arcusque, Pharetræque,
Atque Hastæ, & rigida mixti Testudine Nervi,
Balistæque, Ariesque, & terribiles Catapultæ.
Illa olim, teneris dum se formaret in annis,
Prima rudimenta, & pueri levia arma Gradivi.
Qui nunc maturus virtute, & grandior ævo,
Ingenioque sagax multo, Jovis æmulus alti,
Igne micat, tonat ære, & nubibus aëra texit:
Desuevitque arcus, & spicula: major & ausis
Igneus imbre pluens, & grandine ferreus, hostem
Fulminat, & latè campis trepida agmina sternit.
Creber & ex alto reboans vomit aggere nimbum
Flammiferum, & ferro jaculabile decutit arces.
Idcircò sortes hac tempestate sub æquor

Antiquorum arma recensentur, quasi Martis adolescentis.

Et nova nostræ ætatis, adulti nimirum Martis.

De-

Descendant juvenes, animosaque pectora, bellum
Ardentes inter tractare sonantis aheni
Irasque, strepitusque, & diræ grandinis imbrem:
Quique globos inter caliginis, inter & atri
Vorticis irrumpant cuneos, ignemque lacessant
Infractis animis, & Marte audacius ipso.
Inque tonans generosa nitrum, flammamque minacem
Frons ruat: intrepidas nec stridula terreat aures
Horrendo plumbata volans per inane rotatu.
Hinc veteri patrum nostra hæc præstantior ætas
Emicat: inque novis virtus insignior armis.
Namque illi in ferrum, decoctaque robora sylvis,
Et lapidum contra jactus, & tela ruebant:
Maximus inque leves labor occursare sagittas.
Fulmina nos contra ruimus, Martemque tonantem,
Glandis & explosæ nimbos, rituque cadentis
Grandinis horrisonæ, latèque arbusta secantis.
Ignibus & liquidis, tetroque bitumine mixtis
Objicimus caput audaces, & pectora nuda.
Illi hostem adversa venientem fronte cavebant.
Undique nos petimur telis: objecta minantur
Non unam tormenta necem: longèque reposta
Sint licet, emittunt ingentia pondera: venti
Quæ velut alati currunt pernicia, & ipsos
Prævertunt sonitus, & signa micantia flammæ;
Lethifer ut nulla pulsus vitabilis arte.
Desuper imbre pluunt densata ferrea mala,
Quæ mox incluso concepta è fomite flamma,
Ingentem rupta ferri compage per omnes
Dant stragem partes, implentque cadavere campos.
Interdum subter, succenso pulvere, tellus
Succutitur, scissoque sinu vi turbinis, atras
Evomit, Ætna velut, fumanti nube favillas,
Et fluvios, & saxa, ipsosque à carcere Manes:
Immensaque supra miseros jacit astra ruina:
Reddit & hinc terris, & diro funere mergit.
Crura ocreis, pectus thorace, caputque comanti
Munibant galea veteres, scutoque tegebant
Corpus, & adversæ vitabant cuspidis ictum.
Nos igni, nos igne pilis per inane retortis
Corpora nuda damus: virtus quæ maxima nostri est.
Nam quò certa instant magis, & propiora pericla,
Major eò in forti fervescit pectore virtus,
Contemptura animam: siquidem generosior ille est,
Qui sancto patriæ, vel relligionis amore,

Idcirco præstantior hæc ætas.

Et cur?

Quia nimium audaciores in certa pericula irrumpimus,

(Nam

(Nam secus est cœcæ mentis temerarius ardor)
Jam certam ruere in mortem certissimus audet.
Quin & habenda duci major prudentia, & alti
Vis animi, promptusque vigor, mens acrior, omnes
Quæ rerum in casus se verset, & adsit ubique.
Non illum & flammæ, non terrifici reboatus,
Non chaos horrendum, caligantesque tenebræ,
Nec cervice super stridentia fulmina, & ipsa
Frangere ut horrifico possit Libitina flagello,
Ast alii, quibus exsuperare per ardua callem
Est amor, & faciles veniunt ad carmina Musæ,
Hæc fortunati tranquilla per otia tractent.
Me penitis Bellona jubet succedere tectis,
Singula tormentorum, ærisque tonantis, & omnem
Ornatum belli dictura, inventaque mira,
Et quò quisque suis splendescat miles in armis.

Principio miles ense armandus.

Ac primùm ex humeris dependens balteus ensem
E calybe excusum duro sustentet: & illum
Accipiat vagina sinu, servetque nitentem.
Non tamen est cunctis gladiorum gentibus una
Forma; unus veluti non est pugnantibus usus.

Varia ensis forma apud varias gentes.

Scilicet Ausonii, Gallique, Hispanaque pubes,
Extento puntim feriunt mucrone: feroces
Sed brevibus Galli gladiis armantur, Iberi
Suspendunt longos, mediocribus Italus ardet.
Cæsim acie, tenuique interdum cuspide Pannon,
Helvetiique petunt hostem, durique Sicambri,
Marcomani, Bojique, & pictis Theutones armis.
Qui celeres quondam soliti torquere Catejas.

Pleræque acinace utuntur.

Ast acie tantùm Medi, Persæque, Arabesque,
Atque Scythæ, atque Indi, gentesque Oriente repostæ.
Ipsi etiam pando cinguntur acinace Mauri,
Et nigri simul Æthiopes, Syrus, & Garamantes.
Verùm Sauromatæ, durum genus, horrida tractant
Bella bipenniferi: scinduntque à vertice summo
Corpora bellantum, nec equorum parcitur armis.
Ipse & prævalidam improvisa ad furta securim
Tauricus acer agit, quique haurit Phasidis undam;
Eoi, variique Scythæ, quos dividit ingens
Hinc, illinc Superis jam jam calcandus Imaüs,
Non ferri tenuant aciem, sed cuspide dorsum
Exacuunt: flexumque supra divergit acumen.
Talibus extremi hominum, nitidissima pubes,
Ensibus armantur Seres, quos fibula gemma
Subnectit tereti pendentes vellere fulvo.

E dex-

E dextro pendens humero transversus in orbem
Baltheus incumbat lateri, ferrumque coruscum
Fulciat; è levo sub dextrum zona lacertum
Descendat, pyrii quæ pulveris armamentum,
Atque pilas, restimque ferat: digitisque quaternis
Amplior ille: minor latescat zona duobus.
Exuviis cervi geminus formetur, equino
Vel corio: melior tamen his durissima pellis
Est alces, soliti qua se munire Magistri
Exiguas contra glandes: nam ferrea frustra
Pondera majori Catapulta emissa cavemus.

Duplici zona præcingendus miles.

At quoniam longo descendens baltheus orbe,
Zonaque, bellator cùm desilit obvius hosti,
Urbem aggressurus, cratesque citissimus altas,
Cespitibus sepem vel trasmissurus acutam,
Impediunt cursus; idcircò provida nostri
Temporis ars curta succingit pectora zona,
Ex qua, ceu cinctu, descendit pendulus ensis,
Et restis, loculique unà de sutile pelle,
Seu fago queis pulvis inest, plumbique supellex.

Prætereà cannam tibi dextera, miles, ahenam
Dextræ incumbentem scapulæ sustentet: & illam,
Itala quam patrio gens sclopum nomine dicit,
Nos (1) pyrobalistam Grajo sermone vocamus.
Ingens telum, atrox, lethale; potentius ullum
Quo non densa virùm per latos agmina campos
Sternere plumbatis, inferre & funera mille.
Nam velut æstivo cùm præceps sydere grando
Imbre pluit crepitante, repletos ubere culmos
Atterit, & latè flaventes demetit agros.
Sic etiam explosi simul ac stridere tremendo
Murmure, vibraruntque globos per inania sclopi;
Ilicet ictæ acies passim sternuntur in arvis:
Et cita terribili desævit Parca flagello.

Armandus & sclopo, qui graphicè describitur.

Jam quæ tormenti partes, quæ forma tonantis,
Accipe: fagineum tibi corpus, vel nuce fiat
Sublustri: latus cui subsit mole, levique
Molliter inflexus subter calcaneus orbe.
Posterior pars plana, gravi ne verberet ictu
Pectora, cum retrò, succenso pulvere, cedit.
Strictior & capulus, fietque rotundus: & illum
Latior insequitur ligni pars, inque cavato

Qua arte formandus sit sclopus.

Illa

(1) *Scoppetta*, o *Moschetto*, quasi balista ignea.

Illa focum gremio accipiat: nexuque tenaci
Firmet helix non una focum: postremus in orbem,
Excurrat codex tenuatus more canalis.
Inque sinum accipiat cannam: capuloque retorta
Jungatur cochlea, strictoque in vertice circo.
Tres tibi longa pedes sit canna, & pollice seno:
Cui tergus fuso formatur crassius ære,
Tenuius os: æquum spatio sit inane canalis.
Extrema qua parte foco conjungitur, olli,
Materiæ insinuet quo sese Vesta, foramen
Insit: ab ardenti factum cui lumine nomen.
Insuper his lævem, rectoque è robore querno
Prælongam facies virgam, qua stupea ad imam
Stricta per ora adiges multa vi vincula cannam.
Virgaque fagineo triplicem transmissa per arcum,
Vagina velut, inseritur servanda canali.
Curva focum subter sit ferrea clavis: & illa
Mobilis ærato versetur nexa colubro.
Arcus erit coluber, rituque excuditur anguis:
Qui restim accensam tenet ore, focoque recluso.
Exiguo stat pulvis ubi cratere repostus,
Excitat admotus, deducta clave, favillas.
Verùm ne pulvis cratere labascat aperto,
E ferro super impositum sit mobile tegmen:
Sclopōrum varium genus.
Nonnulli ignivomas majori corpore cannas
Efficiunt, ut jacta petat glans eminus hostem:
Atque bifurcatis substentant æra bacillis.
Angustas alii, sed longas corpore formant:
Ac silicem curvæ supponunt ore colubræ,
Et cochlea intorta stringunt, morsuque tenaci:
Inque foco adversa calybem regione reponunt.
Ut canis (hoc etiam cognomine dicitur anguis)
Cum mordet, subitas educat dente favillas.
Et mordebit, aget cùm se rota laxa per orbem.
Ast age, & è spatiis utcumque egressus iniquis;
Quà nullis patuit signis via trita priorum,
Jam quibus æra modis oneranda in prælia, tiro,
Modus onerandi sclopum traditur.
Accipe: Fulminei geminas immitte duellas
Pulveris in sclopum, conclusum vascula quantum
Querna tenent, talem tibi quæ gestantur ad usum.
At si fors subiti succendant prælia casus,
Inque volæ medio insistat plumbata repandæ:
Sulphureo totam quam mox tege pulvere: tantum
Sat: geminis tantum par assolet ire duellis.
Ut nitrum in calamum jactum est, demittitur intus
Plum-

Plumbea glans; stupam mox addito, sive papyrum:
Inque sinum intrudes virga, penitusque recondes.
Nam stipata magis fuerint si pondera, jactu
Glans longo excurret magis, & violentior ibit.
Lethiferæ plumbo fient è fusile glandes:
Et pyrobalistæ non sit nimis orbita plumbi
Ore angusta cavo. Sed Vatem flammea (1) restis
Cantantem vocat, & belli jam suscitat iras.
Funiculum linove rudi, vel cannabe factum,
Inque nova in spiras contortum imponier olla
Præcipe (ficta vitro in ventrem tibi turgeat olla)
Hinc albi quatuor superinfundantur aceti,
Et geminæ loti partes, atque una præusti
Pars Bacchi, salis una nitri purissima tunsi,
Una simul pyrii pars pulveris: indè vicissim
Permixta, accenso virgis crepitantibus igne,
Cuncta coqui incipiant, donec resolutus in auras
Humor eat totus: vitreo tum denique vase
Educti, pyrioque aspersi pulvere funes,
In calamo tandem extenti siccentur ad umbram.
Nam sic concipient siccati protinus ignem.
At pigra si fuerit restis fingenda, coroscum,
Quæ ferat effossis Vulcanum tarda cuniclis,
In sale sit tantùm nitri, decoctaque aceto,
Polline & ignivomo conspersa: pigerrima sed si
Forte tibi facienda, dabit colophonia partem,
Cera simul partem dabit unam: & cum geminis sal,
Et mastix geminis veniet, carboque quadrante.
Cunctaque pistrino contusa, levemque redacta
In cinerem, Vesta subter fervente, liquescant.
Hinc toties liquido mergenda bitumine restis,
Donec uti funalis eo crassissima surgat.
Verùm stypa tenax si sit fabricanda, præusto
Exiguum gummi, quod dat Panchaja, vino
Miscebis patrio, vel succosæ tragacanthæ.

Ars conficiendi restem igneam docetur.

Sed jam disce, feri sectátor Martis, in hostem
Intorquenda modo quo sit pila plumbea duro
E calamo, certamen ubi stat inire tremendum.
Pectora mentum infra spectet calcaneus æris
Glandiferi, & longum sustentet læva canalem,
Cuspis ubi excipitur virgæ postrema: repandum
Dextera sustineat tergus, quà proximus, ignem

Docetur miles artem pilam jaculandi in hoste

Stat

(1) *Miccio* Itali dicunt.

Stat focus, admissa jam jam tibi reste, daturus:
Hac sed lege: foco pollex pede longiùs uno
Desuper incubat cannæ: reliquique reduncam
Moturi clavem teneant. cùm tempus, & ipsa
Murmure jam rauco pugnæ dant tympana signum.
Nam sic adversos feriet contorta maniplos
Horrida glans, recto fugiens per inane volatu.
Insuper esca foci sit lecto è pulvere; ut ignem
Ilicet accipiat, mittatque in viscera cannæ.
Sed quò me fessum rapitis? quæ limina, Musæ,
Panditis? insuetos videor penetrare recessus.
Tartara nigra patent, caligantesque camini
Tetram eructantes densato turbine flammam:
Sulphurei resonant amnes, fusisque liquescunt
Fœta bituminibus loca cœca, nigræque paludes.
Æthnæos furvis video Cyclopas in antris
Non enses pro more, comantiaque æra, neque hastas
Cudere, nec rigida versare incude metallum.
Sed pars è solido formatos ære lebetes,
Atque cavas urgent suppostis ignibus ollas:
Pars liquido infundunt permixtum flumine nitrum,
Atque vaporifero resoluto humore per auras,
Edomitum flamma educunt portentiferum sal.
E Stygiis sulphur deductum fontibus illi
Igne coquunt: corylis alii, levibusque salictis
Carbonem accensis faciunt: factumque minutim
Altera contundit ligno pars illa rotundo.
Permiscent alii nigro cum pulvere nitrum,
Sulphuraque, & dulcem suffundunt Najadis undam.
In cava mox alii siccanda laconica mittunt
Sulphuraque, nitrumque, & semina pulveris atri:
Et siccata cribro secernunt ignea grana.
Vos mihi, quæ rerum facies, & quæ nova Martis
Armamenta parent vasto Cyclopes in antro.
Dicite; nam nostis, Divæ, & memorare potestis:
Et quoniam vobis concessum, sternite Vati
Per loca cœca viam, facibusque præite coruscis.
Nympha fuit claro Syrenum sanguine creta,
Leucosyrin Nesida, ferunt, dixisse parentem:
Pausilypo quæ mixta specu sub monte reposto,
Munera furtivæ Veneris susceperat albam
Leucosyrin: virgo infelix! nam Phœbus in altum
Iratus viridi mutavit vertice saxum:
Atque senem in saxum pariter mutavit: & illum
Apposuit Nympham juxta: sed jungier olli,

Ingreditur Vates Cyclopum antrum ad Vulcani forum, atque illos in fabricando pyrio pulvere occupatos videt.

Leucosyris unæ ex Sirenibus ortus, & origo poeticè narratur.

Pes

Per medium pelago præterlabente, negavit.
Inarime Nesin, Phœbo genitore, crearat:
Siren ipsa, parens fuerat, cui cærula Dotho.
Et Procythen Dotho matrem jactabat, & Æglen
Jactabat Procythe: formosamque illa Dicarchin.
Cui Mater Circæa, vago quam proxima Sarno
Leucopetre, vitreo tulerat connixa sub alveo.
Aurea Leucopetram dederat Cholomelis: & olli
Parthenope formosa parens, quæ vecta per altum
Jonium Graiis è finibus: inque beati
Litora Crateris cùm descendisset, amicis
Excepta hospitiis à ruricola Sebetho,
Sirenum genus Euboicis prima intulit oris:
Et molles genti ritus, & docta refixit
Otia Grajugenùm, citharamque, & carmina, ludumque
Instituit circi, & doctas prima extudit artes.
At Dea Leucosyris tot matribus aucta superbis
Ibat, & egregio formæ spectanda decore:
Ac dulci cantu, citharaque insignis eburna
Ibat Olympiacas inter præstantior omnes.
Nobilis Ausonia ex omni delecta juventus,
Atque duces clari bello, regesque potentes
Muneribus certatim illam, votisque petebant.
Illa sed illecebras, animo dotata virili,
Et dulces patriæ Veneris spernebat amores.
Fœmineum natura genus quod fecerat, illa
Impatiens perferre, colum, fusumque perosa,
Penelopes & acum fastu indignata superbo,
Prælia dura virùm, Martemque capessere virgo
Instituit, celeresque manu tractare sagittas:
Et spumantis equi cursu prævertere ventos.
Ergo acrem belli studiis incensa, Gradivum
Insequitur fera virgo: sagoque induta virili,
Agminibus permixta, suos, hostemque fefellit.
At non insignem speciem, lumenque juventæ,
Et roseas celare genas, & lactea colla
Evaluit, nitido galeæ fulgentior ære
Frons nitet, & crista rutilat flaventior ipsa
Cæsaries, pulchroque oculi fulgore coruscant.
Palladis os, habitumque refert armata: severo
Territat ore minax, oculisque rubentibus ignem
Fulminat horrendum: verùm est & amabilis horror:
Nec terror vacat illecebris: pellitque, trahitque
Os unum: pugnantque simul Mars, atque Cupido.
Forte fuit forma juvenis formosus, Asylæ

Illam multi, & illustres petebant.

Quæ Martias artes edocta, virili sago induta, Militiam sequitur.

Filius, Arctoo primus de litore Asylas,
Hesperiam in magnam veniens, primordia regni
Jecit, ubi leni Campanos flumine Liris
Alluit, & prisci despectat mœnia Aquini,
Cujus ab Ausonio se appellavere vocantes
Nomine, (1) Lingonidùm quot quot de stirpe creati,
Sceptrigeri heroes omnes, lauroque decori.
At juvenis Podamyrus, Avi cognomine dictus,
Egregiis fidens animis, pulchræque juventæ:
Atque novo, veterique tumens præcordia regno,
Campanos in bella duces, regemque secutus,
Sexcentos juvenes, fortissima corpora, toto
Delectos regno, secum dux ipse trahebat
Leucosyris Podamyron, equo subvecta feroci
Insequitur comes: & sociis fuit una duobus
Par Fortuna: pares, fusis certamine Mauris,
Sortiti laudes, parilesque egere triumphos.
Felices nimium socii, ni dira cupido
Sensim accendisset rapidis præcordia flammis.
Nam juvenis forma captus, specieque decora,
Hauserat ingentem, penitusque per ossa furorem.
Quandoquidem nulla roseæ lanugine malæ
Obductæ, rituque nivis canentia colla
Fœmineos animos aliena in veste recondi
Argumenta dabant juveni certissima: sexum
Vox & fœmineum pariter demissa sonabat.
Quin etiam sibi signa rei manifesta ferebat
Indagator amor, quo non solertior alter
In penitas intrare fibras, inque abdita rerum
Arcana, occultosque palam reserare recessus.
Cuncta oculis lustrat pernicibus: & vigil intrat
Mente per arcanos aditus: argutus & omnem
Observat nutum, & tacitus secum omnia confert.
Est oculis amor acer, acutus mente, sagaci
Est animo: multoque evadit doctus ab usu.
Non illum visu Lynceus, non fama volatu,
Non Maja satus eloquio, non vincet Ulysses
Astibus: arguto nec fallet acumine Pallas.
At juvenis, magnum qui jam conceperat ignem,
Incomitatus adit Nympham: quæ forte sub alta
Val-

Podamyrus ex Aquini Regulo genitus in bellum profectus se offert Leucosyri.

Qui Virginem illam suspicatus, in virginem amorem exarsit.

Amor sagax mente, atque oculis acer.

(1) Longobardorum nimirùm principum, qui ex Lingonibus, & Bardis, ut quibusdam placet, primùm coaluerunt.

Valle ſedens, placidi captabat murmura rivi,
Et dulces umbras, & amicæ ſibila quercus.
His propior divam aggreditur: Pulcherrima Virgo
(Nam talem te forma facit, vox arguit ipſa:
Inceſſus & ſigna ferunt manifeſta) quid ultra
Virgineos vultus aliena in veſte recondis?
Quid teneros vexas artus? quid membra fatigas
Mollia? florentes ignara quid atteris annos?
Bella viri tractent: Veneris te ſacra repoſcunt:
Egregiamque petit ſoboles numeroſa parentem.
Si quidquam officiis meruit Podamyrus, amicum
Conjugio dignare virum: Regina paterni
In partem regni venies: te ſemper Aquinum,
Te placida ſemper Liris venerabitur unda.
Quid dubitas formoſa? moras quid lenta beato
Moliris nexu, & ſortem fruſtraris amicam?
Hi liquidi fontes, hæc numina vallis, & ipſa
Connubii teſtis ſit nobis pronuba Juno.
Hæc dictis puer: atque audax jam plura parabat.

Podamyrus Virginem aggreſſus ſuadet, ut nubat, ſibique copuletur.

At virgo, cui verba ducis ſine more pudicum
Accendunt animum, & vis addita ſuſcitat iras,
Sic contra vultu fata eſt ſucceſa minaci:
Quis Deus, aut quæ te, juvenis, dementia adegit
In tantum veniſſe nefas? dabis, improbe, pœnas.
Non mihi ſunt molles animi, non fœmina, vir ſum.
Cumque viris, dum fata dabant, certare duello
Haud renui: quot enim, ſcis jam, ſub Tartara miſi.
I, galea induere, & duro præcingere ferro:
Prævalidaque haſta, & clypeo munire patenti.
Te te ergo, te ſolum in certamina ſola repoſco.
At juvenis lenire animum ſic cœpit: Acerbo
Non te convicio, durove inceſſere facto
Auſus: nec potui: ſummi vos conſcia cœli,
Sidera, vos ſylvæ teſtor, vos flumina; quando
Vos etiam ſylvæ, vos flumina numen habetis.
Sed me ſanctus amor (nam non indebita poſco)
Impulit, atque tui, virgo pulcherrima, mores.
Nam quis te talem neget eſſe? Deus quoque nobis
Hæc dedit argumenta. Deo ne, pulchra, reſiſtas.
Pone iram, & teneros virgo jam concipe ſenſus.

Leucoſyris ira ob juvenis auſus accenſa illum in ſingulare certamen provocat.

His magis irritata, odiiſque furentibus acta,
In campum pergamus, ait: decernere ferro
Pugnatorne vir, an mollis ſim fœmina, certum eſt.
Hæc dedit: & ſeſe in tentoria protinus infert
Bellatrix virgo, famuloſque ad munia poſcit.

Purgat ſe juvenis at illa magis irritata, ad arma accingitur.

Arma citi, fatur: quæ vos mora tardat, inertes?
Ocyùs arma ferunt illi: ſed cauſſa furoris
Quæ ſubiti, nemo dominam ſcitarier auſus.
Tantus inardebat vultu furor. Illa comanti
Ære caput, pectusque tegit thorace trilice.
Inſignis latus enſis habet, capulumque niteſcit
Aureus: & magnam præacuta cuſpide pinum
Dextra tenet: clypeum ſuſtentat læva, polito
Ævo renidentem: gyro cui triplice circus
Argento rutilat: medio ſtat gemmeus umbo.
His telis armata, & virtutis conſcia virgo,
Bellatoris equi ſaltu ſe vibrat in armos.
Inque ferox aciem prodit; ſed neſcia fati.

Podamyrus etſi invitus prodit in aciem.

At juvenis, quamquam invitus, non ſegnior ibat.
Verùm animi dubius, Divos quid poſceret? hoſtem
Vinceret? at vitam victa moriente daturus
Ipſe erat infelix: vincine? probrumque, pudorque
Id vetat. Ah demens: in quæ diſcrimina, virgo,
Te, ſociumque rapis, ſuſpirans fatur: & acri
Urget equum ſtimulo: volat hic pernicior Euro.

Rumor ſtatim ſpargitur illos decertare, accurrunt Duces,

Interea trepidas vulgi compleverat aures
Effuſus latè rumor, certare duello
Leucoſyri Podamyron, amico fœdere rupto
Hoſpitii: cauſſaſque odii, pugnæque latere.
Ergo omnes permixtim acies, denſique manipli
Accurrunt: caſtriſque ruens effuſa juventus
Omnis it in campum, pugnam viſura: ducesque
Accelerant iter: & dictis, juſſuque parati
Conciliare animos, triſteſque avertere caſus.
Incaſſum tamen: adverſis, ceu fulmina, pilis
Hinc fera Leucoſyris veniebat, & acrior illinc
Inſtabat Podamyrus equo: ſed cominus ut jam
Virginis ora videt, dextra vix ſuſtinet haſtam
Infelix: tenerumque iras bibit inter amorem.

Virgo, & ſi ille equum flexiſſet in curſu decidit: cumq; redire in pugnam vellet, Principem authoritate direptum eſt certamen.

Flectit equum læva, pulſu ne lædat amantem,
Vicit amor laudem: at non implacabilis ictum
Virgo fugit: dum flectit equum, ſtringitque premendo;
In latus occurſat juveni: occurſuque repulſa
Decidit: atque excuſſa manu ſimul haſta refracta eſt.
At virgo ſubito caſu non territa, ſurgit
Ilicet in pugnam, veluti leo tactus: & ipſe
Vim magnam vindex animus ſibi ſufficit: ipſe
In rabiem verſus multam pudor excitat iram.
Igne micant oculi, rubet os, frons fulgurat: enſem
Stringit dextra minax: inque hoſtem cœca ruebat.

Cùm

Cùm medium tenuere duces, Rex adfuit ipse:
Et pugnam dictis, & majestate diremit.
At non ultrices cesserunt pectore curæ:
Sed magis occultis fera virgo furoribus ardet:
Et victæ nomen (fuerit casusve, Deusve)
Indocilis perferre, fremit, magno æstuat igne,
Ceu fera, quæ postquam cœpit pugnare theatro,
Nec primo assultu risit fortuna, magistri
Cogitur ad nutum campo decedere; & arcto
Includi septo: sola hic furibunda remugit,
Et secum indignans iram de pectore proflat.
Jam cœlo tenebras extincta luce vehebat
Humida nox: tacitæ quando tentoria turmæ
Densa tenent, sternitque thoros defessa juventus:
Tum virgo in sylvam, nullo comitante, relictis
It castris; secumque animo meditatur iniquo
Vindicet ut sese: pœnamque ex hoste reposcat.
Quam citò concepit, serò vix mitigat iram
Fœmina: nec violata magis fera persurit ulla.
Condensum transgressa nemus, sub celsa Vesevi
Culmina tendebat, nullis exterrita monstris:
Plurima quæ montem perhibent errare per altum.
Non cœcæ sistunt umbræ, saltusque maligni:
Audacem faciunt animum furor, ira, pudorque.
Jam summum defessa jugum pervenerat, ignem
Cum videt exigua tuguri radiare fenestra:
Accedit: pulsatque fores cornice propinquas.
Forte senex Periander, amor cui plurimus artis
Empyricæ, verique sagax, si cætera desint,
Indagator: erat studiis simul illæ Minervæ
Excultus, citharæque modos, & carmina norat:
Carmine quin etiam ventos placabat, & undas.
Eque ipsas tumulis animas, umbrasque vocabat:
Inque ibat chaos, & cœcos tellure sub alta
Lustrabat calles, rerumque arcana petebat.
Et tunc forte novum senior, mirumque parabat
Inventum, quo omnem terrarum everteret Orbem.
Ut primùm raucæ strepitus cornicis ad aures
Pervenit, reserat valvas, visurus an umbræ
Sylvestres, ductive homines errore viarum.
At verò ut pulchræ conspexit virginis ora,
Armatumque latus ferro: Quis nocte sub alta
Huc Deus, ò virgo, fatur, quisve attulit error?
Sis felix: nostrisque hospes succede caminis:
Seu sors, sive aliquis Deus huc, vel compulit error:

Illa ignominiæ impatiens noctuè castris egreditur ad Vesevum jugum contendit.

Hic in Periandrum Empiricę artis studiosum occurrit.

A quo perhumaniter suscepta.

Non

Non fors, nec Deus incaſſum, nec inutilis error.
Iſta ſenex: ingreſſa ſpecus dum luſtrat opacum,
Multa oculis rerum ſpectat miranda, novasque
Armorum ſpecies, & nitrum, vivaque ſulphura,
Atque novas etiam reſtes, & pulveris atri
Materiem: miræque animum novitatis amore
Capta, ſenem poſcit, quæ ſint ea mira? ſed ante
Ipſa ſui virgo, quoniam ſic ille petebat,
Erroris referat cauſſas, & ſortis iniquæ
Arbitrium: referensque gravi ſimul æſtuat ira.
Æſtuat ipſe ſenex, ſed amore incenſus: at ignem
Corde premit: nec fas animum tentare pudicum.
Atque his ingreditur, oculis in virgine fixis:
Credo equidem, Deus ultor in hæc te noſtra reduxit
Hoſpitia; authoremque novæ te deſtinat artis,
Atque novorum operum. Ducent utcumque minores,
Admiranda ſenex inventa, & fœmina mundo
Inferet: una odiis, alterque incenſus amore.
At verò ut totam teneas ab origine cauſſam,
Eſt opus, ut mecum gremio telluris opacæ
Succedas, Manes ſubter, nigrantiaque antra
Ditis inaceſſi. Sed primùm ut cuncta ſecundis
Auſpiciis incœpta fluant, cratera Lyæo
Spumantem libemus Opi: libemus & atræ
Nocti alium: placata fores Ops maxima pandet:
Nos facilem per cœca viam dabit, inque repoſtos
Ire ſinus naturæ, atque abdita viſcera terræ.
Hæc ubi, flaventis libant crateras Jacchi:
Nigra unum tibi, Nox, tibi & unum, frugiferans Ops.
Hinc tacitum Periander iter cum virgine carpit,
Mons ambuſtus ubi magno cratere pateſcit,
Eructatque globos flammarum, & ſydera pulſat.
Jam medium cœli bigis confecerat albis
Sylvarum Dea, ſydereis comitata choreis,
Cum ſummas tenuere arces, fumumque malignum
Excepere oculis: tum virgo exterrita, Greſſus
O age, ſiſte, ſenex, inquit; namque invia nobis
Semita per medios fumoſi turbinis ignes.
Mitte metum, tunc ille: ſimulque incognita verba
Fundit multa precans, & gyro triplice virgam
Circumfert, ſignatque arcanas pulvere formas.
Extemplo totus cœpit, mirabile dictu,
Mons tremere: & cœcæ ſubter patuere cavernæ:
Ceſſit & atra loco citò flamma, nigerque refugit
Fumus: & horrenda venere ad juſſa miniſtri.

Hic dum nova inventa, videt, quæ ſint, rogat, ſuumque caſum, uti ille optabat, priùs narrat.

Mox ſenex Virginem in ſubterraneas ſpecus deducit.

Cumque ad Manes veniſſent, virgo ſenem hortatur ne ulterius pergeret.

Tendit iter per opaca senex: quem pone secuta
Leucosyris, nullis Erebi perterrita monstris.
Ibat & audaci gressu, vultuque minaci
Bellatrix: capuloque ensem eductura tenebat:
Seu dolus id malus, aut si res deposceret. Inter
Jam cœcos aditus, loca nigra horrentibus umbris,
Perventum: & glauci nidor jam sulphuris, & jam
Pulsat odor nitri nares, atque aëris usti.
Tum sociæ Periander, ait: Sine lumine vastas
Has Dii speluncas habitant: tenet ima profundus
Tartara Dis, nigrique tenent, turba impia, Manes:
Atque situ angusto, æternoque horrore premuntur:
Et cœcæ nocti, & rapidis data pabula flammis.
Has sed supremas liquidis resonantia rivis
Flumina habent, cœcos, quæ per telluris hiatus
Lapsa mari ex alto veniunt: atque incita rursus
In mare per latas redeunt currentia terras.
In medio sedere Deæ, quibus omne metalli
Concessum genus: has miseri venerantur avari:
Hæc bona, quæ stulti precibus nocitura reposcunt.
Proxima sulphurei, quæ jam propiora videmus,
Amnes, atque nitri venæ tenuère, vagique
Argenti, liquidæ quod ritu defluit undæ.
Hæ modò (quandoquidem sunt hinc inventa petenda
Mira nova, horrendumque metum incussura tonanti
Fulmine: promeritas dabit ille his & quoque pœnas)
Sunt tibi lustrandæ sedes propioris Averni.

Mox cum senex nescio quæ verba fudisset, cessit, atque interriti pergunt: simulque quæ sint ea loca, & qui teneant, edocet Periander.

Ima Dis, & Manes habitant.

Superiora amnes, & Deæ quæ Metalla curant.

Hæc loca, quæ vastis fervent incensa caminis,
Dum terræ humorem recoquunt, præmolle bitumen,
Et densam emittunt spumam, quam sulphura nostri
Appellant, quorum tenui vix lumine flammæ
Prælucent: spatium nec multum accensa reposcunt.
Hæc sed vena nitri, quæ sub telluris opaco
Concrescit gremio, umbrosisque meatibus undæ,
Quos nullæ subeunt dulces, nec Solis aprici
Descendit vis ulla, nitro bis, terque recocto,
Natura purgante, creatur fulmineus sal.
Sulphure sal mixtus glauco, & cum pumice trito,
Materiam facit horrendam, quæ flammea mille
Semina sunt: rapida quæ candescente favilla,
Corripiet, cœcis si qui latet abditus antris,
Vel si qui nimio fervore eruperit, ignis;
Momento in flammas abeunt rarissima: & ingens
Latè implent spatium, cùm perruptura supernè
Ingenti sonitu, & cœlum obductura tenebris.

Ubi sulphur generetur.

Ubi nitrum.

Et quo modo in ignem exardescat.

Sci-

Scilicet id; quoniam nonnunquam concita tellus
Horrendùm nutat, penitisque excussa cavernis,
Sæpè aperit montes, & flumina sorbet, & urbes
Sternit humi, summoque à vertice dejicit arces.
Hinc docet, ut ruptis nimis fervore caminis,
Vesbius ingentes jaculetur ad æthera nimbos:
Ferventesque amnes, fusique bituminis imbrem,
Sulphuraque, nitrumque, & flumina viva metalli,
Evomit indignans: latèque incendia campis
Vasta ferens, cædem villis molitur, & agris.
Nimirum multo quoniam succensa calore
Materia in rapidum vertit se fossilis ignem.
Quæ postquam intumuit: nec jam spumosa tenet se,
Instar aquæ, rupto quæ defluit aggere ripæ,
Immensa ex alto sese cratere refundit
Eluvie, & circùm rapidis vorat omnia flammis.
Idque magis cùm bruma riget: quia frigore bruma
Dum furit, ima magis fervescunt viscera montis:
Scilicet externi propulsent frigoris iram.

Et hinc cur Vesevius interdum accensus, tantam eluviem evomat.

Hæc ubi: Perge, modum formandi pulveris, inquit,
Et formidandas artes jam suscipe, virgo.
Principio quà terra nigris patet ima cavernis,
Et dulci rivo, rutiloque impervia Soli est,
(Vanescit nam Sole nitrum, rivoque liquescit)
Quà circùm stabula alta boves habuere, suesque
Setigeri, vel oves, hædive, armentaque equorum:
Quaque exercitibus cæsis certamine longo,
Permixtim cæcis infossa cadavera terris,
Materiam accipies nitri; cupisque repones:
Et cineres ulmi misces, & roboris alti,
Quosque ambusta dedit multo tibi fraxinus igne.
Præterea vivam pariter superaddere calcem
Cura tibi: dulcemque infundas Najada cupis.
Matèries postquam rivo fuit, & sale multo
Exaturata, cavo Nais demissa canali,
Subjectas fluat in pelves, vel ahenea vasa.
Jam verò, purganda focis tibi Nais: & illam
Excoctam lento concrescere jusseris igne:
Inque salem concreta venit; quæ prima peracta
Est ubi pars operis, subit altera: fossile sulphur
Ut famuli inducant certatim; & fæcibus illud
Expurgent, liquido rivo bis, terque refuso;
Ut color abscedat glaucus, mixtumque rubenti
Transeat in niveum, & pars ignea purior insit.
Tertia subsequitur curæ pars; igne salictum,

Tradit mox artem conficiendi pulveris pyrii.

Aut

Aut denſam incendes corylum: ſed rejice nodos
Ante: graves apti non ſunt ad munera nodi.
His confectis ubi carbo, tibi maſſa peracta eſt,
Qua pulvis tandem fiat Vulcanius: artem
Accipe: ſi valido qui niſu proruat hoſtem,
Conficiendus; agit quique incitus, objice rupto;
E parvo ſiphone citam ſub ſydera glandem:
Decocti primùm libras ſalis accipe centum:
Bis quinas det ſulphur, erunt carbonis & octo:
At pyrobaliſtæ fuerit ſi pulvis ad uſum
Bisque novem coryli libras dent igne præuſtæ:
His & viginti fumantia ſulphura jungant.
Qui ſupereſt, majora movet tormenta, pilasque
Ingentes per inane jacit, tonitruque remugit
Pulvis, & immenſo fumi tegit aëra nimbo;
Sulphura viginti, & quinas tibi viva miniſtrent,
Et totidem carbonis erunt. Age, diſce, parata
Omnia miſcendi pariter quæ cura, modusque:
Singula quæque priùs piſtillo contere: & unam
Mox citus in maſſam permiſces omnia, & undam
Deſuper infundas: flammisque ardentibus illam
Excoque; multus uti deſudet inutilis humor.
Materies, quæ ſpiſſa cavis reſtabit in ollis,
Ad Solem ſiccanda tibi, furnove tepenti.
Poſtremùm ſiccata cribro ſecernitur: inſtar
Granorum fiet pulvis lethalis arenæ.
Illius & miram tibi vim, roburque tremendum,
Protinus expediam. Canna concluſus ahena,
Inque unum ſtipatus, & objice glandis adactus,
Ut flammas, ardente foco, concepit in ignem
Ilicet erumpit, glandemque emittit ad auras,
Terrificis reſonans bombis: volat illa, tonantis
Fulminis inſtar, agitque metum, triſtemque pavorem:
Et mixtos horrore ſonos: ſcinditque, ſecatque
Omnia, flammatoque reponit vulnere mortem.
Tantaque vis olli; ſubitum quia totus in ignem
Vertitur; idcircò magnas latè aëris oras
Flammifer affectat: quas ut citus, occupet, uno
Momento ruit è canna, circùmque remugit:
Extruſamque unà jaculatur ad æthera glandem.
Igneus è gremio ceu cùm telluris in altum
Aſſurgit vapor, & mediis ſe nubibus infert.
Hic denſatus ubi obſiſtente à frigore crevit
Fulmen in horrificum, majorque exarſit, aperto
Erumpit, tonat horrendùm; volitatque citato

Mox varii pulveris va-
rios modos docet.

Miram pulveris vim ex
plicat. Et cur tanto im
petu pilam è canna jacu
etur.

Impetu, & annoſas in ſylvis atterit alnos.
Icta gemunt nemora alta, & murmure plangit Olympus.

Inde & illius varias naturas dicit.

Aſt illud mirum eſt, tenuati pollinis inſtar
Si teritur, toto pulvis vacat impete: viresque
Amittit pariter perfuſus Najade molli.
Nimirùm, vivo quia dum torrente madeſcit:
Et cùm pollis uti nimium tenuatur, acutum
Haud ignem citò concipiet: ſed tempore longo,
Intervalla velut per multa, accenditur: olli
Non multæ infracta vires virtute ſuperſunt.
Idcircò cura ſemper majore cavendum,
Ne tibi pulvis aqua madeat, neve humida juxtà
Servetur loca, fictilibus nec conditus ollis:
Semina nam nitri fontes ventoſa reſolvunt,
Partibus èque aliis disjungunt: tertius atræ
Additur idcircò maſſæ carbunculus: auras
Nam ſecus in tenues confeſtim pulvis abiret
Irritus: à corylo qui nunc vim concipit uſta.
Quin etiam glauco conceptam è ſulphure flammam
Spiritus è ſale prorumpens extingueret, illi
Nutrimenta daret trito ni polline carbo.
Tandem cùm virga ſtipatur pulvis aheno,
Haud violenta premas multa vi vincula, pollen
Ne fiat, fruſtrà belli exarſurus in iras.
Mox bellatrici varias oſtendere formas,
Atque novas ſpecies armorum cœpit, & uſum
Dicere: & illa animo dicentis verba reponit.

Oſtendit & varias armorum ſpecies.

Hanc pyrobalyſtam Grajo ſermone vocabunt,
Quam validi poſſunt vix ſuſtentare lacerti.
Idcircò in pugnam baculo ſuffulta bifurco
Ibit, ducta viro robuſto, & nomine dicent
Illam etiam veſtri catapultam: ſclopus & ille
Militis è dextra, bomboque minore tonabit:
Et manualis erit mixto cognomine dictus
Siphon: & flammas è reſte excudet uterque.
Longior hic, ſilicem qui dente tenacior æreo
Sclopus habet: mihi certa novis nova nomina rebus
Danti, Chalcopyros dicetur; flammea quando
Attritu calybis ſuccendit grana. Pelasgis
Appellatus & hic quondam Siphunculus eſſet:
Martia Romanis ſed fiſtula: quam manus una
Militis extemplò vicinum explodet in hoſtem.
Hæc poſtquam præfatus, iter flexere coruſci
Ætheris in lætas auras: rurſusque relictam
Devenere caſam, nitido cùm Lucifer aſtro,

Nun-

Nuncius Auroræ montem lustraverat altum;
Ille hic Leucosyrin donavit pulvere multo,
Fistula & armavit gemina: quam pelle fugacis
Intectam cervi senior per ephippia circùm
Cornipedis gemino pendentem aptavit in armo.
Et glandes dedit alatas, & plurimus usum
Edocuit: simul hæc: Percussus fulmine dignas
Hoc dabit ille tibi, Virgo pulcherrima, pœnas.
Aude animis: nec te pudeat, quod viribus impar,
Atque novis impar data victima concidat armis:
Quid non vindictæ licitum? si vincere certum est;
Et quæ parta dolo, dabitur victoria laudi.

Tandem in agrestem senis casam reversi, Periander pulvere, & fistula ærea Virginem donavit, ut illis se armis vindicaret.

Ast ubi promeritas Virgo pro munere grates
Egit, & extremum charo vale dixit amico:
Invento exultans miro, sitibundaque belli,
Subjectas valles, deserto monte, petivit.
Ærea sic primùm Stygiis educta caminis,
Dii Manes nocitura viris tormenta dederunt:
Atque novas artes bellandi edocta juventus.





BELLICORUM
LIBER TERTIUS.

POSTQUAM lecta novis se pubes induit armis,
Atque usus edocta, acies conflare pedestres,
Vatem cura vocat: quæ pars non ultima cœpti est.
Non etenim in pugnas pecudum de more, sine ullo
Ordine, permixtim, ut cœcus fert impetus, ut sors,
Ire decet, divina quibus mens indita, & acrem
Vim quibus ingenii Dii concessere benigni.
Telum ingens, validumque homini, quo vincere quidquid
Posse datum, cunctisque super animantibus esse.
Quæ cùm sic habeant sese, Dux, ordine tali
In certas scriptam series partire juventam.

Centuria quæ, & quomodo conficitur.

Ergo age, Centuriam in primis, quæ corpora centum
Colligat alma virùm, facies: queis imperet unus
Centurio, multa virtute insignis, & armis,
Quique vices ineat, vir fortis proximus adsit.
Tertius insequitur post hos, qui Romula signa
Explicet, & capta præfigat Signifer arce.
Sit geminus simul Instructor, qui dirigat agmen,
Instruat & campo, cum res petit unus & ore
Inflabit calamum: duo pulsent tympana, & acres
Irritent bellaci animos in prælia cantu.
Sexaginta ferant leviores pondere sclopos,
Ni gravibus lubet armari; præstabit utrisque
Munitos, vario Martis pro Munere, habere.

Qui Decani, Substites, & Uragi.

Quadraginta gerant hastilia lenta (1) Decani

Sint

(1) *Capesquadri, ò Caporali.*

Sint numero ex omni delecti quinque, Latina
Nomina Præstitibus queis olim antiqua fuere.
Ordine qui sequitur, Substes: quique ultima claudunt
Signa viri, Grajo quondam sermone vocati
Uragi. Primi præcedunt forte Decani,
Tirones est cura quibus commissa docere
Difficiles artes bellorum, & quæ sua quemque
Munia certa manent: quique illis fortibus ausis
Dent exempla operum, faciantque in prælia vires.
Sed quo Centuriæ procedant ordine: Primus
Dux hastile ferens humeris: quem scutifer ante
Ibit, habens læva parmam, dextraque magistri
Eoo è calamo, aut sublustri è robore virgam.
Quique vices Rectoris obit, comitetur euntem.
Hinc & centuriæ venient juga cuncta: Decani
Ordine præcedent primo, Emeritique secundo.
Post hos incedant, rauco qui prælia cantu
Accendunt, validasque addunt certantibus iras.
Pone hos sclopiferùm quinis juga versibus ibunt
Cætera: sub media succedat pube, Quirini
Qui signum gerit, & ludentibus explicat auris.
Protinus hastati properabunt: denique tergus
Postremum Uragi claudant: totumque per agmen
Hac, illacque vagi, intentique ad singula, bini
Circùm (1) Instructores errent: & versibus omnem,
Ordinibusque regant certis gentemque, aciemque;
Obliquus ne fortè aliquis se porrigat extra
Versus, sive jugum benè non respondet ad unguem;
Et si quem juvenum non ritè incedere spectent,
Cominus errantem directa ad signa reducant.
Sunt qui centuriam numero constare minori
Hac ætate novi, & docti voluere magistri.
Sexaginta viris totam, non amplius, illam
Componunt: quorum gestant stridentia ahena
Quadraginta humeris, viginti hastilia longa.
Sic acie in tota delecti ad prælia multi
Ducent signa viri: quorum virtute mereri
Egregiam poteris palmam, Proconsul, ubi atrox
Conseritur pugna, & dubio Mars emicat igne.
Qui si mos populo placeat, non ipse recuso.
Sed jam Centuriis descripto è milite factis;
Protinus insequitur componere cura (1) cohortes:

Tota

Quo Centuria ordine procedat.

Instructoris munus.

Alter Centuriæ instituendæ modus.

---

(1) *Sergenti* Itali vocant. (2) *Reggimento.*

Tota quibus legio conflatur more Latino.
Nam non Barbaricas acies, moremque docebo
Quæ Cohors, & ut componatur. Invisum Patribus semper, Populoque togato.
Centurias igitur denas conflare cohortem
Præcipio: quæ contineant si corpora centum,
Mille viros compacta phalanx in prælia coget.
At sexaginta si complectantur, in arvis
Sexcentos juvenes hæc tantùm exponet, ubi Mars
Detonat, & fortem vocat ad certamina pubem.
Cohorti Tribunus præest. Vir magnis animis, grandisque ætate, (1) Tribunus,
Inclytus & factis, & avorum fasce, cohorti
Præsideat toti: similis sit additus olli
Legatus comes; ut totum, si forsitan absit
Ductor, vel pugna fuerit sublatus in ipsa,
Instructor, ordinat. Agmen agat, dictisque viros, dextraque gubernet.
Insuper Instructor, certa qui lege phalangem
Explicet in campis: sociusque Vicarius, agmen
Qui Vicarius, & ejus munus. Qui valeat simul instruere, instructique tenorem
Servare, & versus omnes componere in unguem.
Armis idcircò, pugnaque peritus, uterque
Sit, præsensque animo: multum conferre secundis
Sic rebus poterunt, & palmis arte merendis.
Sit Procurator, totam cui cura cohortem
In villis, dum castra movent, campisque locare:
Et victum cunctis, vestesque, & commoda vitæ
Sufficere, & Martis, quæ plurima postulat usus,
Adde, Machaonia qui planè instructus ab arte,
Sint in Cohorte Medicus, Judex, & Sacerdos. Vulnera cruda virùm, & febres medeatur acutas.
Sitque etiam judex, cui sint castrensia jura
Cognita, qui rectis perpendens lancibus æquum,
Et juvenum dirimat lites, & crimina plectat.
Sed sit cura fori ambages vitare dolosas,
Atque imperplexo consulta exponere sensu:
Aversata forum quæ nunc Astræa reliquit.
Sit pariter (quæ cura pii sit prima Magistri)
Qui Superùm curet ritus, & sacra Sacerdos:
Et juvenum instituat mores: omnemque repellat
E castris vitiorum aciem; precibusque supremum
Conciliet Numen: miseros juvet, increpet ultrò
Perjuros, teneat dubios, ne fortè labascant.
His actis, (2) legio sequitur conflanda Quiritum
More,

---

(1) *Mastro di Campo* Itali, Hispanique appellant, Germani *Colonello*. (2) *Un Corpo d'armata*.

More, usuque novo: nam temporis illa vetusti
Haud equidem nobis ratio retinenda recenti
Est ævo, nova bellandi quo forma reperta est.
Hoc igitur facient legionem more cohortes
Quattuor, & geminæ geminis in cornibus alæ.
Millia sic peditum quatuor compacta tenebit,
Ast equitum legio duo millia: si minor isto
Sit numero stipata cohors: bis mille virorum
Et centena quater legio ad sua signa vocabit:
Mille & bis centum alarum duo cornua cogent.
Præfectus toti legioni præsit: & olli
Imperium summum: alterius nec jussa facessat,
Ni Prætoris erunt, vel Consulis: attamen alas
Ab jussis equitum fas est pendere Magistri.
Non quisquis tanto dignetur, Consul, honore,
Sed vario belli, qui functus munere, palmam
Sæpius insignem retulit, laudemque Senatus:
Et sit imaginibus multis, titulisque decorus.
Illum legatus, qui sit comes impiger, & qui
Multo etiam meruit bellator Marte, sequatur.
Dum legio sua castra movet, Præfectus in ipsa
Fronte viam secet: extremumque Vicarius agmen
Servet, equo fidens nitido sublimis uterque;
Ut facile hàc, illàc cursando invisere totam
Instructam valeant legionem, omnesque maniplos.
Hinc Instructores primi, quorum ordine cunctam
Est aciem instruere, & recta componere versus,
Magnanimis vectentur equis. Gens extera, Vati
Quæ nunc trans fines, & canas incolit Alpes,
Accipiunt pro tota ipsam legione cohortem:
Et vario variæ gentis pro nomine dicunt.
Nec certus juvenum numerus, certusque maniplorum
Est olli: tenet hæc millenos, altera tantum
Sexcentos, bis mille viros hæc explicat, illa
Mille & quingentos. Peditatu plurimus acri
Hispanus pollet: quo se quoque jactat Eoi
Regnator: Germanus equo, fortisque Polonus,
Atque Scythæ, atque Arabes, Persæq; & Medus, & Indus.
Gallica sed pubes hoc tempore dives utroque est.
Tu Cæsar venture, omnem qui legibus Orbem
Submittes Latiis, primusque insigne trophæum
Post reduces fasces Capitoli in sede locabis,
Hæc sequere, ex adytis Phœbi, Martisque recessu
Quæ Vates sacro præmittit Olympicus œstro.
Sunt etenim potiora, meus ni fallit Apollo,

Quæ legio, & qui sit illius conflandæ modus.

Quo ordine procedat.

Novi pro legione ipsam Cohortem accipiunt.

Et

Et Mars horrisono stimulans præcordia bombo.
Et veteres plus moris habent, Veneranda vetustas
Semper erit, nova ni ratio, novus obstet & usus.
Perge, ubi centuriæ conscriptæ, unàque cohortes,
Et tota ex illis legio conflata, docere
Tirones Marti, quæ munia docendi, Tironem superest, quæ Martis munera, & acrem
Interdum ad pugnam sicca proludere arena.
Ipsius & quamquam Instructoris cura novellam
Militiæ ritus pubem, legesque monere:
Quique sit armorum potior certantibus usus,
Quàm varius, pugnæ quæque ars sit certa ferendæ
Extento in campo: vel cum se continet intus
Castrorum vallum, obsessave insurgit ab arte:
Qua juga, qua versus servans, versetur in hostem
Qua ruat adversum, sclopi qua dirigat ictum,
Vel qua fulminibus venientem distinet, & qua
Contrà irrumpentis pilo propulset equi vim.
Attamen emeritos (sic res felicior ibit)
Elegisse viros hæc ipsa ad munia præstat:
Exercere quibus tirones cura, novisque
Artibus imbuere, & sensim consuescere pugnis.
Sic doctos in bella viros, sic semper habebis
Fortes, & quocumque vocet Fortuna, paratos.
Et primùm magis exemplo, quam voce docendi
(Nam facilè exemplo quascumque addiscimus artes,
Abstrusæ quamvis illæ, multique laboris:
Difficilè & verbis comprendi cuncta magistro)
Tirones quo tela situ gestanda: paratus
Quo situ corporis, arma pro vario usu teneant. Si stet danda duci mandata capessere, sclopum
(Sclopiferos primùm instruimus) nisum super altam
Dextra tenet scapulam: sese curvante lacerto,
Contingat sic læva latus, promptissimus ire,
Instructor quocumque jubet, vel Præses: aheno
Innixus si fortè tubo requiescere mavult,
Admoveat tormenta solo crus inter utrumque
Erecta, palmis comprendat raucisonans os,
Molliter adnisus: si contra explodere in hostem
In promptu teneat, tantùm mandata jubentis
Expectans, utraque manu Vulcania tela
Sustineat: læva protensa scilicet, ipsam
Tormenti stringat psychen, dextraque retrorsum
Deducta tergum suffulciat: igniferumque
Funiculum læva, rapidum quo suscitet ignem,
Una habeat, tenues ut glans vibranda per auras,
Ante tibi nostro monstratum carmine. Sed jam

Ha-

Haſtatis poſitu quo longum haſtile tenendum,
Accipe: cùm campo ſteterit directus, in imo
Defigens haſtile ſolo ſubſtentet in auras
Erectum dextra: laterique incurva ſiniſtra
Incumbat: ſuper obliquum, ſi carpere juſſus
Eſt iter, impoſtum ſcapulæ, manus ipſa gubernet
Dextera: permixtim cuncti ſi forte ferantur,
Abſque jugo, verſuque, cadit cùm plurimus imber;
Aut ità cùm ſubiti caſus, inopinaque poſcunt
Juſſa ducis, tum dextra pedem complexa ſupremum,
Elatum ſublime gerat: torquere neceſſe
Si ſit, dextra habeat calcem robuſta, lacertum
Læva ſuper pilum ſubſtentet pectora juxtà:
Incurvique pedes multam vim pulſibus addant.
Tandem ſi denſo venientum turbine contra
Quadrupedùm in pectus vertenda haſtilia, dextro
Suppoſitum pili poſtremum vi pede preſſans
Obfirmet connixus humi, teneatque ſiniſtra
Demiſſum obliquè: capulum ſimul impigra ferri
Dextera ſtringat, opus ſi ſit, mora nulla, ſub auras
Eductura, ferum cùm certum cominus hoſtem
Excipere: incurvus ſtet crure, & corpore miles.

Quo & haſtati ſua arma geſtent, vario item pro munere.

Atque hic haſtati dicam, quæ tela: coruſcus
Enſis habet de more latus, dextra ardua longo
Haſtili armatur, bifida cui cuſpide ferrum,
Armeniaci veluti folium, figatur acutum.
Sit quatuor longum digitis, latumque duobus;
Haſtaque fraxineo tenuanda è robore: & una
Latior unciola tornatur: corpore fiat
Longa decem, quatuorque pedes: ſic eminus acrem
Propulſabit equum, & pedites teget objice longo.
Æratoque pedem cono præcingito; duræ
Ut figatur humo firmiſſima: robore pilum
Fraxineo pariter formatur, cuſpide ferrea.
Quæ minor, & ſit ſtricta magis: ſit & haſta minori
Corpore: nimirum pedibus prælonga novenis.

Quæ haſtati tela, & ut haſta elaboretur.

At non prætercam, quod, Dux, advertere multum eſt;
Ne pueri breviora ferant haſtilia, trunco
Vel fragili tenuata nimis, vel cuſpide obeſa:
Nil etenim prodeſſe queunt certamine equeſtri.
Nam nihil ingentemq; animum, & vim frangit equorum,
Quam ferrum, pungens ubi cuſpide pectus acuta
Excipit adventantem. Eſt hæc natura ſuperbi,
Ac bellacis equi; flagrantem turbine multo
Non ignem, glandeſque timet, non fulmina bombis

Cavendum ne milites curta ferant haſtilia.

Emissa horrisonis: nec totus sanguine tinctus,
Vulnere nec crebro lacerus, magno impete cœptum
Interrumpit iter: verùm se pungi ubi ferro
Senserit, extemplo trepida formidine pulsus,
Præcipitem sistit cursum, mirabile visu!
Et pavet, & timet, & nullis calcaribus ultra
Urgetur: tantus tenui de cuspide terror.

Timet Equs hastæ cuspidem,

Præterea, jacta noceat ne ferrea glande
Fistula, lorica juvenes cingantur ahena;
Aut tunica, duris consuta è pellibus alces:
Et galea breviore caput, vultusque tegatur.

Hinc & digressus, teneat quæ cætera tiro
Munia sint, nostro contendam carmine: & illa
Ut facilè evaleat condiscere, prima canenti
Cura sit, instructæ partes monstrare cohortis.
Quæ quoniam sclopis unà conflatur, & hastis;
Idcircò ternas in partes tota secatur,
Ex his una viris armatis obtigit hastis;
Sclopiferis geminæ, medium tenet illa phalangis:
Hæ verò geminum complent latus; ordine prima
Linea, frons, caput, & facies quoque dicta cohortis;
Atque jugum princeps Romano nomine; totum
Electo quoniam, & veterano è milite constat.
Est, animis attende, (1) jugum, qui dicitur ordo
Romanis pariter, series extenta virorum,
Quæ latere à dextro procurrit ad usque sinistrum;
At versus series, quæ prima à fronte recedit
In tergus. Verùm quoniam sunt sex jugi tantùm
Agminis; idcirco numero qui tertius ordo est,
Concludens medium nostris cognomine dictus.
At medium dixere jugum, qui proximus ordo,
Et quartus numero est; claudens prostremus, & Ura
Grajugenis quondam, Romano nomine Tergus.
Qui dextra versus prior est, ille agminis ala
Dextra: sed in læva qui stat prior, ala sinistra;
Instructæ pariter quæ cornua dicta cohortis.

Quæ sint partes Cohortis docendi Tirones.

Cohortis partes graphicè explicantur.

Insuper his, quamquam mos sit conflare phalangem
Sex tantùm ordinibus: tamen, est si plurima pubes
Bellantum, ex octo facies: ipsoque virorum
Pro numero, fas est alios adjungere versus.
Quos quadragenis nunquam compone minores,
Semper & æquali cuncti discrimine distent

Quæ passim sex ordinibus conflantur, & si plurima etiam ex octo.

Sese

(1) *Fila* audit Italis, Gallis *Rang*.

Sese inter: simul & spatiis æqualibus ipsa
Excurrant juga directùm: nec longiùs unquam
Conveniant producta: sciatque insistere eodem
In versu miles, casu quocumque cohortem,
Seu sit opus totam, seu partem vertier unam.
Idque Instructores præstabunt, agmina circùm
Dum cursant, omnes & ponunt ordine turmas.
Sed quæ sit versus inter distantia, tiro
Ediscat; servare locum quo possit: & ipsa
Tota cohors instructa arvis consistat in unguem:
Pulchra velut textura: sed hæc distantia semper
Non una: ut structi pariter non agminis una
Conditio, campique situs non unus: & ipsa
Non eadem semper miscendæ occasio pugnæ.
Si Consul cunctas acies, atque omnia lustrat
Agmina, sive novis pueri exercentur in armis,
Fac pedibus distent senis juga singula: versus
Ter, quatuorve inter sese, non amplius, absint.
Ænea si contra juvenes inimica tremendis
Tormenta inclamant bombis, & fulmina vibrant,
Ordo quisque pedem, sed versus quisque recedat
Undenos: magnum nam sic per inane recurrent
Bellantum sine cæde pilæ: si fervida signis
Collatis sit pugna, manus & comminus ipsi
Conseruere simul pedites, tum versibus una,
Atque una ordinibus detur distantia, terni
Nempè pedes, quatuorve: acrem si pugnat equorum
Vim contra peditatus, erit distantia tantùm
Quattuor in versus. Dum Mars tonat ære tremendo,
Conflictuque inito, fervent iræque, necesque,
Bellantes, qui forte locum tenuere priorem,
Ignivomo ut primùm glandem intorsere metallo,
Ilicet extremum versentur in agmen: ut æra
Letiferis onerent iterum, globuloque, nitroque:
Rursus &, ut factum signum est, jaculentur in hostem.
Utque agiles possint confestim extrema tenere,
Ordine servato, sua per discrimina cuncti,
Quæ series inter spatia interposta recurrant.
Quique jugo intereà perstabant ante secundo.
Tum frontem sortiti, accenso pulvere, rauca
Explodant tormenta; modoque recedere eodem
Per versus medios conentur: ut ignea rursus
Ipsi etiam in vacuas protrudant semina cannas.
Atque hìc Instructoris erit non ultima cura,
Sic cunctos certo spatio disponere versus,

Quæ inter versus ducenda intercapedo.

Quæ pro vario usu variatur.

In conflictu, qui primi sclopos exploserunt recedant retrò, ut iterum onerent.

Ut via militibus pateat secura; supremum
Dum repetunt agmen: certetque reducere eosdem
Illicet, inque aciem primo servare tenore.
Et ne tirones trepidi formidine pugnæ,
Pertubent versus, caveat solertior: etsi
Fortè jugum, versusque aliquis dissolvitur, ipse
Corrigat errorem, & seriem citus integret illam.
His animadversis, sequitur postrema Decanos
Cura, vel Emeritos hæc ipsa ad munera lectos,
Qui sint militiæ mores, quæ jura docere
Tirones: positu quo scilicet arma gerenda,
Quove modo: & melior qui sit certantibus usus
Ipso in conflictu: quæque intervalla tenenda.
Insuper ad socios, qui sit respectus habendus.
Quin propriis tiro dum stat succinctus in armis,
Ut pes intersit spatii talum inter utrumque.
Inque situ tali doceat convertere sese
Ad lævam, dextramve; citumque ad jussa sinistro
Se pede, quò jussum fuerit rectore, movere:
Mox pede, præcipiet cum dux, se vertere eodem.
His super, edoceat, dum latis ordine campis
Agmen it, erecto procedat corpore: & altos
Rectà humeros, scapulasque gerat, spectetque sodalem;
Ut versus, rectusque omnis se porrigat ordo,
Sicque instructa phalanx paribus formosior armis
Terribilis stabit campo, & secura triumphi.
Illum etiam retinere situm, doceatur, eisdem
Sive immota locis acies stet firma, calentem
Seu pugnam ciet instructa legione; premitve
Ruptis signa tetrò referentem versibus hostem.
Et tandem, (paucis complectar ut omnia) curam,
Atque operam solers impendat, ut, agmine structo,
Seu moto, rectà semper consistat in illo,
Quo primùm steterit versuve, jugove: neque unquam
In latus hàc, illac se porrigat: ipsaque retro
Pectora, neve ante ordinibus dimota relictis,
Inclinent sese: sua sed discrimina servent.
Robur enim totum, & structæ decus omne cohortis
Martius est ordo, quo rectè armata refulget
Pugnam initura. Chori ceu pulchri gratia tota est,
Promeritam ex omni laudem latura theatro;
Cum qui saltando choreas per mutua nectunt;
Ad numerum glomerant gressus: & eunt, redeuntque
Orbibus implexis, intricatosque feruntur,
Per gyros habiles, spatiisque rotantur eisdem.

Decani belli munera Tyrones doceant.

Acies instructa uti Chorus, cujus laus est respondentium ad legem numerorum, & saltus, & voces.

Se

Se nunc involvunt permixti erroribus, & nunc
Ilicet extricant: nunc & variante figuras
Designant cœtu varias, mirabile visu!
Quisque locum servare suum studet impiger, & se
Per certos passus, & per discrimina certa
Versat, agens gyrum: & saltus retinere tenorem
Nititur: atque manus agilis simul excipit, & dat.
Itque, reditque: pedes præscripta lege magistro,
Attollit paribus numeris, quibus alter eodem
Momento modulis respondens surrigit; unà
Miscentes choreas: simul & sua corpora flectunt
Unà omnes nexi per mutua: sicque decorem,
Atque venustatem festivis saltibus addunt.
Gaudia sic populo poterunt præbere: faventi,
Murmure sic ipsi laudes, & dona mereri:
Si contra nullo percurrant ordine, & extra
Exiliant sine lege chorum, numerisque relictis,
Hac, illacque vagi choreas, & carmina jactent,
Ridiculi risum referent, turpesque cachinnos.

Sed jam me rauco bellacia tympana cantu
In pugnas, inque arma vocant, hostemque lacessunt,
Alternis percussa: sono latè obstrepit aër:
Atque repercussa ex alto vox bella reclamat.
Quos equidem variosque sonos, quæ Martia & illis
Dentur signa viris, multum cognoscere refert
Tirones; varii nimirum jussa Magistri
Accipere ut valeant, subitique facessere: nostro
Idcirco teneant variantia murmura versu,
Quidque illis fieri dux imperet: ò age, Musa,
Carmine dicamus, quæ Martia tympana, quique
Et quàm sint varii cantus, quos verbere certo
Emittunt pulsata: ipsam pulsoris & artem,
Qua vario appellet cantu ad sua munia pubem.
Sed tamen ante modum, quo fiant tympana, disce.
Castanea è tenui vacuam compingère capsam,
Inque styli morem conabere; ut intus inanem
In gyrum allisus tremet aër verbere pulsus;
Et varias reddant vocalia tympana voces,
Est etenim sonus, & tenues quæcumque per auras
Vox delapsa, fugax tremula formidine motus
Aëris undanti similis, similisque trementi,
Dum cursat per dura, per aspera: & incitus ista
Argutus ratione venit: vocalis & aura
Crispante, emittit diversas murmure voces:
Sunt diversa velut resonantia corpora forma,

Quæ Tympana, & ad quos usus in castris, ac pugna construendi, pulsandique ars docetur.

Quid sit sonus, & quomodo propagetur?

Per

Per quæ continuò saliens fugit, & vagus undat.
Idcirco bovis exuviis, utrimque tegatur
Os capsæ; quoniam pellis magis apta tremori
Aëris est: verùm valeat nunc stringier, & nunc
Laxari: ceu fila fidis revocantur ad unum,
Plurima funiculis transversum utrimque ligetur:
Qui super exuvias extentas, undique firment.
At virgas, pulsata quibus dant tympana cantum,
Sive pyro facies, ebenove, aut (1) robore ab Indis,
A quibus advehitur, nomen fecere Latini.
Materies olli durissima, quæque tremorem
Sit potis elicere, & percussa à pelle ciere,
Ut variant ipsi, variantia murmura, pulsus.
Ter quinis longæ digitis sint corpore: latæ
Unciola minus; & tornatilis utraque: vertex
Crassior, ut conus truncato culmine, fiat.
Sollicitata modis, sed quotquot murmura miris
Castra per, & turres bellacia tympana mittant,
Accipies facilè exemplo pulsator: & omnem
Addisces artem pulsando: carmine cuncta
Haud equidem possunt comprendi. Verùm age, tiro,
Quàm varii cantus inducti more minorum,
Usus quosque petit, dicamus. Primus Eous
Surgit ab Oceano cùm Lucifer: ille juventam
Admonet è stratis consurgere, protinus & se
Flectere humum, meritasque Deo persolvere grates;
Cujus ad id tempus servata est munere vita.
Qui sequitur, pubi cantus cùm castra movenda,
Edicit: pelago nimirum prima coruscis
Cùm surgens radiis Aurora retexerit orbem,
Ad sua signa vagos celerato tertius accit
Pugnantes sonitu: simul &, jam fasce parato,
Promptus quisque viam stet carpere. Quartus in illam
Sese continuò mandat committere. Quintus
Tollere signa jubet, gressusque intendere in hostem.
Martius hic pariter, qui explodi fulmina, & acres
Imperat accendi pugnas. Hic suscitat iras,
Irritatque animos, & prælia murmure rauco
Cruda fovet, viresque novas certantibus addit.
Hic verò ardentes procedere longiùs iras,
Vibrarique vetat glandes, & continuò se
E pugna revocare. Hilaris fert nuncia pacis

Hic

Fiunt ex pelle, quia ad tremorem aptior.

Quomodo virgæ pulsoriæ conficiantur.

Qui varii pro vario usu Tympanorum soni.

(1) *Canne d' India.*

Hic alter, valloque hostes compellat, amicis
Et fatur verbis: suadetque extrema caventes,
Victori ut fractis concedant mœnibus urbem,
Et dedant sese: vel saltem tempore certo
Inducias miti malint victore pacisci:
Ut sic intereà videant de pacis honesta
Conditione, petantve locum, vel tempus humandis
Militibus pugna cæsis de more vetusto.
Est tandem nova, qui præfert mandata Magistri
Per pubem vulganda. Mihi sed pandite, Musæ,
Qui primùm doctus bellaci murmure pugnas
Urgere, atque animos pugnantibus indere cantu?
Haud equidem vos ista, Deæ, latuisse putandum est.
Ergo agite, & vestro faciles succurrite Vati:
Atque antiqua, novo si fas cognoscier œstro,
Inspirate animis, operique accedite tanto.
At quoniam Heroo (Vati sic Musa canenti
Commemorat) fuit ille tuo de sanguine cretus,
VINCENTI, Latio qui dudum insignis in ostro
Romuleos inter Patres, sanctumque Senatum
Non pietate nites minor, & virtute decora:
Ut tituli, regale genus, sacra purpura, mitra,
Sint animi dotes, infra, præclaraque facta:
Huc ades, & tantis facilis, precor, annue cœptis:
Parthenioque novum Vati da carminis œstrum.
Quippe soles nonnumquam illum auscultare benigno
Numine cantantem, plausuque ornare decoro.
Tempestate illa, qua conjuraverat omnis
Extera in Ausoniam circùm gens accola, aviti
Invidia Imperii flagrans, odiisque malignis.
Hinc &, Penninis perruptis Alpibus, illinc
Pannonicis magno veniens gens agmine, latos
Obtegit Italiæ campos, atque omnia fædat
Cædibus, involuit flammis, turpatque rapinis.
Tantum animos valet invidia irritare furentes.
Ceu verno cùm Sole nives solvuntur in altis
Alpibus, & latè largis torrentibus undant:
Tum Padus ingenti consurgens flumine, ripas
Exuperat victor, latosque effusus in agros,
Aggreditur sata cuncta, inimico & demetit imbre.
Et pecus omne trahit, dejectis undique caulis;
Atque casas, villasque ferox, quercetaque vastat:
Diluvio & vix tutæ arces, vix oppida tanto.
Tantus inest furor Eridano, vis tanta tumenti.
Nempè animos centum faciunt, quos excipit, amnes.

De prima Tympanorum inventione lepida Authoris fabella.

Barbarorum in Italiam irruptio.

Pri-

Primi qui patriæ pro libertate cadentis;
Quibus se primum Veneti opposuerunt.
Tot contra immanes consurrexere catervas
Cum Veneris circùm gentes, urbesque fuere.
Heroum Veneti soboles, factisque superbi,
Qui dextra, magnisque animis, & mente capaci,
Antiquum decus imperii tenuere tot inter
Diversos rerum casus, sortisque malignæ,
Arbitriumque, vicesque, & non constantia Fata.
Ergo omnes uno connexi fœdere in arma
Assurgunt, bellumque parant, atque omnibus unus
Ursinides plausu Consul concorde creatur.
Ursinides Marti charus, laudisque decoræ,
Pugnatur, sed adverso Marte.
Et vir amans equi, prisco vir tempore dignus;
Et dignus Fatis melioribus. Ergo ubi campo
Direxere aciem, & lævato splendida ferro
Spicula, & adverso micuerunt Sole bipennes,
Haud mora conseritur mistis pugna aspera signis.
Viribus & magnis, animisque interrita pubes
Certaret quamvis OEnotria, sors tamen olli
Obstitit, immensis & inundans Barbarus undis.
Tum dux Ursinides, cui quantum pectore robur,
Tanta erat expertæ toties prudentia menti,
Præsenti duxit Fortunæ cedere, nec se,
Nec totam sorti pubem objectare malignæ.
Sæpè vices rerum mutantur tempore: & ipsa
Tempore se, varium semper, Fortuna remittit.
Quin & sæpè homines corrupti sorte secunda.
Spontè sua absistunt cœptis, torpentque supini.
Dux salvis copiis Patavium se recipit.
Bellantes igitur non æquo Marte Latinos
Colligit extemplo, ducitque Antenoris arcem:
Ostentans hosti frontem, ferrumque coruscum.
Ille citus sua castra movet victricia, & arcto
Obsidio obvallat spatiosi celsa Patavi
Mœnia, tormentis & centum verberat æreis.
Et jam per latos murorum irrumpere hiatus
Tenebat: contra se tota opponere pube
Ursinides olli certabat: at illa repentè
Cumque ab hoste premeretur, Bellonam invocat.
Insolito perculsa metu torpebat: acuti
Nec litui in promptu, nec cornua rauca, tubæque
(Exciderant namque illa manu certamine lævo)
Quæ segnes possent animos accendere cantu.
Tum Consul geminas tendens ad sydera palmas,
Bellonam alloquitur supplex, & talia fatur:
O adsis, precor, è cœlo Dea Martia, belli
Quæ præses, nostroque volens succurre labori.

Sem-

Semper & Ausoniæ, & regni si cura Latini,
Diva, tibi fuit, & dextra tegis ardua Romam;
Præsentem fer opem, & subita formidine captos
Tu, precor, ò animos irrita in prælia: signum
Fac prima, & dio trepidantes erige cantu.
Vix hæc, cum leva intonuit de parte coruscus
Æther, & nubes inter lux clara refulsit,
Mox Dea terribilis visa est descendere, dextra
Inventum deferre novum, cava tympana, leva
Tornatas sublustri ebeno perstringere virgas.
Hinc ubi suprema Virgo superastitit arce,
Confestim nitidis nova virgis tympana cœpit
Sollicitare modis bellacibus: ilicet ardor
Est ingens animis divino murmure factus.
Atque sua jam sponte ruunt in prælia: & acri
Obsistunt virtute, hostemque è mœnibus arcent.
Usque adeo pia vota cadunt numquam irrita: & ingens
Nulla adeo res est, quam non felicibus ausis
Efficiant homines, Superis ductoribus: illis
Nempè nihil terris, nihil insuperabile cœlo est.

Adest è cœlo Dea, ac novis Tympanis cœpit militum animos excitare, illi alacres pugnant, & victoria potiuntur.

At Pallas, postquam victoria parta Latinis,
Arce super summa cum virgis tympana liquit,
Et rapidum veluti fulmen fulgore coruscum,
Arripuit cursum, & nubi se immiscuit albæ.
Tum Dux Ursinides demisso poplite supplex,
His divam insequitur tendentem ad sydera: Grates
Quis tibi nunc meritas tanto pro munere solvat,
O victrix Bellona? tuo victoria nobis
Præsidio concessa: tuo stant numine salvæ
Res Italûm: stabunt ventura in sęcula: quando
Tu præses regni, tu custos, diva, Latini.
Auspiciis hæc, dia, tuis, quæ ex hoste superbo
Exuviæ nobis partæ, delubra feremus
In tua: marmoreasque fores ornabimus istis.
At nova quæ belli nobis inventa dedisti,
Illa Palatina figemus in arce, triumphi
Concessi quæ semper ibi monimenta manebunt.
Quin etiam, ut nostri discant tua dona nepotes,
Pugnaci incipient post hac nova tympana cantu
Pubi signa dare, & pugnam inflammare pedestrem.

Dux Divæ gratias agit, & nova Tympana à Dea arce relicta, ut trophæa templi foribus præfigit.

Hæc dedit, & magna iuvenum comitante caterva,
Vota soluturus petiit delubra Minervæ.



BELLICORUM
LIBER QUARTUS.

SED jam difficiles artes exponere versu,
Subsequitur, magnus labor: insuetumque canenti
Carpere stat cursum per dura, & confraga, nulli
Quà triti calles, vestigia nulla priorum
Occurrunt: rupes tantum, & dumeta rigescunt.
Non aliter sacrum quando superare cacumen,
Clara triumphales ubi frondes explicat arbos,
Concessum: parvo quoniam non illa labore,
Triumphalis multo labore quærenda est laurus.
Non vili venit pretio: sed plurima nisu,
Plurima sudore inquirenda, & sanguine multo est.
At quia non tantæ mihi sunt ad carmina vires:
Ardua nec duri conscendere culmina Martis,
Carpere nec laurum facile est, ductore sine ullo;
Bellipotens, tu Virgo, viæ fidissima Vati
Dux esto: tu Musa sacrum da carminis œstrum:
Virginem invocat, eiq; hostium exuvias spondet.
Difficiles tu pande aditus, tu sterne malignos
Per sentes iter, audacesque per avia pennas
Suffice: tuque acrem bellacibus instrue pubem
Ordinibus; numerisque suis expone cohortes:
Ipsa & dux aciem campo moderare potenti
Dextera: & instructam pugna, Dea, dirige: & ipsa
Insignes, quando potis es, largire triumphos.
Nos tibi devictis erepta ex hostibus arma,
Auspice te, præclara tuo donaria templo
Figemus, mansura ævo monumenta futuro.
Quin etiam grandi tollemus mole colossos,
Qui te pugnaci miscentem prælia dextra,

Et

Et fusos referant hostes: ipsumque Tyrannum
Se pedibus curvare tuis faciemus Eoi,
Et tibi, vi quondam raptos, submittere fasces.
Ergo age, per calles si corripienda malignos
Semita, dux adsis properanti, & numine firma
Diva, tuo: veniam fastigia tutus ad illa,
Te præeunte, sacroque legam de vertice laurum.
Principio, nobis quoniam certantibus arte,
Inventisque novis, pugna non tantus acuti
Est ferri, quantus plumbi jaculabilis usus:
Nec tantùm lævata volant hastilia, quantùm
Fulmina, militibus certas portantia mortes.
Idcircò docti solertia tota magistri
Ordinibus pubem certis, omnemque cohortem
Instruere, & latis legionem exponere campis,
Ut sese juvenes agiles evoluere possint:
Inque has nunc valeant, nunc illas ire figuras;
Rectiùs ut jaciant glandes, hostemque trucident:
Seque simul docta defendant ictibus arte.
At ternis instructa modis versare juventus
Se campis valet extentis, Prætore jubente.
Nàm nihil in pugna injussu Prætoris agendum est.
Primus hic, est acies si fortè augenda, repentes
Cùm casus, positusque loci deposcit iniqui.
Est autem, ut, tiro, teneas, augere phalangem,
Ordinibus cùm de geminis conflabitur unus,
Unus vel geminis è versibus: Accipe sed, dux,
Quando augenda cohors; numero cùm plurimus aucto
In frontem ruit, aut inopina fraude vereris
A tergo circumventum ne te opprimat armis
Adversarius acer, agatque impunè tremendam
Ordinibus cladem versis: aut ipse cohortem
Rumpere in hostilem simili meditaberis astu.
Immissis augere jugis juga nitere, longa
Ut fronte excipias hostem, & compluribus armis.
At latus invadi si fors præsenseris; ipse
Robore vel multo bellantum invadere tentas,
Illud protendi gemino tum præcipe versu.
Insuper, angustum si non latus agminis arvum
Accipit, ut latè sese frons explicet: illam
Si non æquus ager capiat, latus ipse jubeto
Augeat ut pubes. Positu si pugna ferenda
Sit tali, potius, me tunc auctore, cohortem,
Haud equidem fallere, jube convertier omnem
Illicet, & frontem veteranam opponier hosti.

Ars præcipua Magistri in cápis ita cohortes instruere, ut facilè juvenes se omnes vertere in partes possint.

Quid sit cohortem augere, & quando augenda.

Quando invertenda sit acies.

Sic ſtando pugnant juvenes, ſic ſufficit amplæ
Telluris ſitus, evaleat ſe flectere ut omnis
Structa phalanx: ſic ordo prior, ſic forma manebit:
Et primi, lectique manus conferre priores,
In latus & poterunt hoſtile irrumpere primi,
Impete congreſſi valido, ſtragemque ciere.
Aſt acies augenda quibus, præcepta priùsquam
Tradamus, dic, Muſa, modum, quo Stuctor in ęquor
E pueris quadrum bellacibus explicet agmen.
Namque tuas implorat opes res ardua: tuque
Tattica quæ fuerit lex præſcribenda magiſtris,
Diſſere, & è cæcis ambagibus erue Vatem.

Quomodo quadrata acies inſtruenda.

Et primùm è numero, Structor, conflanda quadrato
Bellantum ſi fortè cohors, legem accipe, paucis
Expediam. Juvenes quingentos ære nitentes
(Ardua ab exemplo fiat res planior) omnis
Contineat ſtipata phalanx: ſubducito ab illo
Radicem numero (quadratam nomine dicunt)
Viginti dabit, & binos inventa: ſuperſunt
Qui ſex, quique decem, falces ſervare jubebis.
Mox juga tu totidem, totidemque ex ordine verſus
Expones juvenum: ſic campo inſtructa nitebit
Quadra cohors, agri ſed quantum poſtulet illa
Emenſi ſpatium, tali venaberis arte:

Quantum agri ſpatium petat quadrata acies.

Sub ter duc numerum (pedibus quot ſcilicet inter
Se diſtant juvenes perſtantes ordine in uno)
Agminis inventum: nam ſic conflata docebit
Summa locum, poſitu quem frons extenta tenebit.
Senos nempè pedes, & ſexaginta. Sed arvi
Agminis inſtructi quantum latus implet utrumque
Sic perquire: pedum quoniam diſtantia ſeptem
Eſt inter humeros, & pectora belligerantum;
(Quot juga nimirum fugiunt ſe ſingula) ſeptem
Ergo bis undecies ſubducito: quique reſurgit
Ex illis numerus, dabit intervalla, phalangis
Quæ ſtructæ latus explebit: confecta quaternos
Quadraginta pedes ſupra, centumque creabit:
Quod latus extentæ procurret utrumque cohortis.
At ſi fors acies agro ponenda quadrato,
Inter ubi pedites nimirum fervida pugna
Conferitur (præſtat nam tum producere frontem;
Acrior ut magis in certamina ſurgat, & hoſtes

Ars exponendi quadratam aciem quadrato in agro.

Seu ſtent, ſive ruant: conatu proterat acri)
Vel ſitus id campi poſcat, caſusve, teneto.
Quingentos triginta phalanx ærata virorum

Cor-

Corpora belligerùm in Mavortia prælia ductet:
Hunc ter ſub numerum primò duc arte: creatur
Quique hinc, in ſeptem mox divide: nec mora quadram
E quotiente dato radicem ſubtrahe: quinos
Ter dabit illa tibi, benè ſi ſubducta, relictis
Fragmentis numeri, ſumma quæ ſæpè ſuperſunt.
Quindenos igitur bellantes ſinguli habebunt
Quadrati verſus: habeat quot quilibet ordo,
Hoc ſcrutare modo: numerum partire cohortis
Nuper in inventum: qui mox emerſerit, ille
Quot ſint quoque jugo juvenes de more locandi,
Oſtendet tibi certus: erunt, ſi lege peractum eſt,
Quinque, & triginta: supereſt quæ cætera turba
Subducto è numero, ſociorum ad vaſa manebit.
Verùm mira tibi numerorum arcana, magiſter,
Si certò pateant (divina inſtructus ab arte
Sis, Rector, ſi pulchra tibi victoria cordi eſt.
Quandoquidem ſi ritè ſuis inſtructa maniplis
Stet campis armata acies, certiſſima palmæ
Spes erit, egregiis modò Mavors annuat auſis)
Quot verſus juvenes, & quot juga ſingula poſcunt,
Aurea monſtrabit tibi regula: plurima rerum,
Quæ penitùs ſepoſta latent, nec cognita vulgo
Nec noſcenda unquam, licet expetat illa tenere,
Unis clara aperit, præbetque videnda diſertis.
Difficiles ſolvit nodos, perque invia, cæcaſque
Ambages inſternit iter; divina vocari
Ut merito valeat, numeris oracula reddens.
Si tria, dic igitur, quingentos fronte repoſtos,
Et triginta viros dant ordine, quod mihi ſeptem
Cocedent verſu? ſummam ſi ritè putaſti,
Dat ratio numerum, quo radix eruta, quinque
Et triginta dabit juvenes, qui principe figant
Ordine ſe: dic præterea (pars altera quando
Veſtiganda ſubit) ſi dant ex ordine ſeptem
Quingentos triginta viros, qui verſibus inſint,
Quot tria fronte dabunt? ſubducto detrahe, Tecton,
Radicem numero: terquinos illa docebit
Quoque tibi verſu bellantes eſſe locandos.
His ſuper, oblongum ſi latus agmen in arvis
Sit tibi ponendum: nimirum ut fortiùs hoſtem
Fronte petat valida, & crebam ferat igne ruinam:
Sive irrumpentem lethali grandinis imbre
Propulſare velis, in ſeptem divide primos:
Qui venit hinc numerus, biſſenos ordine verſus

Numerorum artem teneant Inſtructores: & præcipuè Auream, ut ajunt, regulam, ità enim facilè cohortes in omnes figuras explicabunt.

Quando oblonga acies conſtanda.

Pu-

Pugnantum lateri ſigendos dicet utrique.
Non ſecus è numero, quem verſus continet ordo
Naſcitur: Actutum verò geminare cohortem,
Seu juga, ſeu verſus, immiſſis verſibus, auges,
Inſequitur; legem non multis accipe: Primùm
In geminas numerum bellantum divide partes,
Extrahe & ex una radicem: quique revulſa
Prodit eà, numerus, verſus dabit, & dabit idem,
Si geminus fiat, juvenes, quos ordine pones.
Id quoque non multis potis es cognoſcere, Tecton,
Aurea ſi ratio numeris adhibetur in illis:
Et per Auream regulam perquam facilè fiet.
Ergo (tibi pateat res ipſo clarior uſu)
Si duo dant quatuor, quotnam, ratione putata,
Octingena? (viros tot complectatur in armis
Ingeminanda cohors) ſexcenta, & mille recludet
Summa tibi ſubducta: quibus mox eruta radix
Quadraginta feret: quot quisquis ſcilicet ordo
Militibus conſtabit: & hinc quot verſus habebit,
Ipſa dabit, numerum radix diſſecta per æquum.
His & digreſſus ſpatiis, geminare phalangem,
Ordine dum poſito ſtat campo inſtructa, docebo.
Si primùm anterius, dextraque augenda, jubeto,
Ordine qui juvenes ſe præfixere ſecundo,
Traditur modus aciem geminandi.
Unà omnes ſubiti in primum lævo pede pergant,
Et ſocios inter ſe ſiſtant ordine eodem:
Dextra incœptantes ſpatia interjecta replere.
Non aliter quarto qui miles in ordine perſtat,
In præcedentem, qui tertius, inferat: inter
Seque locet ſocios: juvenum ſic cætera turba
Extemplò faciet: ſi læva armata frequentans,
Dux, juga, fac pueri incipiant ſe ſiſtere læva.
Aſt acies poſitu ſi ſit reddenda priori,
Reſtituat ſe quisque ſuæ, tum præcipe, ſedi.
Perge, priora tibi juga ſint implenda: ſuprema
Tunc media ex acie jubeas deſcendere frontem
Modus extendendæ cohortis.
Confeſtim in primam, totidemque augere priora.
Sic juga ſena phalanx quæ laxior ante tenebat,
Nunc tria: ſed quisquis geminatos explicat ordo
Bellantes. Binas agmen ſi Structor, in alas
Vis conferre ſimul, ſimul & diffindere; quotquot
Armigeri juga quæque tenent poſtrema; ſiniſtram
Præcipias, dextramque pari decedere cœtu:
Atque juga, atque ipſos ſervantes ordine verſus.
At reliqui immoti conſiſtant ſedibus iiſdem.
Sic extenta acies utrimque, ferocius, alas,

Exci-

Excipiet latus hostes incursare parantes.
Verùm si versus, immissis versibus (agmen
Ut laxis veluti compagibus occupet æquor)
Fortè frequentandi (Facies id mœnia circùm
Hostica dum juvenes carpunt iter, intonat aut æs
Suggestu ex alto: cui contra objecta juventus
Æquore stat: rauco sic fulmina torta metallo,
Non tantas per crebra ferent incendia strages)
Disce modum: Primo qui dextra è parte cohortis
Insistunt versu, si vis augere sinistra,
Ilicet in versum certent properare secundum:
Qui terno, in quartum veniant: pariterque subibit
Sextum, quæ pubes quintum stipata jugabat.
Atque inter sociùm vacua intervalla locent se.
Sic acies geminata latus consistet in unguem.
Perge, age, restat adhuc salebrosa per avia cursus
Plurimus, & stimulis urget Bellona decoris.
Anteriore phalanx si parte augenda (per arctum
Cùm tentanda via est; aut stricti semita pontis
Transmittenda) tenet versum quæ prima sinistrum,
Ilicet ante ferat sese gens tota secundum;
Ut sic ille duplo procurrat longior: ante
Tertius inde dato se collocet ordine quartum.
Non secus & reliqui facient: angusta subibit
Sic acies conferta, brevemque citissima pontem
Exsuperabit: agrum mox & laxata replebit.
Et subitò laxare potes, si quisque recurrat
Versus, ubi primò steterat. Sed protinus alter
Jam modus ingreditur, campo quo structa patenti,
Res ubi, continuò possit se evolvere pubes,
Nimirum duplex inversio: prima per omnes
Fit versus, juvenes cùm pectora, fronte relicta,
In tergus flectunt, totusque invertitur ordo.
Id facies, Prætor, cùm dorsum invadere tentat
Hostis; ut irrumpens magnas inferre ruinas
Evaleat: contra mutatis versibus olli
Opponas conversa virùm tu pectora: & acri
Sic fraudem potis ingenio deludere: tales
Instruere ipse dolos si fors meditare: locatam
Sed qua præcipies pectus convertere pubem,
Arte, canam: cuncti fac se versentque, jugentque
Seu dextra incipiant versari, sive sinistra:
Ut sit tergus, ubi steterat priùs horribilis frons.
Inque jugis pueri insistant, & versibus iisdem.
Hoc solum discrimen erit, postrema Decani

Con-

Et laxandæ ut minùs ictibus sit obnoxia.

Quomodo acies extendenda, cùm per angustos aditus progreditur.

Acies qua ratione invertatur, & quot modis fiat conversio, & ob quas rationes.
Prima.

Concludent ſpatia, atque Uragi prima tenebunt.
Qui medium tenuere jugum, cognomina ſervant.
Attamen hinc unus ſe verſus porriget, illinc
Decedet. Poſitu ſed jam reddenda priori
Eſt acies: quoniam detecto deſtitit aſtu
Hoſtis ab incœpto, ſeſeque in caſtra recepit.
Singuli, ut ante, modo verſus flectantur eodem
Præcipe, dux; acies iterum, nec plura, priorem
Verſa ſitum accipiet. Sed jam quibus altera fiat
Secunda. Artibus inſtructæ campis inverſio pubis,
Expediam. Cunctis hæc fit verſantibus unà
Ordinibus ſeſe, cùm qui tenuere ſiniſtrum
Succedent dextro: quique hoc latus ante jugabant,
In lævum juvenes integris verſibus ibunt.
Ergo ubi ſic pubem labor eſt convertere, dextrum
In latus, aut lævum confeſtim quilibet ordo
Verſabit ſeſe juvenum, ſcipione Magiſtri
Ollis cùm primi turmarum ſigna dederunt.
Id facies, latus expoſitæ mutare cohortis,
Cùm campi ſitus ipſe, dolusve inopinus adegit.
Hinc jam digreſſo, ſeſe nova ſemita Vati
Saxa per, & ſentes aperit: juvet ilicet illam
Corripere audaci niſu, totisque periclum
Viribus, atque animis perrumpere: ſit modò præſens,
Vel belli Mavors, vel carminis Author Apollo.
Callidus alterutrum ſi fors latus agminis hoſtis,
Ut ſecura magis ſit palma, invadere tentat:
Tum tibi continuò veteranam opponere frontem
Expedit, & ſpes illius deludere, & aſtus.
Atque hoſtile latus cùm meditare, cohorte
Converſa juvenum majori irrumpere niſu.
Ergo tibi certa qua tum ratione pedeſtris
Sic campo verſanda acies, latus ante ſiniſtrum
Sive ubi conſtiterat dextrum, ſit vividior frons,
Tertia converſio. Expediam facilè, ut potero; res ardua quamquam
Exponi verſu (modus hic & tertius arvo
Quo ſolet in lato ſeſe verſare juventus)
Ut ſtructum campo peditum ſtetit agmen, in unguem
Et juga cuncta ſuis ſpatiis ritè omnia quadrant,
Atque omnes quadrant verſus, tum præcipe, ut haſtas
Erectas dextro haſtati de more lacerto
Subſtentent agiles (id & illis ſemper agendum eſt,
Ab duce cùm juſſa eſt acies verſarier: atqui
In ſtatione manent, teneant tellure refixas)
Præcipe dein, verſent ſic ſe juga cuncta ſiniſtrum,

Ut

Ut Præstes primum qui dirigit ordine versum,
E læva tantùm se circumflectat (in illam
Si jussum versare plagam se protinus agmen)
Immotus dextra insistat: sed flectere tantùm
Se studeat, quantùm satis est signare quadrantem.
Hinc versans pariterque jugans se cætera turba,
Sic moveatur, agat sese ut velociùs ille,
Qui magis à primo removetur Præstite: longo
Ultimus at gyro, cursuque citatior ibit,
Frons ubi versata, loco responderit olli,
In quem spectabat rectà latus omne, priùsquam
Inciperet pubes inflectier omnis in orbem,
Tum versam jubeas subito se sistere gentem.
Non aliter quadrante foret versanda secundo
Si fors mota phalanx: fiat seu tertia circum
Actio, tota (1) jugans se gens, versansque movebit.
Ast omnes pueri, ut circum versentur in unguem,
Et juga directò, veluti convolvitur axis
Immotum circa medium, flectantur: oportet
Ante coactores consistant agminis alas,
Æquatosque regant motus: & si quis oberret:
Corripiant, subitque jugum concludere hiulcum
Adnitantur: erit simul omnibus unica semper
Cura jugi, versusque datum servare tenorem.
Ceu qui transmisso telam subtegmine texit,
Integra sint semper conatur licia: & inter
Texendum, si qui radius discinditur, illum
Ilicet integrat nodo· si secius omne
Intextum corrumpit opus. Sed per juga cursum
Mars citat incœptum, montesque impellit in altos.

Ars traditur muniendi pedestrem aciem contra Equitum incursus præcipuè apertis in locis.

Ergo cura duci non stat postrema phalangem
Sic ritè instruere, atque hastis munire, ruentum
Cornipedum ut queat insultus arcere, juganti
Cùm quadro irrumpunt, versantque frequentiùs omnem
Sese circùm aciem, crebrisque incursibus urgent.
Idque magis campo dum substitit undique aperto,
Nullus ubi rivus, quo se defendere: & altæ
Non hostem fossæ, non sepes densa moratur.
Fossile neve solum, subitum quo tollere vallum
Aggesto valeat: verùm omnis ab arte petenda

(1) Dicuntur milites, cum versando se, eosdem servent versus, jugantes, & versantes: *voltarsi sù le medesime fila*.

Sit tutela, ſalusque unis ſperetur ab armis,
Ergo prima tibi ſolertia habenda, coruſcis
Undique ſic circùm pilis vallare cohortem.
Ne qua patens celeri ſit pars obnoxia equorum
Aſſultu, toti veniet ſi ſecius illa
Parte malum: reliqui quamvis fortiſſima pubes,
Et quamquam ſtatione ſua obnixi teneant ſe.
Ceu cùm præcipiti montoſo à vertice torrens
Deſcendit lapſu, minitans campisque, ſatisque
Diluvium horrendum: cui contra altiſſimus agger,
Et ſolidus ſurgat, vim perfracturus aquarum,
Illius at vitio agricolæ ſi fortè labaſcat
Pars una, hàc torrens irrumpit victor, & omnem
Obruit alluvie campum, & ſata pinguia perdit.
Idcircò quadrata phalanx non apta: ruenti
Illius quando patet hoſti quisquis inermis
Angulus: extentæ quoniam ſunt in latus haſtæ,
Haud equidem poſſunt acies defendere: apertam
Namque aciem, versùs ſi miles porriget haſtam,
Nudabit latus: atque illac ſe protinus hoſtis
Inferet, inſternetque actutum impunè cohortem.
Noſtri igitur tali componunt arte, ruentem
Scilicet obtuſas acies ut vertat in hoſtem.
Ergo age jam, Tecton, artem doceare futuram
Difficilem: tamen exemplo, quod poſſumus, illam
Proclivem magis, & captu faciemus amicam.
Sint ſeptigenti bellantes agmine toto,
Vigintique unà, qui lenta haſtilia geſtent,
Primùm aciem ex illis hac tu ratione locabis:
Nimirum juvenes geſtantes ærea pila
Ut ſexaginta repleant juga ſingula, verſus
Bis ſex: inſtructum poſtquam ſic conſtitit agmen,
Præcipe tum ſenos dextra, totidemque ſiniſtra
Directas de more haſtas attollere verſus:
Sex itidemque alios utraque ex parte manentes
Intentis ſtatione animis inſiſtere eadem.
Hinc jubeas, qui recta tenent haſtilia, verſus
Verſibus immiſſis, infra, ſupraque ſequentes
Sex illos augere, animis qui ſcilicet aſtant
Attentis: duplo ſic major quælibet ibit
In longum ſeries, producto hinc tergore, & illinc
Fronte: ſed ipſa tamen numero juga cuncta virorum
Decreſcent: duodena prius, nunc ſena jugantur.
Sed properemus opus, ſtatione hærentibus iſtis,
Fac quotquot mediam verſus tenuere phalangem,

Prima cura, ut undique haſtis valletur.

Ars etſi difficilis explicatu, ſit tamen exemplo clara.

Pro-

Protinus attollant sua recta ad sydera pila:
Inde jugum medium, quæque insunt cætera dorso,
Ad dextram gemino sese versare quadrante
Præcipe: mox versis, unà procedere tantùm
Extemplo incipiat rursum, prorsumque juventus
Cuncta, tenet quæ pila suo sublata lacerto:
Sex juga nimirum supra, totidemque ferantur
Mox infra; ut quadrum sic describatur in arvo.
Continuò (celerare decet, citus imminet hostis,
Pulsus & hinnitu responsat lucus equorum)
Sex horum dextra versus, totidemque sinistra
Dimidio à dextra gyro flectantur, ut ora
Respectent mediam subito conversa cohortem.
Protinus hinc, tanto versùs discrimine centrum
Procedant, quantum satis est, postremus ut ordo
Quadrati totum sese latus inferat intus.
Nec mora, confestim dextra, lævaque jubeto
Versari, & tantùm anterius procedere, quantùm
Sat cum sex aliis directùm ut denique quadrent:
Et vacuum linquant agrum, quem nuper habebant.
Ast alæ quoniam geminæ, quæ, versibus auctis,
Principio crevere, arvo conversa patenti
Ora tenent, bis tu idcirco versarier illa
Præcipies: dextram petat hæc, petat illa sinistram.
Ut sic tota quadri convergat ad intima pubes.
Alarum hinc versus, qui sunt infraque, supraque
Præcipe confestim sese ante inferre: relictisque
Ilicet insidant spatiis: non segnius illi,
Qui medii, pariter procedant ordine eodem;
Ut laxi medium quadrati strictius arctent.
At properè insequitur labor ultimus, agminis octo
Quæ circùm extentas acies quadrata residunt,
Sexque jugis juvenum constantur, versibus & sex
(Hinc triginta viros, sexque amplectuntur in armis)
Singula in æquales partes transversa secare:
E quadro ut geminus sit deinde triangulus uno.
Ex quibus, hic propria statione insistat, hiulcum
Ille quod est campi vacuum, fac impleat: omnis
Sic obtusa cohors campis instructa nitebit.
Nempè acies octo, facies quæque induat octo:
Qua non contra equites magis aptior ulla figura est.
Sed jam sclopiferos instructum includere in agmen
Tempus, ut incursus valeant vitare sonantum
Cornipedum. Quingenta tibi, & triginta virorum
Et duo, sint capita, inque unam stipata cohortem:

Obtusa acies optima ad insultus equorū sustinendos.

Ut sclopiferi inter hastatos immittendi cum vitandus incursus equitum.

Quam juga bellantum conflent duodena: quaterni,
Atque quaterdeni versus: qui quattuor ultra
Exsuperant juvenes, stipent vexilla. Sed artem
Accipe jam: dextra bissenos suscipe versus:
Qui quoniam totidem pilatis versibus, unam
Qui turmam ex primis faciunt, & fronte reposta est,
Respondent numero, fac illos ante jugali
Ordine se figant, mora nulla subire quadratam
Inde aciem incipiant ea per discrimina, versus
Quæ sunt hastatos inter; retroque locentur.
Ut subiere, citus juga singula divide: dextram
Bis sex continuò in partem, reliquique sinistram
Post totidem pilata suis cum legibus ibunt:
Post hæc bis senos læva procedere versus;
Utque aciem primi, subeant non secius ipsi,
Præcipies, juga recta simul, versusque jugantes.
Postquam introgressi vacuum, subsistere retrò
Hastatos ibi sex:, totidemque ascendere supra.
Qui superant, aciem gyro fac duplice cingant,
His respondentes spatiis, quæ singula versus
Pilatos inter, veluti sectura, patescunt.
Tandem acie in media totum, quod restat inane,
Quadratum velut; accipiat quæcumque juventus
Circumfert secum, totumque ignobile vulgus
Lixarum. Cecidit sed jam conatus inanis
Cornipedum, cecidere minæ: non amplius ullus
Sollicitus mentem timor occupat: arte phalangem
Scilicet instructam tali, posituque tremendam,
Haud equidem, quamvis esset temerarius hostis,
Est ausus tentare: retrò cita fræna repentè
Torsit, agens sese quà venit: & aëre tantùm
Pulveream liquit, dissiato turbine, nubem:
Non secus ac subiti, Cancro fervente, (1) Tropæi
Post medium cœpere diem consurgere: densas
Confestim glomerant nubes, totumque retexunt
Aëra: terrificaque citus caligine turbo
Exoritur: strident auræ, tonitruque remugit
Immani domus alta Jovis, concussaque plangunt
Fulminibus nemora, & plenis torrentibus imbres
Præcipitant latè ex alto, nantque omnia in undis.
Tum cœlum ruere in terras, totumque putares

In medio quadratæ aciei impedimenta locanda.

Tropæi natura describitur.

In

(1) Venti, qui æstate post meridiem improvisi surgunt, atque ita dicti, quod unde egressi, revertantur.

In chaos antiquum rursus se vertere mundum.
At postquam retrò, disperso turbine, ventus
(Hæc data nam tali vento natura) recessit,
Vanescunt subitò nubes, & plurimus antè
Qui fuerat, gutta vix est nunc roscidus imber.
Neptunique, Jovisque cadunt iræque, minæque,
Atque aër silet extemplò, cessantque tumultus:
Et sua lux iterum pacato effulget Olympo.
Dux igitur mira connexas arte cohortes
Solve iterum, inque suas illas converte figuras.
Id facies, primis acies si versibus omnis,
Ordinibusque suis rursus reddatur, in agris
Ut priùs insistebat, eques quàm vertere formam
Hostilis, subito incursu, & clamore coëgit.

Quomodo quadrata acies quatuor in partes in crucem decussatas dividatur,

Disce (quies secuta diu tractantibus arma
Nulla datur, poscuntque novi certamina casus:
Atque novas pariter mens alta èxcogitet artes)
Qua ratione jugis, unàque è versibus agmen
Quadratum, in quatuor possis diffindere partes:
Singulæ, & ordinibus quæ sint, & versibus æquæ,
Inque crucem positæ: quæ pars erit ultima Vati
Audacis nimium cœpti properata laboris.
Defessum quando per confraga, & invia, amœnæ
Invitant ripæ secedere: grataque præbet
Populus hospitia, & placidis concentibus aures
Demulcent lætæ volucres, & amica canenti
Inclinat jam se laurus, dextraque Camœnæ.
Victrices carpunt frondes, nectuntque corollas,
Præmia bellanti: juvat ergo optata mereri
Serta. Tibi primùm juga, Structor, cuncta secentur
Per medium: versusque modo scindantur eodem.
Partibus è quatuor, totidem mox instrue turmas.
Si bellatorum legio divisa tenebat
Quadringenta priùs, pars quæque illius in agro
Corpora nunc centum sub ahenis explicat armis.
Versus perque decem instructas, & per juga dena
Directò geminas dextra, lævaque locabis.
Ast intermedium tantum sit inane relictum,
Unius quantum turmæ frons tota patescit,
Et quinos itidem passus: mox tertia contra,
Secturamque supra se collocet: ultima tandem
Infra se statuet, posituque aspectet eandem
Secturam: tantumque acies hæc utraque distet
A geminis, quantum superant discrimina quadrum

Agmi-

Agminis unius: nimirum quinque relictis
Paſſibus hinc, illinc, quà callis in intima ducat.
Sicque inſtructa crucem referet, tutiſſima ab omni
Parte cohors, hoſtemque potens arcere ruentem.
At crucis interior quà ſe ſtrictiſſimus arctat

In crucis angulis campeſtria tormenta locari poſſunt.

Angulus, & medium currit via ſtrata ſub agmen,
Si tormenta tibi fuerint campeſtria, in illis
Pone locis: acies ſic tutior eminus hoſtem
Propulſabit: item currus præfigere ibidem,
Præcipitemque illis poteris tardare equitum vim.
At vos, ò Muſæ, quotquot formoſus Apollo
Concitat heroo, dum pectine perſonat, œſtro,
Vertite tantiſper Sirenum ad litora greſſus:

Muſas invocat, hortaturque, ut e Pindo in Surrentina litora ſe conferant.

Seu vos Pindus habet, vel amica Pierus umbra,
Argutive tenent ſaltus Heliconis, aprici
Seu juga Parnaſſi, ſeu flumina propter amœna
Aſpicit Eurotas, vitrea pacatus ab unda,
Populeas inter ſilvas innectere cœtu
Feſtivo choreas, auditque ſuavè canentes:
Vel picturata lentas conſidere ripa,
Et lecto de flore ſacras variare corollas.
Hic etiam ſacrum nemus eſt, hic ſaltus, & umbræ
Felices, læti colles, ſunt & ſua tempe,
Hic rigui fontes, hic prata virentia, & horti,
Semper flore novo, atque æterna jaſpide picti.
Sunt & cærulei fluctus, muſcoſaque ſaxa,
Et conchis variata, herbisque intexta marinis,
Auribus & gratum ſpirantia ſemper odorem.
Sunt hic antra levi zephyro perflata, ſalubres
Queis auras placida liceat captare ſub umbra,
Raucisona Triton concha dum perſonat, & dum
Tranquilla blandi ludunt Delphines in unda;
Et choreas ducunt Nereides, & chorus omnis
Aſſultat Phorci, & vario Galatea natatu.
Ergo agite, & feſto quò plauſu invitat amœnas
Sirenum ſociata choro Cholomelis ad oras,
Virgineæ properate deæ: perque ardua Vati
Ite duces, facileſque aditu ſubſternite ſaltus.
Vos & qui primus (namque hæc ſunt cognita vobis,
Quippe genus Jovis altiſoni) memorate, ruentes
Cuſpide cornipedes haſtæ ſubmovit acuta.
Atque novum, precor, ò Divæ, date carminis œſtrum.
Vir fuit egregia bellorum laude ſuperbus
Et magnis animis, claroque à ſanguine cretus

Vi-

Vibodinùm (1): teque ille suis virtutibus, & te
Persimili vultu referebat, nomine & ipso,
Magnorum, Francisce, decus memorabile avorum.
Cui licet Oebaliæ præcingant tempora mitræ,
Et virgata clamys, patrioque insignis ab ostro
Circumdet, Romana tamen te purpura poscit.
Atque sacer comitem te affectat habere Senatus.
Unus quippè olli decus immortale daturus.
At quoniam de gente tua dux ille, benignus
Hæc, quæcumque ferunt nostræ tibi dona Camœnæ,
Accipe: qui nuper Surrenti ludicra in æstu
Festinata mihi, dignatus cernere vultu,
Ut solitus, facili, & ludenti applaudere Vati.

Francifcum Pignatellum affatur, in cujus gratia non inelegantem fabulam orditur, de qua quis primus Pedestrem aciem contra Equorum incursus munivit, multis exponitur.

Hic quondam dubius, quibus æquore posset aperto
Sistere cornipedum cursum, & vim frangere equorum,
Seque armis, structamque simul defendere pubem:
Sic Venerem aggreditur genitricem, & talia fatur:
O dea, belligero si quidquam accepta Gradivo,
In dubiis gnato genitrix succurre: deoque
Fac teneam dicente, quibus frænare sonantes
Ungula equos valeam telis: animosque superbos
Edomitos, fractosque retrò propellere; ut almam
Servata peditum merear pro pube coronam.

Vix hæc Vibonides, magna cùm luce corusca
Visa Venus gnato; roseoque hæc addidit ore:
Ne dubites, adsum sanguis meus & tua vota
Perficiam; nam cura tui me plurima tangit.
Quare age, candentes actutum has scande quadrigas.
Quæ te sacratam referent Mavortis ad ædem,
Pinifera in Rhodope posuit quam Thracia: & illi
Re super ancipiti Mavors oracula reddet.

Hæc dedit, & subita in tenues evanuit auras.
Lætus at ille deæ vultu dignatus amico,
Illicet in niveam saltu pernice quadrigam
Insilit: illa fugam confestim corripit Euri
In fines, fugiensque cito secat aëra lapsu.

Est Rhodope in summa, canum quà respicit Æmum
Hinc læva, & magnis labentem fluctibus Istrum:
Dextra hinc Threicios campos, & Bistonis undas.
Atque Oetam, atque Ossam, cum turrigero Ægæo,
Belligero sacrum Marti de marmore templum.
Quod Regi posuere suo gens horrida Thracum,

Martis fanum in Rhodope depingitur.

Sau-

(1) Pignatelli ex Vibone Valentia: cujus domini.

Sauromatæque, Scythæque, sagittiferique Geloni,
Bis sex ingentes, Parioque è marmore primis
Ordinibus dextra surgunt, lævaque columnæ.
Hinc totidem supra tolluntur jaspide, fulvis
Se variante notis, miroque nitore corusca.
At quatuor, summo quæ stant in vertice, & aram
Surgentem medio circumplectuntur, Eco
Sapphyro positæ visuntur: & æthera punctis
Auratis præ se referunt, ipsoque colore.
Ast ara è solido riget ære: hinc, inde rubenti
Ex auro geminæ mensæ, & prædivite gemma
Intextæ: quibus impositi stant quattuor ampli
Ex adamante cavo facti crateres: & illis
Humano Threissa deo gens sanguine libat,
Quique Tyran, Oxumque bibunt, Tanaimque nivalem.
Concava tot vastis testudo innixa columnis,
E Pario albescit saxo, lævore corusco
Insigni: circùm sed projectura coronæ,
Prima columnarum sculpto quæ vertice, mira
Arte Polycleti (namque hoc delubra magistro
Se jactant) super incumbit, longoque recurrens
Amplexu, incingit templum, totumque coronat,
Bisaltes, dura nitidus ferrugine; divi
Prædurum referens animum, fuscumque colorem.
Tota sed albenti testudo è marmore facta
Egregiis circùm fulget cælata figuris:
Atque anaglypha micant nivea testudine signa:
Sex Polycletæo lustris sudata labore.
Hic acies campo extentæ, pugnæque feroces
Spectantur, crebrique ictus, cædesque virorum:
Hic pedites conferre manus, cuneoque phalanges
Densari: rapidæque illic concurrere turmæ
Cornipedum, occursuque hastæ volitare refractæ.
Hic pedites ruere, hic equites procumbere, & atro
Sanguine cæsorum latè spumescere campi.
Obsidio hic arces præcingi, & mœnia duro
Ariete pulsari; subque altos plurima muros
Machina deferri: subita testudine facta,
Scandere & hic juvenes per fragmina, perque patentes
Latè aditus: retrò mox cedere, seque referre.
Urgeri hic rursus, rursusque repellier: atque hic
Tandem, vi facta, cuneos prorumpere in arcem.
Ipse sed, horrendum fugiens velut aëre fulmen,
Undique Mars volitans spectatur, & undique nudo
Ense tonans: secumque ferens mortemque, pavoremque
Hor-

Horrificas latè ſtrages, cædesque ciere.
Mirum opus, atque deo dignum, tantoque magiſtro.
At verò geminæ Numida de rupe columnæ
Exciſæ, poſtes circumplectuntur: & ipſi
Cælato ſolidi poſtes ex ære rigeſcunt.
Hic, claſſes pelago inſtructæ, & navalia bella,
Commiſſæque ſimul pugnæ ſpectantur: & arma,
Et galeæ, parmæque virùm fluitare per undas.
Hic victæ dare terga rates; retroque ſequaces
Victrices vento puppes inſtare ſecundo.
Hic rapido incenſæ Vulcano ardere carinæ,
Atque mare, atque aër, terræque rubeſcere flamma.
Illic victorum claſſes ad litora ovantes
Flectere iter, prorasque novis ornare corollis.
Ipſe ſed in puppi Mavors ſublimis eburna,
Nunc ſtruere in pugnam claſſes, nunc mittere in hoſtem,
Viſitur: & primus nunc puppe laceſſere puppem,
Atque ferox ferro, & jacto premere arduus igne.
Nunc & victor ovans ſonitu exultare canoro,
Atque triumphales in portus vertere proras.
Plurima præterea ſupero de limine templi
Pendebant ſpolia Oceano, terrisque relata;
Ære renidentes galeæ, conique comantes,
Et gladii dextra ardentes, nitidæque ſecures,
Squalentesque auro loricæ, atque ærea ſcuta,
Ditia diſtincto nitidis umbone lapillis:
At tunicæ læva ſtabant, ereptaque ſigna,
Clavæque, nervique, ſagittiferæque pharetræ,
Atque tubæ, lituique, & miſto tympana cornu:
Inclyta non uni quæ ſtant monumenta triumphi.
Hùc ubi Vibonides curru ſubvectus eburno
Matris Acidaliæ venit, citus exilit, & ſe
Terribiles infert divi armipotentis ad aras.
Ilicet inque genu deflexus talia fatur:

Vibonides Martem alloquitur, precaturque ut artem propulſandi equos doceat.

O præſens Numen bellantibus, ò mihi, Mavors,
Dexter ades, noſtroque volens ſuccurre labori.
Tu dubiis, age, promptus opem fer rebus, amico
Numine; ſi qua manet noſtræ tibi gratia matris,
Si quis honor; blandi ſi quid riſusque, jocique
Evaluère: tibi ſi ſunt certamina cordi,
Egregiæ ſi ſunt palmæ, clarique triumphi.
Arcanis te pande adytis: age, certa petenti
Arte ſuper dubia bellorum oracula redde.
Scis equidem, Pater Armipotens: nec fallere quidquam
Te potuit: nam cuncta tenes, quæ Martia, quæque

Sunt pugnis ſuper horrificis, armisque tremendis
Obſervata: novas ſemper meditaris & artes:
Nimirum validos quibus hoſtes vincere, & almis
Hæc ornare queas Rhodopeïa templa trophæis.
Vix hæc Vibonides, ſubitò tremere omnia circùm
Delubra, ingentes & ſubſultare columnæ,
Atque omnis Rhodope viſa eſt nutare, ſonoro
Mox ſonitu læva cœlum de parte coruſcum — Quam Mars exemplo innuit.
Inſuetùm latè intonuit, flammaque reluxit.
Auditæque tubæ, lituique, & cornua raucùm
Obſtrepere, & magno tellus aſſurgere pulſu.
Hinc adyta extemplo valvis patuere revulſis:
Et ſimulacra Dei, ſolido formata metallo,
Hac ſunt Vibonidæ bellaci viſa figura:
Scilicet incurvo ſpectatus corpore Mavors,
Oblongum, lentumque tenens haſtile ſiniſtra:
Cui cuſpis præacuta: ferocem expellere & illa
Cornipedem magno niſu, curſuque ruentem.
At dextra capulum ſtringebat acinacis, auro
E ſolido rutilum, diſtinctum & divite gemma.
Et ſimul hæc medias ſonuit vox clara per auras:
Accipe, nate dea, propellere queis pedes armis
Quadrupedem valeas: tibi cætera ſuggeret uſus,
Et prompta inventis mens addere. Nec mora, poſtes
Protinus obſtricti: rurſusque moverier omnis
Mons viſus, rurſusque ſonus, clangorque tubarum
Auditus, magnoque æther reſonare boatu:
Atque ingens nitido tranſcurrere fulgur Eoo.
Verùm obſtenſa dei ſecum ſub mente volutans
Vibonides, mira bellantes imbuit arte,
Qua ſtruere obtuſum, atque haſtis munire valerent
Agmen in adverſos equites, vireſque ruentum
Frangere: multa novi ſolertia & addidit ævi.



BEL-



BELLICORUM
LIBER QUINTUS.

SED me frænigeræ magnis hinnitibus alæ,
Atque Equitum nova tela, usus; appellat equorum:
Altera quæ structi pars agminis. Ergo age, Musa,
Dic Equitum tela, & turmas simul instrue Equestres.
In primis Equitum solertia multa Magistro
Est adhibenda, viros inter qui corpore præstant
Egregio, & primi censentur robore, ut illos
Donet equo insigni, pubique ascribat Equestri.
Quin Equitatus erit tibi, Consul, maxima semper
Cura, triumphales amor est si carpere lauros.
Omnia nam pugnæ pendent felicia ab illo
Momenta: & belli pariter totius eodem
Successus venit, & properatus Marte secundo.
Nam si multa tibi sit belligerans Equitum vis,
Hostiles longè, latèque excurrere in agros,
Et prædam ingentem poteris sub castra referre:
Oppidaque, & sparsas loca per campestria villas:
Vastare, & crebris terrere incursibus urbes,
Et sata læta igni, & flavam corrumpere messem;
Hostes nempè tuos ut plurima frangat egestas.
Ac si fors socii deprensi valle laborent,
Sive fame valida, obsidioque premantur, amica
Inferre actutum auxilia, atque arcere periclis.
Ast armis instructor Eques quibus emicet arvo,
Jam nunc expediam. Præcingat Scortea lectam
Curta virum tunica: atque auratum balteus ensem
Accipit hic unus, dextro demissus ab armo:

In equitum delectu multa opus solertia. Nempè maximè refert in bello Equitatus.

X 2 Al-

Alter hic è lævo (pendet transversus uterque)
Appensam circo catapultam sustinet: ambo
Scortei sint: digitis quatuor latescat uterque.
Crura tegant ocreæ: sint lino textile pictæ,
Et pelle insignes ocreæ, Phrygioque labore.
Assula dupla quibus calcaria nectat; ut illis
Cornipedem citet in cursum bellator, & arma.
Nonnullis visum est hac tempestate futurum
Commodius, stricto è cinctu si pendeat ensis.
Sic agilis conscendet equum, sic promptior ibit
In pugnas Eques acer, aget velociùs & se.

Quibus ad bellum ornandi Equites.

Insuper adnexum sustentet zona locellum:
In quo fulminei bis seni pulveris ictus,
Pro majore tubo, totidemque minore reponas.
Singuli & in tubulis (nivea quod antè papyro
Pangere cura tibi) pariterque volatile plumbum
Excipiantur: erunt tubuli sic pulvere farti,
Æquales ori catapultæ, ærisque minoris.
Sic etenim facilè, ut res ipsa, & jussa reposcunt,
Tormentum citus instruere, atque explodere in hostem
Quibit Eques: properare juvat dum prælia fervent.
Objice nam tubulis detracto dentibus, ater
Æs portentiferum pulvis, plumbumque subibit:
Quique intus trudatur obex, erit ipsa papyrus.

Sed jam tela: ferat suspensum balteus ensem:
Forte peregrina ni mavult cingier harpe,
Et, quam cinctus habet, catapulta armetur ahena,
Fistula & ignivoma: quam duplex scortea theca
Accipiat, vagina velut, ab ephyppio utrimque
Dependens. Equiti non his sunt plura ferenda
Hac ætate: feri qua prælia fulmine, & igni
Miscemus, tonitrusque cavo siphone ciemus.

Et quibus armis instruendi.

Non igitur jaculo, corno non missile, longa
Non armandus eques hasta, scutove tegendus.
Quamvis sæpè Scythæ, gens barbara, & accola Ponti,
Antiquo pugnas ineant de more sagittis,
Nempè fugacis equi sese subducere lucta
Confidunt cursu, & glandes vitare volantes.
Idcircò pariter non casside summus ahena
Munitur vertex, non buccula sepit ocellos,
Brachia non manicæ, non durus pectora thorax,
Neve tegunt molles feminalia ferrea coxas:
Et vix loricæ nunc est pugnantibus usus.
Talia quippe viro, dum conserit æquore pugnam,
Officiunt potius, quàm dent munimina; quando

Hac ætate nullus veterum armorum usus.

Om-

Omnia perrumpit glans ignea, cùm volat acta
Sulphure ab accenso, stridetque per aëra bombo.
Attamen his uti interdum Prætoria turma,
Quæque hastata ducem campo comitatur euntem,
Ad speciem suevere magis, quàm commoda, & ævi
Antiqui ut specimen renovatis esset in armis.
Sunt quidam, nuper quos in certamina Mavors
Ire novis dedit inventis, partimque Latino,
Et partim Grajo (1) Boliballos nomine dixit
Euripedes: quoniam ventorum more ruentes
Igniferas torquent bolides, quæ punica vulgus
Mala vocat: primique solent invadere fossæ
Loricam, vallumque ipsum, cuneataque septa;
Hos tu ferre leves catapultas præcipe, & ensem:
Qui brevis, & Mauri curvatus acinacis instar.
Insuper (ascitus postquam est in fœdera belli
Vulcanus, placuitque igni certare tonanti,
Mars nova continuò meditatur in arma, nocentes
Nempè novas semper per cædes expleat iras)
Amphimachos miro inventu produxit in æquor.
Qui pedites ineunt nunc prælia, nunc equitantes
Conflictus sese permiscent inter equestres:
Idcircò (2) Amphimachi Grajo mihi nomine dicti.
Et quoniam primi, statuit cùm bella Senatus,
Hostiles soliti in terras irrumpere, & illas
Continuò complere metu, atque incendere flammis,
Et ferro vastare, tremendo nomine nostri
Idcircò horribiles appellavere Dracones.
Hi tibi, dux, vasto sint corpore, & ore feroci,
Viribus & validi: majori mole cavatum
Æs gestent in bella: brevem sed cingulus ensem
Deferat adnexum: solido cui corpore tantus
Sit capulus, quantum patet os stridentis aheni.
Nam certamen ubi conantur inire pedestre,
Et propius conferre manus, tunc ilicet illi
In vacui capulum detrudunt ora metalli,
Atque pilæ subigunt capularis ad usque supremum:
Hinc sclopis, gladiisque simul coëuntibus, enses
Prælongos reddunt: atque his tunc eminus hostem

Boliballi, qui & illorum munus, & arma.

Qui Amphimachi, & illorum munus, & arma

In-

(1) *Granatieri*, Itali dicunt, Author Boliballos vocavit, quasi bolides, *Granate*, intorquentes.

(2) *Dragoni* novi dicunt, Authori Amphimachi dicti, quod & Equites, peditesque pugnent.

Invadunt, certasque ferunt per vulnera mortes.

Ergo suis ubi cinctus Eques splendescit ab armis,
Insequitur labor alter, equum legisse ferocem;
Multaque delectu in tali tibi cura adhibenda est.
Nam si bellacem, facilemque ad fræna, pedesque
Pernicem sortitus equum pugnator equestris,
Promptus & ipse ducis mandata capesset, & omnem
Ire viam poterit, versusque, & signa tenere,
Acer, & in Martem assurget, pugnamque ciebit.
Idcircò primùm studio nitere sagaci
Quærere equum insignem, factumque ad munera Martis.
Sed quibus indiciis talem dignoscere possis,
Accipe, non multis, properans ad cætera, dicam.
Sit tibi procerus sonipes, & corpore magno
Sese verset, agens, pulchroque ornetur amictu,
Est etenim certum species externa reposti
Argumentum animi: potior sic villus habetur,
Cui color ex albo fuscus, nigrisque frequenter
Distinctus maculis: vel sit spadiceus auro
Immixtus: nigra melior ferrugine tinctus.
Altior emineat cervix angusta, jubæque
Ex armisque cadant, colloque volumine longo:
Sintque pedes nervosi, agilesque, & pectora lata:
Non pavidus, viso ne fors tibi restitet ipso
In cursu: duro nec frænos ore recuset.
Neve ferox nimium insultet: non calcitret asper:
Non renuatque pati dominum, & parere lupatis.
Verùm tam facilis, quàm sit generosus: & acer
Exultet, capiatque animos clangore tubarum.
Et certamen amet, cursumque intendat in hostem.
Ac cædes inter gaudens, fusumque cruorem,
Acrior urget ubi Mavors, sese inferat ultro.
Sit cursor, patiensque sitim, & jejunia ferre.

His animadversis, confestim ea cura sequetur,
Nimirum Mavortis equos ad munera lectos
Instruere, & domitùs crebrò exercere palæstra.
Nam velut in vacuo proludens æquore tiro,
Assuescit sensim bello, & formidine pulsa,
Quæ non sueta armis pertentat pectora, primas
Dum pugnas agitant, & quid Mars, experiuntur,
Induit audaces animos, ipsumque per usum
Difficiles paulatim artes, & prælia discit.
Non aliter sonipes domitura doctior, æquor
Prosilit in medium, facilisque ad jussa magistri,
Se varios agit in gyros, quàque actus habenis,

Acres ad bellum equi, domitiq; ad Martis munus legendi.

Quibus optimi ad pugnam equi cognoscatur.

In palestra equi crebrò exercendi, belliqùe artes docendi.

Pro-

Pronus it, atque fugam pulsus calcaribus urget,
Et certaminibus, tonitruque assuescit, & igni.
Quin & Eques pariter sit equestri instructus ab arte,
Ut sic possit equum ductare in prælia: & illum
Nunc stimulis cunctantem urgere, & flectere in orbem,
Nunc & contractis frænis retinere volantem:
Addere nunc animos clamore, citatior hostem
Ut ruat adversum: nec fulmina rauca, nec ignes,
Horrescat, pilive aciem formidet acutam:
Nunc blandus palpo, & poppismate placet amico,
Ut ponat calidasque iras, animosque feroces.
Quæ cùm sit habeant sese, Proconsul, equestri
Nullus nobilium, plebisvè ornetur honore,
Ni prius in stadio domituram edoctus equorum,
Experimenta dedit tibi plurima, se quibus artem
Egregiam didicisse probet. Quin proderit urbi,
Magnifico structæ sumptu si semper equorum
In plano pateant campo, Xystove palæstræ:
In quibus insigni sub præceptore juventus
Egregiam artem, & disciplinam discat equestrem:
Et quibus infrænes pulli domitentur, & artem
Ipsi etiam patriam, & Mavortia prælia discant.
Me quondam Parmæ memini sub mœnibus altis,
Æmiliæ quà rura virent campestria, & inter-
Pascua læta greges, armentaque mille pererrant,
Amplam, magnificam, luxuque, atque arte superbam
Cornipedum instructam domitu vidisse palestram:
Qua nitida juvenes exercebantur arena,
Indomitosque simul pullos ad fræna vocabant.
Quin etiam lusus nonnunquam ludere equestres
Magno affectabant plausu, & clamore theatri.
Est domus ampla, nitens, mediaque assurgit in urbe
Porticibus præcincta altis, saxoque superba
Barbarico, pictisque renidet plurima signis.
Hic flos Nobilium studio delectus ab omni
Ausonia, cœtu sociali, & legibus iisdem
Unanimi degit consensu, atque omnibus una
Mens est, ingenium excolere, assiduoque labore
Ardua conniti quæsitum arcana latentis
Naturæ: nec eo stat curam adhibere minorem
Ingenuas Musarum artes, & jura doceri:
Civilesque simul cultus, quæque indole digna
Patricia, & belli quæcumque aptantur ad usum.
Et quoniam vires animo facit æmulus ardor,
Fervet amor cunctis studiorum, & nobilis oti.

Quin & Equites artem tractandi equos teneant.

Prodest in urbe ad domandos equos, Equitesq; instruendos habere.

Seminarium Parmense graphicè pingitur, & juvenum commendatur solertia.

Hinc

Hinc juvenum culti mores, & principe digni,
Mens acris, generosa, animosque edocta mereri
Officiis, studiisque exculta, & Palladis arte.
Hinc & tantus amor doctæ præludere arenæ:
Et modo quadrupedem cursu domitare ferocem,
Et simulata modò stimulare in prælia: & hostem
Urgere: atque animos sonitu irritare tubarum,
Et sclopi tonitru, & nigro consuescere nimbo.

Hujus ego pubis memini, & meminisse voluptas,
Egregium forma juvenem spectasse, palæstra
Hac se exercentem cursu, pulchrumque domantem
Cornipedem: primo vernabat flore juventæ
Fascibus insignis majorum, opibusque superbis.
Humana major species, & plurimus olli
Præfulgebat honos oris, venerandaque frontis
Majestas: oculique ardebant iride pulchra.
Aurea cæsaries non sese pendula collum
Per niveum laxabat: erat sed tortile flexu,
Inque modum plectæ circum religata rubenti
Tænia, ut illius lex est sanctissima cœtus.
Sed species neglectus erat non ultima: celsum
Fibrina caput ornabat de pelle galerus,
Serica quem circùm argentoque, auroque retexta,
Vitta intingebat flocco prædivite fulgens.
Sed quam pulcher erat juvenis, tam rara modesti
Oris erat species, & gratia amica pudoris.
Idcircò Musis, & Phœbo gratior alter
Non illo insignes inter degebat alumnos:
Essent & multi quamquam, & florentibus annis,
Indoleque, specieque, & Palladis arte decori.
Quin & artis amor, laudisque immensa cupido
Olli erat: ingentesque animo res præcoce partu
Edere jam puer affectabat, ut inclyta facta
Majorum cumulare novis per Martia posset
Prælia, perque sua palmas virtute relatas.
Illum, inquam, memini stadio vidisse decoro
Exercentem equitem insignem, cui villus ab albo
In fuscum vergebat, eratque interlitus atris
Hàc, illac maculis, alta & cervice superbus,
Atque jubis ibat magnis, & pectore lato.
Ipse sedens habilis, medioque immotus ephippio,
Attalico è filo intertexto, auroque corusco,
Et gemina insistens erectus stapede, lusus
Sic, tota juvenum circumspectante corona,
Orditur: Virgæ sonitu nunc molliter urgens,

Nobilis adolescens describitur, & plurimum laudatur.

Illum Vates se vidisse ait insignem equum exercentem, & mira arte depingit.

Cor-

Cornipedem binis agitat decursibus: & nunc
Circuitu versat longo; totumque per orbem,
Per calcata ferens vestigia: nec magis unguem
Seu latum dextra deflectens, sive sinistra
Pernici torquet cursu, mirabile visu!
Nunc gyri medium simul ac perfecit, anhelum
Ilicet inflectit sua per vestigia retrò.
Nunc redit, alternaque fuga curritque, recurritque,
Et labyrintheos depingit in æquore flexus.
Et premit intereà calcaribus, & citat alta
Irritans voce, & laxis dat currere habenis.
Mox inhibet cursum, & multo sudore fluentem
Sistit, agens læva frænos citus ilicet ad se.
Nimirum exhaustus cursu revocetur ut acri
Spiritus, & docto discat parere magistro;
Utque è vestigio suescat subsistere cursu.
Nec tanto indignus sonipes sessore, repentè
In tergum incubuit, stetit ilicet, & tenuit se.
Hinc ubi tantisper requie instauratus amica
Spiritus est, mollisque abscessit corpore sudor:
Et demulsit equum juvenis poppismate, lusus
Rursus init, simul hæc: Nostræ quicumque juventæ
Hi lusus fuerint, nostri quæ gratia cœtus,
Partheniis grati Musis; Vatique dicamus
Parthenio, nostras qui nunc invisere sedes,
Lusibus & nostræ dignatus adesse palæstræ.
Contrahit hinc frænos, & signum flexile virga
Cornipedi facit, atque in ludum invitat equestrem.
Tunc ille edoctus nutum, quemcumque dedisset
Insidens dorso puer, exaudire, repentè
Anteriora jugo substollens crura sub uno
Porrigit in sublime, hæretque immotus: & inde
Deprimit, ut juveni visum est: rursusque sub auras
Surrigit illa, tenens incurva, & pendula, nisu
Tam facili, mira quàm perficit arte jubato:
Interea collo, & capite arduus eminet alto:
Arduus & juvenis simul eminet: & stat in ipso
Immotus dorso, & strictas moderatur habenas.
Mox velut ad numerum docta scitissimus arte
Arrigit alternis, & deprimit utraque crura:
Anteriora priùs, mox & postica: videri
Haud equidem quidquam poterat formosius illo.
Dein citus agglomerat, dictu mirabile! & æquor
Lege ferit certa: veluti qui tympana pulsat
Ictibus alternis, sonitusque alternat eisdem.

In gratiam Vatis Nobilissimas Ædes invisentis, rursum nobilis adolescens ludum init.

Et salit, & resilit sua per momenta: choreas
Ad modulos illum dixisses ducere equestres.
Tandem signa dedit cùm virga sessor, anhelus
Constitit, ore vomens spumas, & naribus ignem:
Ut cessavit, equo plauserunt murmure ovanti.
Emeritaque equitem vexere ad sydera laude,
Quotquot erant socii, juvenum lectissimus ordo:
Quotque graves aderant Patres, doctique magistri,
Est commissa quibus delectæ cura juventæ:
Artibus humanis omnes, studiisque Minervæ,
Et multa insignes pietate, & moribus aureis.
Ast ego promeritas tanto pro munere grates
Reddere promisi: promissaque carmine solvo
Hoc, quodcumque meæ memores scripsere Camœnæ,
Fortunate puer, vivent si carmina nostra,
Nam simul ipse illis ventura in secula vives.
Plura tibi: magnum sed stat percurrere campum,
Quà vix ulla patent vestigia trita priorum:
Et Mars urget equum, & rauco tuba murmure clangit.
Quin & plura forent, quæ possem dicere equorum
De cultu, domituque, & ludi plurima equestris:
Ludere seu Trojam affectas, plausumque referre,
Collimare velis, seu currens præpete cursu,
Annulum in appensum, & rectà dexterrimus hastam
Inserere, emeritoque frui clamore theatri:
Et gemma illustri, & torque insignirier aureo.
Quæ tamen, audaci properans insistere cœpto,
Prætereo, atque aliis post me dicenda relinquo:
Musa quibus facilis, tanti nec cura laboris.

Spondet juveni Vates gratias se redditurum: quod hic carmine exsequitur.

His igitur spatiis longè disclusus, in equor
Restituam me Martis. Eques præfulsit ubi armis,
Et donatus equo, ritusque edoctus equestres,
Stat conflare manus, & aperto exponere campo.
Sexaginta viri component ordine turmam
Bis seno positi: quinos & quilibet ordo
Fac habeat versus: primaque in fronte locato,
Qui plura emeriti stipendia: quique recentem
Erudiant pubem dictis, & fortibus ausis.
Sic etiam Uragi claudentes ultima signa,
Expertæ virtutis erunt certamine multo.
Dux toti præsit turmæ, qui fortis in hostem
Agmen agat, faciatque animos, cunctosque gubernet.
Inclytus idcircò factis, & fasce: secundus
Succedat parili virtute Vicarius: agmen
Qui vice Rectoris deducat: quique necesse.

Qua ratione Equitum turmæ conflentur.

Qualis Dux turmæ esse debeat.

Et Vicarius.

Cùm

Cùm fuerit, tergo præsit: sit Signifer unus
Ordine de primo; sacra qui vexilla sub auras
Explicet, & validus dextra tutetur ab hoste.
Sitque Coactor: erit qui pubem doctus equestrem
Instruere, instructamque suo ductare tenore.
Præter & hos, cunctos præcedens ære canoro
Incedat Tubicen, qui Martia prælia cantu
Suscitet, & juvenes, animosque accendat equorum.
Hic reliquos inter præstantior arte legendus.
Scilicet ut docilis multos perferre labores,
Atque habilis, doctusque tubas animare loquaces,
Et cantus variare, notisque aptare canoris.
Sive monendus Eques, ut se induat ilicet armis:
Seu conscendat equum; veniatque ad signa: movenda
Vel si castra ducis iussu, campusque secandus.
Seu conferre manus, pugnamque urgere necesse est:
Sive ut confestim se in castra reducat, & ensem
E jugulo revocet morituri, & temperet iræ:
Seu tandem tacitis sit eundum passibus, hostem
Insidiæ ut structæ lateant: præque occupet armis
Illum improvisis, & certo funere plectat.

Signifer item, & Coactor.

Item Tibicen doctus tubam inflare, & cantus pro vario usu variare.

Perge, tibi postquam conflatæ ex ordine turmæ,
Protinus ex illis (1) alam componere præstat:
Quæ legio hoc ævo pariter vocitatur equestris.
Hanc tibi bis senæ poterunt, si plurima pubis
Copia sit, turmæ compingere; si secus illam
Aut sex pro numero conflari, sive novenis
Præcipies. Alam Præfectus ducet: avitis
Præclarus titulis, & palmis ante relatis:
Et sit consilio, & dextra promptissimus: olli
Non impar Legatus erit comes additus, alam
Qui sciat instruere, instructamque inducere in hostem,
Præripiant si Fata ducem, vel casus abesse
Quis cogat. Casus quando, & variantia Fata
Versant cuncta: soli verùm quia copia raro
Tanta patet, se multus ubi devolvere equorum
Evaleat numerus, seriesque exponier omnes,
Idcircò ternum, dux, alam divide in agmen.
Quodlibet & quatuor, bis sex si continet ala,
At turmas si fortè novem, tres agmen habebit.
Illarum senior qui dux, reget illud. At ordo
Agminis insequitur, moveat seu castra, patenti

Quomodo Ala, seu legio conflanda.

Ala, cum non est tanta campi copia, ut se explicet, in tres dividenda partes.

(1) *Squadrone* Itali, Gallique dicunt.

Seu campo manet instructum, & certare paratum;
Illius & primùm nostro quæ carmine partes,
Et dicam numeros, atque intervalla jugorum.
Traditur ars alam explicandi; cum movendum.
Frons est prima, duces qua stant, & respicit hostem
Adversum, irrumpensque accendit prælia prima.
Retrò olli tergus respondet: & insuper alæ
Sunt geminæ: quarum nobis quæ dextera, habetur
Digna magis, læva inferior succedit honore.
Ordinibus ternis componitur: inter & illos
Tantùm stat spatii, quantùm satis esse duobus
Posset equis, versusque dabunt capita ipsa virorum:
Qui se inter binis distabunt passibus; uni
Quantum equiti satis est, medio si forte locandus.
Ast age, si campis tibi cura coactor, equestre
Et cum pugnandum.
Instruere agmen erit; senioris præcipe turmam
Ire ducis, dextràque citò se sistere in arvo:
Totque jugis structam, tot versibus, ut modò, nostræ
Te Musæ docuere: ducis dein altera læva
Se totidemque jugis, spatioque, & versibus iisdem
Exponat junioris: eant juga singula in unguem.
Tertia mox inter primam, centrumque jugati
Agminis insidens, sese instruat ordine eodem.
Tandem quarta, regit quam dux primoribus annis,
Quod reliquum spatii sibi vindicet: atque ibi totam
Se locet ordinibus certis, & versibus. Omnem
At tibi si latis legionem extendere campis
Cura sit, huc animum, paucis, adverte, docebo.
Non secus ac primum vacuo fuit agmen in agro
Expositum, læva confestim expone secundum.
Ut directa jugo frons utraque quadret eodem:
Inque jugo tergus tergo respondeat uno;
Ast acies inter geminas sectura relicta
Tantum latescat, quantum frons ipsa. Sed agmen
Insequitur ternum disponere: præcipe, utrumque
Ante ut dispositum sese sic explicet, ipsum
Ut vacuum campi spectet: simul inter & ambo
Agmina respondens recta: & tot passibus illis
Distabit, quot lata patet sectura duorum,
Hujus in extenta legionis ductor equestris
Fronte præit: ductatque jugis socialibus agmen;
At dextrum Legatus agit; qui grandior ævo,
Dux est turmarum, ducet pro more sinistrum.
His animadversis, quæ jam properanda sequuntur;
Quà sit arte stipanda acies.
Præcipiam: stipanda tibi si forsan equorum
Est acies: dextros nimirum adjungere versus

Ver-

Verſibus ad lævam: ſive hos immittere in illos.
Si primum, dextra immotum perſiſtere cornu
Præcipies equitum, reliquosque accedere ad illud;
Ut verſos verſu propior ſuccedat, ubi ante
Ampla pateſcebat ſectura: anguſtius: agmen
Tum tibi ſic campi, quam laxiùs ante replebat,
Dimidio minus, & nexu majore tenebit.
At fuerit ſi parte cohors ſtipanda ſiniſtra,
Tum cornu læva immotum perſtare jubeto:
At reliquos illuc ſeſe devolvere: tali
Eſt acies ratione tibi ſtringenda, Magiſter,
Anguſtus cùm campus erit, vel fortiter hoſtem
Contra irrumpentem ſi propulſare neceſſe eſt.

Eſt autem ſtipanda cum anguſtus eſt campus, vel fortior hoſtis.

Perge, cohors, læva, dextraque è parte coactis
Sit ſtipanda jugis, paribusque ſecanda maniplis;
Amplior ut medio pateat ſectura: ſiniſtra
Præcipe, & in dextra proprio conſiſtere verſu
Quadrupedes, aliosque illis accedere utrimque:
Sintque pares numero ſeries hinc, inde coactæ.
Sic anguſta magis pars agminis utraque fiet;
Amplaque per medium via ſtrata. Sed ingruit alter
Continuò labor (haud requiem ſibi Mars petit ullam)
Scilicet anterius juga conſtipanda: jubeto
Haud quaquam variare ſitum, quicumque priori
Ordine ſtant: binis reliquos ſe paſſibus ante
Inferre. At rurſus ſi dilatare coactam
Vis aciem: firmo dum ſtat pede rura tenere
Anteriora tibi: atque hoſti non cedere certum eſt.
Præſtitibus primo perſtantibus ordine, retrò
Fac juga confeſtim decedant cætera. Sed jam
Non minor inſequitur cantantem cura, docere,
Qui labor, & quæ ſit ſolertia habenda magiſtro,
Per juga, per fauces, & cùm per ſtricta viarum
Eſt acies ducenda jugo, verſuque ſoluto:
Rurſus & adnexis eſt componenda ſub illis.
Seſe igitur locet Inſtructor, quà trames iniquo
Eſt aditu, vigilemque animum ad ſua munera verſet;
Ut ſtetit, extemplò juvenes hoc ordine mandet
Approperare (moræ ne fors tardantibus obſint)
Incipiat quisque è dextra procedere verſus
Per binos, ternosve viros, ſi ſemita tanta eſt:
Atque gradu celeri conentur aperta tenere.
Quæ ſimul ac dextrà ſubiti tenuere, locabunt
Ordine ſe, verſuque illo, quibus ante relicto
Hærebant campo: ſic arctis faucibus omnes

Qui modus ita jugis ſtipare aciem, ut majus in medio ſit ſpatium.

Traditur ars, qua jugis, & anguſtæ fauces ſoluta ordinibus ſuperanda.

Per binos, aut ternos procedant Equites, & ut in amplum agrum evaſerunt in ſuos ſe verſus reſtituant, ut tota tandem turma conſtetur.

Ocyus

Ocyus egressi, conflabunt protinus agmen.
Ast animo sedit juga si per singula, fauces,
Aut intricatos sylvæ transmittere saltus,
Præcipe, ut è læva sese tùm quilibet ordo
In saltus agat extemplò; quos præpete cursu,
Ut superavit, agri dextra de parte priores
Instruere incœptent agmen: quod deinde sequentes
Explebunt: læva si vis conflare cohortem,
Nimirum quia campus ibi patet amplior, illa
E parte incipiens, se quilibet explicet ordo.

Satius per versus, quam ordines per angusta procedere, & cur?

Atque hic te, dux, admoneo, superare malignos
Ut mavis saltus, immissis versibus illàc,
Non verò ordinibus: quoniam tres ordine versus
Transmissi, conflare manum, & se opponere possunt
Hostibus, insidias saltu si fortè pararunt.
Verùm nulla jugo ex uno componitur arvo
In lato manus apta. Vocat majoribus orsis;
Sed nos majus opus: dextro tu numine, Pallas,
Adsis bellanti, atque in pugnas suffice vires.
Nam secus optatum non fas sperare triumphum.

Quando opus sit obequitare.

Si circum juvenes opus est equitare per æquor.
Tum fac difficiles hoc illos ordine motus
Ordiri: verùm quando res poscit, ut agmen
Objubeas (1) equitare, priùs tete ipse docebo.
In campo si parva cohors inimica resedit,
Si non bellaci insignem virtute juventam
Sub signis habet: aut sese statione tenere
Ab duce jussa suo, pugnas & inire recuset.
Aut qui se castris conclusum continet, hosti
Insultare velis: turmas tum præstat equestres
Ob gyris hosti variis equitare moranti;
Si fors elicias ad prælia. Sed tibi tandem,
Qui modus, expediam. Dextra prorumpere ab ala
Singuli ut incipiant versus, tum præcipe: & hostem
Pergere in adversum, veluti pennata sagitta

Obequitandi ars traditur: per versus primū.

Ex arcu contorta volat, stridetque per auras.
Utque aciem contrà steterint, tùm fronte retrorsum
Conversa, expledant æra ilicet: atque citato
Proripiant sese cursu: perque æquora lata
Serpentes lævam transmittant agminis alam:
Illius hinc tergus superantes, sedibus iisdem
Sistant cornipedes: hìc sclopos pulvere rursus

Igni-

(1) *Caracollare* Italis dicitur, quæ præcipua æquestris pugnæ pars est.

Ignivomos onerent, & glandibus: atque ubi tota
Movit sese acies, iterùm prorumpere in hostem
Incipiant ipsi: donec deducere vallo
Cunctantem valeant, victumque insternere: & almam
Egregia laurum virtute, atque arte mereri.
Ars quippe, & virtus pariunt certamine palmam.
Per juga disce, tibi circùm si equitare necesse est,
Quattuor in partes tùm secta irrumpere in æquor
Illa, jube, & totidem in partes, ut equestre secetur
Agmen: & hinc rursus fac componatur in unum,
Ut pyrobalistæ protrusa glande dedere
Horrificos cunctæ sonitus. Sed cominus instat
Alter in arma labor, & spes simul altera lauri.
Festinare decet Mavortis in æquore palmam
Quisquis amat. Fortuna diu non continet uno
Sese fixa loco: sed præpete semper oberrat
Acta tota: nunc summa petit, nunc infima: & unà
Converso trahit orbe hominum variantia Fata.
Perge age, turma equitum si sic versanda sonantum,
Ut frons prima, viri qua sunt virtute valentes,
Hostibus obvertat sese, connixaque pellat
Fortiter: è primo pendet pugnæ alea jactu.
Ast uno tantùm si sit flectenda quadrante:
Cùm latus hostis habet, cui, dux, opponere frontem
Conaris: dextra si circumflectier agmen
Res petat, incœptent dextra juga cuncta moveri.
Quique jugi in primi consistit cuspide, dextra
Tantum verset equum, non amplius, & stet eadem
Immotus statione: venit qui proximus, orbe
Exiguo vertat se lentiùs: ocyùs ille
Flectat equum, numero qui tertius: inde sequentes
Quo magis à primo removentur, eò magis ipsi
Contendant cursu: sic omnes ordine eodem
Æquatis spatiis sua per discrimina stabunt.
Qualis qui medium parili discrimine circum
Dissecat axis, agit cùm se versatilis, orbes
Et centrum circa varios facit: illius una
Exigua in medio quæ pars defixa, quiescit
Immota: at reliquæ semper majore rotantur
Circuitu, cursusque unà velociùs urgent;
Quo magis, atque magis distabunt cardine ab imo.
Non aliter facies, si, dux, versanda sinistro
E latere est acies: modus unus, & una movendi
Est ratio, seu læva tibi, seu dextra petatur.
At si dimidium per circum flectere turmam

Et per juga, seu ordines.

Ars traditur versandi turmas.

Explicatur exemplo orbis se circa axem versantis.

Ca-

Casus agat: primo postquam versata quadrante
Gens erit, ut rursus se vertat præcipe eodem
Ordine: sic tergi sedem frons prima subibit:
Seque hosti opponet meditanti cædere tergus.

Explicatur modus obequitandi reflexis versibus Scytharum more, & illius quis sit usus.

Sed jam postremus sequitur labor, ire reflexo
Agmine in adversos hostes, frontemque ferocem
Objicere; è dextrà peragendus, sive sinistrà
Sit tibi circuitus medii, non integer, orbis.
Sed quando inflexis deceat te versibus ire,
Præcipiam: quo more Scythæ sunt sæpius usi,
Sæpius & Parthi: si perrumpenda pedestris
Structa situ, legio, quæ commodiore tenet se;
Tum sic è læva, dextrave poposcerit ipsa
Res velut, incipiant lentè procedere in hostem.
Inque illum glandes explodat quilibet ordo.
Jam verò ante globum cùm devenere pedestrem,
Confestim trepida simulent formidine captos
Vertere terga: cito manus altera concita motu,
Tum ruat, ut turmæ videatur ferre labanti
Suppetias: inimicæ uti mox vicina cohorti
Successit, se tùm fingat formidine eadem
Correptam, laxisque jugis se distrahat: hostes
Ut simul ac tali decepti fraude, fugaces
Cœptavere jugis confestim urgere solutis;
Tunc integrato se protinus agmine versent
In peditem juvenes inimicum, hoc ordine, clunis
Ante ubi Quadrupedis, stet nunc in prælia cervix
Erecta, & glandes vibrent ex ære sonantes,
Succenso actutum nitro: conentur & illum
Ense etiam stricto delere, & sternere equum vi.
Hac sæpè insignes palmæ sunt fraude relatæ.
At verò in primis illud meminisse necesse est,
Explodant ne rauca priùs tormenta, magister
Quam signum fecit: cùm verò explodere certum est,
Hostes ad dextram cauti nitantur habere.
Sic etenim facilis, certusque est ictus: & illi
Contra quos jaciunt, haud sic eludere multum est.

Exercendi sæpius equites umbrali pugna.

Atque hæc sunt, equites quibus exercere frequenter
Se decet: & vacuum pariter tu sæpiùs illos
Educ in campum: & fictæ simulacra ciere
Fac pugnæ: veniet sic quisquis idoneus armis.
Et pubem, dux, egregiam bellique peritam
In palmas securus ages. Sed rauca boatu
Horrifico tormenta vocant, flammæque relucent:
Et circùm liquidos volitat seges ignea campos.

BEL-



BELLICORUM
LIBER SEXTUS.

NUNC Martis tormenta, quibus vel prælia miſcens
Extentis tonat in campis: vel fervidus arces
Fulminat obſeſſas; & mœnia dejicit ictu:
Quam varia, & qualis ſit bellatoribus uſus,
Dicere nunc labor inſequitur. Vos ò mihi veſtros
Pandite, Cyclopes, dimoto vecte, caminos.
Namque opis eſt veſtræ, quodcumque effingere Vates
Audaci aggreditur niſu: nova munere veſtro
Machina Tartareis eſt educenda cavernis. Cyclopes ad cudenda nova arma invitat.
Machina quæ ferro, & Vulcani pulvere fœta,
Ignea rauciſonis accendat prælia bombis.
Aſt artes primùm antiquas dediſcite; quando
Non ferrum in dura verſandum incude tenaci
Forcipe: non enſes fabricandi, aut ęrea ſcuta.
Verum æs ignivomum, & ſummi tormenta Tonantis
Fulmina quæ referant, & terrificos reboatus,
Cudere opus, vaſta fuſis fornace metallis.
Hæc etenim Marti potiora virilibus annis
Inſtrumenta placent belli: quibus acrior inſtat
Cæde furens, ſatiatque animum furialibus iris.
Scilicet ingenio indulgens, iræque minorum,
Horridus in flammas, & rauca tonitrua ſurgit. De crudo mortalium ingenio queritur.
Proh ſuperi! quæ tanta necis furioſa cupido
Mortales agitat ſenſus; queis pectora ferro
Non aperire ſatis viſum eſt: ſed fulmine flammeo
Dilacerata, juvat cineres convertere in atros.
Uſque adeo tantam fera mens exarſit in iram,

Ingenii ut vires, & acuta inventa ruinam
Verteret in propriam, Divis nolentibus ipsis?
Non ratio, non Fata valent obsistere, cum jam
Per præceps trahitur mens irritata furore.
Principiò tormenta, nigris quæ vexit ab umbris
Sanguineus Mavors, Furiis, & Dite ministro,
Ardentes quoniam jaculantur ad æthera flammas,
Horrisonis latè bombis, cognomine nostri
Illa hinc Bombardas appellavere vocantes.
Mirum, horrendum, ingens inventum Martis, aperto
Edere seu stragem campo, seu fulmine clausas
Molitur totis evertere mœnibus urbes:
At quæ forma: velut longus Bombarda cylindrus,
Inque igni fuso formatur concavus ære.
Illius & partes quamquam describere versu
Difficilè, & Latia pro majestate referre;
His tamen enitar. Curvo frons ore patescit:
Plurimus & circùm sinuatur densior orbe
Circulus: hunc fusor dicit cognomine gemmam.
Quem propter varium signis collare rigescit.
Astragalus sequitur post hoc tornatus, & orbis
Tormento in medio geminus discrimine certo
Ære laborato protuberat: unus in ora
Qui vergit, minor: assurgit sed grandior alter
In tergum. Hos inter lauro redimita superbi
Cæsaris effigies, Aquilæque insignia regni,
Egregiis insculpta notis, atque arte magistra.
Non longè geminæ, solidoque ex ære recurvæ,
Hinc, illinc senis excurrunt partibus aures.
Quas & tormenti nonnunquam dicimus alas:
Scilicet impositæ quia curribus æra tremenda
Sustentant: geminæque simul stant desuper ansæ;
Attolli quibus, & versari machina possit,
Hæ, gemini Delphines uti, quia sæpè creantur
Fusore; idcircò Delphinum nomine gaudent.
Altera tormenti, quæ pars postica vocatur,
Tergum etiam fabris, Latio dicenda caminus,
Majori turget profusi mole metalli.
Illius extremo manet annulus, aut nitet orbe:
Non uno conus distinctus: plurima & ipsum
Exornat tergum variis armilla figuris.
Desuper & focus est: solido quem circulus ambit
Ære; nitrum teneat pyrium, ne fortè labascat.
Accipit & flammas: & per conclusa meatus
Intima raucisoni sub viscera mittit aheni.

Unde dictæ sint Bombardæ,

Illius figura describitur, & singulæ partes explicantur.

Cujus

Cujus & interior quæ pars & fulmina, nimbumque
Evomit, æquato excurrit protensa canali.
Illius in dorsum, gemina quæ currit ab aure,
Pars gravidanda nitro, turget densissima ferro;
Fortius ut queat erumpenti obsistere nimbo.
Altera, quæ vacuo decurrit ad ora meatu,
(Tormenti Psychen vocitassent nomine Graii,
At nostri; quoniam volat illa emissus ad auras
Ingenti clangore globus, dixere Volatùm)
Tenujor est ære: & decrescit ad usquè supremum
Os, nitri quando minor illàc fulminei vis
Concutit æra, leves jam jam ventura sub auras.

Sed jam quot species; quando non una nocendi
Ars est, sed variæ: varium velut ira, furorque.
Et quoniam damno sunt hæc inventa ferendo;
Idcircò vario de nomine dicta ferarum.
Hic etenim Basiliscus; agit quia funera solo
Obtutu: celeri quia defert ille rotatu
Horrendam per inane necem, Draco dicitur: atque hic
In morem colubri, quia devomit ore venenum,
Et colubrum depictus habet, Ophiucus: & illa
Siren appellata: gravi quæ sculpta metallo
Apparet placido nans æquore: nomine dicunt
Falconem hunc, rapido quia fervidus involat igne.
Hic Sacer, hic Aspis, Falcunculus ille vocatur.

Variæ tormentorum species recensentur, & explicantur.

Sed quæ præcipuè nostro sint tempore in usu:
Exsequar. Objectos quassat quæ machina muros,
Æs (1) murale vocant: vibratque per aëra ferrum
Viginti pendens libras: atque ora patescit
Sex supra digitos: sed corpus longiùs octo
Excurrit pedibus: septem nonnulla: sed illa
Quæ majora, decem, majoraque pondera torquent:
Machina vix poterit vectari in prælia bobus
Bis senis: tantum gravitat sub pondere molis.
Altera tormentùm species, cui nomen ab angue,
Est ingens (2) Ophiuchus, atrox qui sibilat, & qui
Quadraginta globum pendentem vibrat in hostem,
Inque pedes longùm duodenos currit: & ore
Diducto patet ingenti: perque æquora lata,
Martis ad obsequium, vix totis viribus octo,
Vigintique valent illum vectare juvenci.
Est minor alter, agens ictu non murmura tanta:

Præcipuæ species, quæ magis in usu sunt, accuratè depinguntur.

(1) *Cannoni di batteria*, nostris audit. (2) *Colobrina.*

Eque ſinu ferri viginti devomit aſſes.
Atque pedes longo lateſcit corpore denos:
Bis ſeptem trahitur tauris: magis hic minor, æris,
Ore venenato libras intorquet in auras
Bis octo: totidemque pedes vix occupat; acres
Illum Martis equi ducunt, non ampliùs, octo:
Dum campis ineunt acies certamen apertis.

Quæ ſit materia bombardis aptior.

Sed properè inſequitur noſtris tibi tradere Muſis,
Quæ nam materies ſit, Fuſor, idonea habendis
Bombardis. Centum ſinceri præcipe libras
Æris ut accipiant famuli, ſtamnique vetuſti
Ter quinas (ſi tanta tibi non copia, bis ſex
Admiſces) tormenta dabunt diffuſa viciſſim.
Addere quin etiam poteris fragmenta refracti
Æris Campani, mortaria rupta, lebetes,
Et quidquid valet admixtum conflare metallum.
Quod tibi non multum jubeo formarier aſperum;
Acrius ut valeat Vulcano obſiſtere: ſtamni
Si minus immiſces, veniet minus aſpera maſſa.
Aſt ubi ſolliciti tormenta tonantia fabri

Ars conficiendi currus ad ſubſtinendas bombardas traditur.

Perfecere, graves confeſtim robore querno,
Aut ulmo annoſa ſequitur compingere (1) currus,
Æra quibus confecta loces: ſed cædere truncos
Tempore quemque ſuo: validos uti fulminis ictus
Machina continuò poſſit durare, memento.
Inque modum capſæ compingitur: illius una
Sit gravibus impoſta rotis: pars altera terris
Hæreat: obliquum latus intercurrat utrumque,
Bisque pedes ſeptem ſupra, ſed largius uno:
Denſiùs unciolis ſit & octo: in vertice diſtent
Tresque decem tantùm digitos latera ultima currus:
Bisque novem retrò: moles ubi latior hæret
Tormenti: geminum gemino mox aſſere cerri
Necte latus radiis multis, penitusque ſubactis.
Vertice in extremo, quà nectitur armamentum,
Sit latere in gemino ductus de more canalis:
Quo plauſtra accipiant aures; gravitantiaque æra
Suſtentent librata. Subit ſed cominus axis,
Devectusque rotis in pugnam ducitur: ulmo
E dura, aut fago facies: laterique cavato,
Aſſere non longè mox inſere: clavus & illum
Plurimus aſſociet capſæ. Citus inde rotarum

Ag-

(1) *Caſſe de' Cannoni*, quibus machina vehitur.

Aggredieris opus. Primùm, quà concitus axis
Transit, modiolus, solida formatur ab ulmo,
Aut cerro: at radiis bis sex de robore querno,
Vel sint fraxinei: sit querna, aut ulmea summæ
Curvatura rotæ: sed commissura citatum
Circa axem, cono similis, sitque ære refuso:
Sitque rotæ pariter mora ferrea, vique resixa.
His actis, quoniam violentis ictibus æra
Curribus obluctantur, erit tibi cura, magister
Plurima, flammivomum contra munire metallum
Fagineos currus, & robora querna rotarum.
Vestiat idcircò fac ferri plurima canthos
Lamina: fac radius lamnas obsirmet acutus.
Quin etiam totum circùm deflexa per orbem
Ferrea lamna rotas circumdet: multus & illam
Æqua per & spatia, atque oblonga cuspide clavus
Et curvaturæ postica in parte reflexus,
Aspidibus nectat quernis, nexuque tenaci.
Insuper & manicis circùm vincirier æreis,
Præcipe; diducto radii ne forte labascant
Vi circo: tormenta retrò, cùm protinus ignem
Ejaculata, cito pede cedunt, & tremit ictu
Subter humus: circùmque tremunt arva omnia nimbo.
Sed jam tormentis onerandis cætera dicam
Instrumenta: gravi, duroque è robore facti,
Sint varii in primis cunei, vectesque movendis
Curribus, atque ipsis, ut postulat usus, ahenis.
Sitque Onerator, habens incurvam vertice cochlim;
Ut pyrius valeat submitti pulvis in ora,
Cùm fuerit Bombarda citis armanda ministris.
Præterea longus Stipator fronte parandus
Plana, fulmineum qua nitrum cogat in unum.
Adde his Verriculum, quo totam pulvere mundes
Tormenti Psychen: sitque una Ignarius: atque his,
Qua rectà pulsum collimes, junge Dioptram.
Hæc ubi facta, modum, quo instructibus æra reponas,
Machina quæque priùs talem formetur ad usum:
Quod jam subsequitur, non multis versibus addam.
Machina (Capram Itali patrio cognomine dicunt.)
Fagineis truncis, aut querno è robore cæsis,
Eque tribus tantùm tibi compingenda; trigoni
Inque vicem nexis: geminos devinciat asser
Transversus: reliquus summo sub vertice truncus
Illis inseritur, fuso versatilis æreo.
Æreaque è fuso religatur trochlea: funes

Currus contra vim nitri muniendi ferreis fasciis, & longis clavis.

Quæ instrumenta ad tormenta oneranda.

Describitur machina, qua tormenta in curribus collocentur.

Per

Per quam transmissi, ductu multiplice, currant
Alterius subter trochleæ pendentia in orbem.
Insuper in geminis conjunctis assere tignis,
Mobilis, & radiis instructus ponitur axis.
Ast age, fulminea ex ima tellure sub altum
Æra tibi tollenda, superque instructa locanda
Armamenta: rotis valeant sic illa moveri,
Vectarique, feri quò Martis prælia poscunt.
Et qua item arte imponantur. Altera non uno Delphinis trochlea nodo
(Scilicet inferiùs quæ pendet) fune ligetur.
Inde axem circa convolui exordia funis
Præcipe: mox radios famulis versantibus axis,
Grandia tollentur facili tormenta labore.
Hinc & submisso instructu, sensimque rudente
Laxato, accipiet tandem sua pondera currus.
Non aliter, si res tulerit, demittere ab ipso
Armamento in humum poterit tormenta minister.
His actis, properè insequitur labor improbus, æra
Fulmineis onerare globis, & pulvere rauco.
At primùm nitri molem, quam quisque requirit
Traditur modus tormenta pulvere pyrio onerandi. Ictus, erit nostro dicendum carmine. Tantum
Sulphuris accipies, Librator, ahenea quantum
Est pila dimidium, quod habebit ponderis: illa
Quadraginta velut si pendat, quilibet asses
Viginti poscet nitrati pulveris ictus.
Acceptumque cava quem Onerator cochlide portet
Intus in ignivomi stridentia viscera vasis.
Ignea per vacuum mox tu dispersa canalem
Stipatore sinum tormenti cogere in imum
Nitere grana: levi pulsu stipentur & illo.
At ne forte foco prorumpat pulvis aperto,
Alterius digito, vel curvo occluditur arcu.
Hinc ubi grana cava sunt constipata camino,
Pugillum paleæ, fœnive, aut stupea vincla,
Sulphura post glauca immittes, cogesque valenti
Verbere: sic pulvis confertur totus in unum.
Ut perfecta tibi pars hæc, subit altera, longo
Verriculo reliquum vacui purgare meatus:
Purgatoque globum tenui convoluere stupa,
Et mox pila. Inque sinum rauci penitus detrudere aheni.
Utque loco globus insistat libratus eodem,
Aut fœno, aut palea præcinges plurimus illum.
Verùm hac fulmineis gravidatis arte metallis,
Illa subingreditur; neque erit postrema nocentis
Cura operis: certo nimirum intendere pulsu

In

In positum tormenta scopum: res ardua quamquam,
Accipe, Librator, quæ tali instructus ab arte,
Dat præcepta tibi Geometres carmine vates.

Traditur ars tormenta in scopum dirigendi, dioptra prius facta.

Ex ligno, cuprove priùs molire dioptram:
Cujus tormenti collo pars concava quadret:
Pars & crassitiem tergi convexior æquet:
Extenta ut tergus supra, supraque dioptram
Linea recta æquo discrimine distet ab illa,
Quæ medium per tormentum deducitur: arcu
In summo signum facies, quo rectiùs ipse
Collimes; dein colla super lævata metalli
Erectam compone; datum mox inspice in album:
Si radius rectà convergat: si secus æra
In latus hàc, illàc dextra, lævaque reflecte:
Aut sursum, si res tulerit, trahe, sive deorsum;
Ut radius tandem feriat visorius album,

Plurima sed quoniam possunt divertere pulsum:
Nimirum obliquus pendet si currus, & æqua
Non sint mole rotæ: si lamina densior, aut si
Vertice plus justo clavus protuberet extra.
Idcircò solers curato impensiùs, illa
Ut vigil amoveas è jactu incommoda: recta
Quin & libella tormenti utramque necesse est
Sic librare aurem, ut sese super æquore tollant
In longum hinc, illinc æqualibus intervallis.

Quæ in collimando incõmoda vetanda sint.

His super, ignivomis quoniàm vibrata caminis
Ferrea glans, duplici diffindit inane volatu,
Nimirum recto, Vulcani percita pulsu,
Obliquoque, suas cùm sensim tempore vires
Impetus, externo qui fit motore, remittit;
Et nativa gravis vis prævalet; inque deorsum
Paulatim genio naturæ fertur: & ultrà
Quo magis excurrit, primo magis impete presso,
Inclinatur: erit postquàm consumptus & omnis,
In terras recto descendit tramite ferrum.

Spectandus & pilæ motus, qui principio rectus, mox obliquus ultra DC. passus.

Quæ cum sic habeant, positum, Librator, in album
Sexcentos intra passus si dirigis ictum
(Scilicet à Vesta quantum vis indita durat)
In fixum tormenta scopum converte dioptra.
Longiùs at signum si sit, tum surrige supra
Æra scopum: cursu sic declinante deorsum,
In signum pila directùm contorta tonabit.
At quoniam obliquo dum persecat aëra ductu;
Mille, & bis centum nitro pila fervida passus
Tempore non longo percurrit (quidquid enim ultra

Progreditur, languente vigor vix impete restat)
Idcircò spatii pro conditione, tremenda
Dispones tormenta scopo plus, aut minus alta.
Verùm hæc percurrens dumeta haud vatibus æqua,
Ad jactus quæ multa tibi conferre, Magister,
Librandos hostem contrà, vel mœnia possunt,
Exequar, invitæ quamvis ad carmina Musæ
Per salebras veniant istas, inamœnaque Tempe.
In primis, quæ fauce pari tormenta patescunt,
Quæ sunt longa magis, longè magis ejiciunt æs.
Scilicet accensus majori tramite pulvis
Dum ruit inclusus, prorumpere nisus ad auras,
Vi pariter maiore globum jaculatur: & ille
Longiùs, ingenti protusus ab impete, currit.
Quin etiam, quæ longa magis, magis illa metallo
Ditia; plus igitur luctantur pondere vasto.
Sic virtus & tota globum Vulcania pellit.
Præterea vastæ quæ molis ahena, rotatu
Emittunt majore pilas; quia fortiter illa
Erumpentem ignem graviori mole morantur:
Sicque olli major qua pervolet, imprimitur vis.
Non secus ac torrens, sepes quem plurima tardat,
Amne ruit valido, cum tandem vincula rupit.
Hinc etiam quæ densa magis tormenta, flagranti
Vulcano obsistunt nisu majore, globumque
Explodunt longo tractu. Pila major eadem
E canna vibrata volat longissima, magno
Pondere, quam minor, & quamvis sit plurima: quando
Illa magis grandi obluctatur corpore nimbo:
Occluditque simul totum interposta meatum:
Succensus ne quà pulvis prorumpat: & ipsa
Vim portentifero non tantum sumat ab igne.
Hinc globus è plumbo foret aptior: at minor ictus;
Cedit enim mollis. Sed quis fugientia tardat
Fulmina tormentis excussa tonantibus? antro
Missus ab Æolio pennis pernicibus Eurus.
Non equidem, non fallor, erat qui flamine tantum
Posset opus tentare; suo ciet aëra motu,
Atque globum in latus obliquat, vel tardat euntem;
Verùm id præcipuè, medio sublata quadrante
Cum sunt ora; pilæ quoniam tum semita jactæ
Est obliqua magis, sub cursum & pigra supremum.
Disce, lacus etiam pigri, turpesque paludes,
Fulminaque, & vivi fontes tardare pilarum
Pernices potuere fugas: nam plurimus undis

Varias tormentorum in jaculando naturas doctè prosequitur.

Globus è plumbo aptior, se cedit mollis.

Venti tardant ictum.

Item & stagna, ac paludes, & cur?

Assur-

Aſſurgens vapor ex illis, circum aëra denſum,
Et multo pariter gravitantem pondere reddit.
Craſſior ille globo venienti obſiſtit: & ingens
Indita ſit quamquam vis ſulphure, ſe tamen illa
Aëra tardari ſpiſſo, & torpente vapore
Sentiet: ut volucres etiam, ventumque, vaporemque
Ut contra nitantur, agunt ſe lentiùs: at cùm
Aëra pacatum nimbis, nebuliſque vacantem
Percurrunt, per inane volant pernicibus alis.

Inſuper, è pelago ſi ſit Catapulta ſub oram
Exploſa, eſt ictus vehementior: in mare contra
Litore ab undoſo reboet, minus incitus: idem
Aër cum ſit, idem & ſpatium, quod currit uterque,
Diverſi tamen effectus diverſa petenda eſt
Cauſſa, per ignotos dum calles, perque repoſta
Naturæ vigili ſpeculatum mente vagamur.
Illam, ſi quidquam poſt carmina, poſtque figuras,
Rebus in his valet ingenium, tibi reddere Vates
(Naturæ qui ſæpè petunt penetralia Myſtæ,
Atque omnes rerum cauſſas rimantur, & ortus)
Enitar paucis: nam me divertere clivo
Haud operoſa ſinunt ſuſcepti munera belli.
Et quando ſtudiis verſatus, & arte Minervæ,
O precor, ò adſis Vati dux, inclyte THOMA,
Inque abſconſa viam Naturæ limina pande.
Eſt levius quoniam ſabuloſo in litore cœlum,
Denſiùs at pelagi medio, minus ictibus aër
Idcircò obſiſtit ſub litora: & ignea nitri
Vis minor in primo calet impete: cùmque recurrit
Sub ſinem nebulis vapidam Thetin, & cadit ille
Paulatim vigor ignigena, obluctator eunti
Tum ſpiſſum occurrens cœlum, curſumque retardat:
Marceſcuntque globi vires, & pulſus hebeſcit.
E mediis aſt æra pilas dum litus in altum
Ejaculantur aquis, nimium denſiſſimus aër
Deluctatur; & idcircò ſuccenditur omnis
Extemplo pulvis: vis creſcit flammea primo
Erumpens motu, ſervatque in ſine tenorem:
Namque olli minus obſiſtit tenuiſſimus æther.

E mari exploſa tormenta longiùs pilam jaculantur: è litore in pelagus non ita: & qua ex cauſa.

Hic neque prætercam, majori verberet ictu
Cur pila marmoreas turres, quàm mœnia querna,
Per liquidos latè Nerei currentia campos.
Saxea nimirum obluctantur, pinea cedunt
Mœnia: ſic pariter venientes verbere pinus
Ærea prævalido pulſant tormenta: velut qui

Cur pila majori ictu muros feriat, quam naves: & hæ venientes verſus tormenta graviùs vulnerentur.

Obvius occurrens vehementiùs excipit ictum.
Cùmque fuga se proripiunt, catapulta minori
Percutit abiegnas vi turres: ensis acuti
Ceu quis dum celeri saltu se subtrahit, imis
Haud ferrum bibit in fibris. Sed flectere Musæ
Insueta cursum coguntur ab arce Minervæ.
At non Parnassi, vel amœna invisere Pindi
Concessum juga, Pieridum lustrata choreis,
Nec sacras umbras nemorum, jucundaque Tempe.
Aspera stat cursu conscendere montis, & oras
Hactenus intactas, gressus quò nulla priorum
Intulit Aonidum, quamvis animosa, sororum.
Quare agite, ò Musæ, Bellorum munera quando
Tractatis, radiique juvant, & circinus, artem
Tradite, Librator valeat qua vertere in hostem
Pro vario tormenta situ: nam non ego cuncta,
Ni vestram præbetis opem, percurrere possum.
Tuque adeò, præclare, veni mihi Phœbus, AQUINAS,
Atque tuo vires trepidanti suffice Vati,
Quandoquidem sub mente tenes, quæcumque Magister
Arte Syracosius mira monstravit: & orbem
Terrarum, radioque fretum metiris, & astra.

Musas in re difficili invocat.

Et Mæcenatem uti Apollinem AQUINATEM.

E nuce sublustri primùm, cuprove tabellam,
Nonaginta cui sua per discrimina partes
Hinc inde inscriptæ minio, vel cuspide acuta
Insculptæ, facito: lateri mox regula summo,
Quæ parte ex una quadrati longiùs extet,
Glutine sit rectâ, radiove adnexa tenaci.
E medio (centrum Geometres nomine dicit)
Suspensus filo solidus dependeat orbis
Plumbeus, aut cupro fusus: quibus arte paratis,
Accipe, librandis qui sit nunc pulsibus usus.

Ars traditur conficiendi quadrati.

Et primùm, bombarda tibi si recta locanda,
Ut Finitorem discrimine semper eodem
Emissus per inane globus percurrat, in ora
Regula tormenti mittatur aperta, quadrati
Ut latus extensum plano superincubet æris:
Hinc tollenda tibi, vel demittenda, subactis
Hàc, illac cuneis, aut si res postulat, illis
Subductis; ut recta suo cum linea plumbo,
Congruat in medium circi: sic angulus ille,
Virgula quem faciunt quadrati, & pendula fila,
Rectus erit: pulsusque simul rectissimus ibit.

Et modus illo utendi ad dirigenda tormenta ad ictum rectum.

At verò obliquo si sit gravis ære rotatu
Per certas sursum partes pila, sive deorsum

Et ad obliquum, per certas partes sive suprà, sivè infrà collimandum.

Flam-

Flammivomis vibranda tubis, ſtet virgà quadrati,
Ut modo te docui, ſtridentis in ore metalli.
Mox eſt ſolicitis, cuneoque, & vecte miniſtris
Inclinanda ſolo, ſive attollenda ſub altum
Machina vaſta, cadens ut filum deſuper, arcum
Sic ſecet, ut partes inter virgamque, globumque
Pendentem filo, tot ſint, quot juſſus habere
Angulus, obliquo qui raucum dirigit ictu
Tormentum: ratio cùm ſit clariſſima facti,
Quæ meliora ſequar, Martisque aptantur ad uſum.
Et cur fulmineis ratio non ictibus una
Principio expediam. Dum ſtant erecta ſub altum
Æra coruſca; ferit turres violentior ictus.
Namque ſuo globus obluctatur pondere curſu
In ſublime: capit majores igneus ardor
Idcircò vires: creſcitque reſiſtere niſus.
At cùm prona ſolo jaculatur ahenea fulmen
Machina, tum genio naturæ fertur: & igni
Vix globus obſiſtit gravitate: hinc illa tremendi,
Oppugnante cadit nullo, vis pulveris: ictus
Et minor eſt: recta ſed dum bombarda remugit,
Tunc modica virtute quatit pila concita muros.
At quia, quam celeri findit via recta, volatu
Longa minus; validis idcircò pulſibus arces
Ut ferias, tormenta illis propiora locato.
Jamque cavenda tibi (neq; fas tranſmittere, acerbam,
Quæ vitare queunt ſtragem, vitamque tueri)
Quæ ſint; ne vitio catapulta effracta per auras
Diſſiliat: medium Spyche producta metallum
Ni teneat ſpatiis æqualibus: inter utrumque
Semper ut æqua latus ſint intervalla: camino
Ne globus egrediens obliquum incurſet: & ipſa
Diſrumpat tormenta, cavæ ſi forte lacunæ
Per mediam fuerint Spychen, perfringere poſſunt
Bombardas, ſolido conſtent licet ære; ſub illis
Quin etiam perſæpè latet ſcintilla cavernis:
Quæ, cùm tormenti in gremium portentiferum ſal
Conditur, accendat momento: & deflagret ignis.
His ſuper, hæc caſu poſſunt difflare Ophiunchum:
Cornutus ſi forte globus ſubit ora, ſub imum
Vel cadat obliquus: nam ſic depellier illo
Nulla vi quibit; pulviſque accenſus, iniquo
Objice diſcluſus, quod reſtat, disjiciet vas.
Quin etiam exiguus fuerit ſi forte lapillus
Æs, interque pilam; nam ſic Vulcanius illàc,

Diverſitas ictuum explicatur, & cauſſa redditur.

Quæ cavenda tormentario ſint in explodendo.

Quæ ſint, quæ diffla re metallum poſſint.

Disrumpet, pulvis aditu interclusus, ahenum.
Quæ cum sic habeant, cautè observare memento,
Si sit fusa fabris perfecta machina forma:
Si globus æqualem fuerit tornatus in orbem:
Et ne tormenti mittantur in ora lapilli.
Sed jam flamma vocat tormenta: evertere nimbo
Fulmineo turres certum est, inimicaque castra.
Ergo age, nitrata valeas qua reste metallum
Arte foco admota succedere, percipe nostro
Carmine, Librator: stans dextra in parte locati
Instructus, dextraque tui simul æra reflexi
Aspiciant humeri: dextraque interritus ignem
Sulphurea, & pilo præfixa in reste teneto:
Ipsa sed astantem prospectent ora magistrum;
Ut simul accipere, atque accepta facessere jussa
Continuò possis. Si præcipit ille, favillas
Excusso de fune foco da protinus: & te
Ilicet, incumbens lævo pede, subtrahe saltu;
Ne lędant tormenta, retrò dum pulsa recedunt.
Nam globus, ut primùm protusus pulvere cursum
Arripit, atque cavi perrumpit claustra meatus;
Continuò pariter refluo pede pulsa tremenda
Æra retrocedunt: fugientes impete eodem
In diversa globus, currusque moventur eodem
Momento pariter. Verùm quæ cura magistro,
Ut famulos jubeat pulsu calefacta frequenti
Martia frigidulis tormenta remittere guttis
Præscribam. Velut æstivo sub Sole viator,
Cum motu incaluit multo, torrente calorem
Temperat epoto, calidosque refrigerat artus.
Ignea, ni faciat, misero ferventia tabes
Corripiet membra, & febri tabescet acuta.
Fervida non aliter crebrò Bombarda rotatu,
Est opus, ut nimios hausto torrente calores
Temperet; immenso ne disrumpatur ab æstu,
Idcircò denis quoniam, non ampliùs, hora
Ictibus ingenti resonat clangore; volantes
Ut triginta globos, ceu fulmina, torsit: & horas
Tres Sol exhausit, cœlo currente quadriga,
Viscera fluminibus sic tu calefacta remittes:
Claude focum digito: clausoque per ora refunde
Irriguos fontes: quos, ut tepefacta parumper
Illa fuere, cavo fac egerat ore minister.
Proderit, & capri ferventia pellibus æra
Integere, egelidis latè rorantibus undis.

Qua arte tormenta explodenda.

Tormenta identidem aquis refrigeranda.

Idque post triginta ictus faciendum.

Sed

Sed cura, ut fervens involuat vellus ahenum,
Ut penitus bibat humorem. At non aptius ullum est
Quod fervescentes Ophiunchi attemperet æstus,
Quàm quod vel montes diffindere quivit acetum:
Illius ergo duas famulos miscere metretas
Najadis egelidæ, Librator, præcipe ternis:
Inque sinum calidi tormenti infunde liquorem.

Acetum ad refrigeranda metalla optimum.

At mihi vos, Divæ, quæ regna umbrosa tenetis
Ditis inaccessi, tacitisque erratis Avernis,
Dicite, qui primus furvo Cyclopas in antro
Hæc nova bellorum fusis tormenta metallis
Cudere perdocuit? quique usus primus in hostes
Re super insueta attonitos direxit: & ipsum
Audax è terris in cœlum fulmina torsit?
Dicite, quandoquidem vobis hæc cognita, Divæ:
Qui pro falcatis, currus dedit ære tonantes,
Fulmina pennata pro cuspide: proque bicorni
Ariete, & ærato muris pro vecte ruendis,
Pernices per inane globos, & fulmineam vim?
Namque hæc irarum cùm sint inventa, ferique
Instrumenta odii, multo saturanda cruore,
Vestra quidem, Divæ sunt munera, vos ea Vati,
Non obscura ævo (namque hæc insania priscos
Haud equidem pervasit avos: fuit illa minorum
Quippe ruit senio in pejus Natura labescens)
Tradite, ut heroo valeat depromere cantu.

Musas invocat, ut sibi aperiant, quis primus tormenta ignea invenerit.

Clarus AQUINIADUM cretus de sanguine quondam
Rex fuit, Eumenius Graiis, Landusque Latinis
Dictus, qui Capuæ ditissima rura tenebat,
Auruncasque arces, & prisci mœnia AQUINI:
Totque minas inter bellorum, interque tumultus,
Tota quibus jactata mari, terraque fremebat
Italia, infandasque neces, stragesque suorum,
Et tristes ignominias, & funera flebat.
Ipse suis securus agris, atque arcibus altis,
Palladis ægregias artes, & amica secutus
Otia Musarum, tranquilla in pace sedebat:
Non secus horrendæ, cùm turbavere procellæ
Æquora, & immensi montes volvuntur aquarum;
Hac, illac nimbis, & tempestatibus actæ,
Velivolæ in vasto jactantur gurgite puppes,
Auditur longè nautarum clamor, & omnia
Undique luctisono resonant permixta tumultu:
Si qui tum sedet in scopulo, non prensus ab unda;
Naufragii vacat ille metu, tutusque sub antro

Quod non ineleganti fabula in Mæcenatis gratiam exequitur.

Astræos

Astræos ridet vertentes cærula fratres.
At quoniam nihil invidiam livore maligno
Accendit magis, & stimulo vehementiùs urget,
Quam miseros inter cùm quis feliciter annos
Ducit, & ignavos fama supereminet; & cùm
Secura statione sedens immunis ab armis,
Gaudet pace; alios dum vexant horrida bella.
Qui non arma capit, reliquis pugnantibus, hostis
Ducitur, & mores qui non sectatur iniquos,
Et sapit, una omnes quando dementia cepit,
Improbus hic est, hic hominum contemptor habetur,
Contemptor legum: nam quod commune, nefandum
Sit quamvis, licitum facit usus: & hic modo lex est.

Timaleon Cumarum Rex, Eumenium Capuæ Principem bello appetit.

Invidiæ stimulis igitur liventis, & acri
Ira, odioque furens qui proxima regna tenebat
Cumarum, & Baulos, & olentes sulphure Bajas,
Arma capit, rituque vagi prædonis in agros
Vitiferos Gauri irrumpit, collesque Falernos:
Lætaque Vulturno populatus rura, sub arcem
Se patriam rediens cùm præda includit abacta.

Eumenius in illum copias ducit, cumque expugnari prærupta in arce conclusum non posset, Phlegram pergit.

Tum Rex Eumenius; qui quantum Palladis arte,
Tantum bellaci virtute insignis, & ausis,
Surgit in arma ferox: regnoque è divite pubem
Cogit, & æquoreas Cumarum tendit ad oras.
Hic ubi turritis conclusum ripibus hostem
Vidit, nec campo pugnam committere aperto
Velle, vago solitum prædonis currere ritu;
Sic socios affatus ait: Non barbarus arma
Non mea Timaleon (hoc Regi nomen iniquo.
Et patrio pariter dictus sermone Manetes;
Nimirum furiis quia sæpè tumebat, & ira)
Nec vestræ, socii, vitabit robora dextræ.
Nec putet, abruptis quod rupibus incolat arces,
Idcircò secura metu sua regna manere.
Est hic Phlegra mihi, cujus sub rupe camini
Sulphure perpetuò fumant, nitroque tonanti.
Hos centum Cyclopes habent, quibus igne metalla
Fundere cura, novis & conformare figuris:
Et ni falsa mihi modò retulit ipse Pyracmon,
Ingens tormentum multis meditantur ab annis:
Quod tonitru ingenti reboans, flammaque relucens,
Ferrea deque sinu contorquens fulmina, gentes
Territet attonitas, atque ipsas territet arces.
Hæc ubi, Phlegræos graveolentes sulphure campos
Ingreditur, penitique subit loca fumida montis:

Exi-

Exiguus quà callis iter ſub rupe cavatus,
Ambages inter cœcas, flexusque recludit.
Utque ſpecus ventum eſt imum, quà fornice magno
Concava Phlegrææ curvantur viſcera rupis,
Obvius ipſe viro Vulcanus, & ilicet omnis
Turba venit Cyclopum, ære, & fornace relicta:
Et quæ cauſſa, rogat, Phlegræas viſere ſedes
Impulerit. Contra Eumenius ſic ilicet orſus,
Vulcanum aggreditur (cujus Cyclopes ab ore
Soliciti pendent, dederit quæ juſſa parati
Protinus explere, & nullum vitare laborem)
Huc opis ipſe tuæ veni, Rex maxime Lemni,
Indignus: & veſtram poſco Cyclopes: & illam
Ferte citi; noſtris quando conſidere in arvis
Sorte datum, & noſtra, quæcumque eſt, utier arce.
Eſt hic Cumarum, cui regna ferocia patent,
Atque Pithecuſæ, Neſisque umbroſa viretis,
Auſoniæ infenſus toti: mihi ſemper & uni
Æmulus, invidia, famæque, & faſcis avorum,
Ac propriæ virtutis, equis velocibus agros
Nuper Campanos populatus, & arva Falerna,
Jam ſe Cumana cum præda incluſit in arce:
Seque intus tenet, & pugnam devitat apertam.
Nimirum juſtæ non ſunt ad prælia vires
Prædoni infami, clauſusque patentia vitat
Camporum ſpatia, & certam committere pugnam.
Scilicet abruptis, quæ jactiat oppida ſaxis,
Quæ pulſare acies, quæ machina rumpere belli
Nulla valet, tantos animos, viresque miniſtrant.
Quare age (namque modo dabitur quocumque ſuperbum
Stat fixum, immotumque animis ulciſcier hoſtem)
Divina præſtas ſi quidquam, Mulciber, arte
Fac tormenta, ipſas quæ ſcindent fulmine rupes,
Et totas imis evertant ſedibus urbes:
Quæque ab Rege graves ſumant ultricia pœnas.
Dixerat: & contrà ſic fatur Mulciber olli:
Jam Sol, Eumenie, (has quando deſcendere in oras
Es dignatus, opem, quæcumque eſt poſcere noſtram)
Bis ſex Signiferum luſtravit curſibus, ex quo
Hac ignota tenus noſtris tormenta caminis,
Vaſta, horrenda, ſinu quæ magnis fulmina bombis,
Et cuneos vibrent flammarum, authore Gradivo
(Ille etenim primus formidandam extudit artem)
Et cura, & magno meditamur fingere ſumptu.
Nulla in perniciem mundi fabricata ſub antris

Vulcanus ob viam venit. & Cyclopum miniſteria offert.

Illi Eumenius rem omnem ab exordio narrat.

Vulcanus, quæ jam Cyclopes moliebantur tormenta, ſe ei daturum promittit, eaque quæ ſint explicat.

Ma-

Machina Tartareis hac eſt feralior unquam.
Illa tonat, flammas, & ferrum fulminis inſtar
Intorquet gremio: nec pulſu ſola virorum
Corpora mille uno diſcerpit: at ipſa quadrato
Marmore ſint quanquam, diſrumpit mœnia; tanto
Impete vaſta jacit pyrii vi pulveris æra.
Namque ſinus pyrio repletur pulvere: & illo
Accenſo, ſtrepit horrendùm, flammaque relucet:
Et quatit attonitas intorto fulmine gentes.
Ceu Pater Omnipotens cùm ſumma iratus ab arce,
Et tonitrus ciet horrificos, & fulgure flagrans
Aſſiduo, trifidosque è nubibus evibrat ignes.
His uti poteris meditata in prælia; quando
Omnipotens fortuna, & Mars tibi deſtinat illa.

Mox Eumenium in Phlegræ penetralia ducit.

Hæc ubi dicta, virum Phlegræ in penetralia ducit,
Plurimus arcano quà fumat ab igne caminus.
Namque hic materies, dictu mirabile! nulla,
Nulla, vel arſuris præbentur pabula flammis:
Nec Cyclopes alunt torpentem follibus ignem
Verùm perpetuò gremio telluris ab imo
Per cœcos, vi facta, aditus erumpit in auras.
Quod mirum & magis eſt, non flamma abſumit edaci:
Cuncta licet tacito ſerpens fervore perurat.
Eſt etenim miſeros idem, qui Dite miniſtro,
Horrendùm ſontes ſub opacis torquet Avernis.
Huc ubi perventum, cœcas abſiſtere flammas
Vulcanus jubet: & denſum ſubſidere fumum
Tartara ſub tenebroſa: gravemque expellit odorem

Hic novum inventum Vulcanus Eumenio oſtédit, qui mirum ſane opus admiratur.

Sulphuris. Eumenio mox curru impoſta tonanti
Oſtendit tormenta: oculis ſitientibus ille
Inſolitum miratur opus, operisque laborem:
Et cœlata novo miratur ſigna metallo.
Namque omnem in medio Campanam Mulciber oram
Sculpſerat: & longa totum Cratera corona
Curvarat, vitreasque ſinu cælaverat undas.
Mirum opus: & dextra dignum, ingenioque magiſtri.

Omnem in illo Campaniam Cyclopes ſculpſerant.

Hic medius gemino ſurgebat vertice in auras
Vesbius, hoc circùm ſylvis redimitus, & illo
Horrida ſub cœlum flammis incendia ructans.
Hinc Pompejanum, veteres per & Herculis arces
Cernere erat ſubita trepidas formidine gentes
Errare: & refugo nonnunquam viſere montem
Obtutu: ſubitoque oculos avertere flammis.
Non longè dextrà præcinctus arundine glauca
Per campos leni currebat murmure Sarnus.

Il-

Illinc & Stabias, & amœna in colle vireta,
Et Vicum, & ſemper lætum felicibus umbris
Surrentum, & propter (1) Campeſtria pinxerat arva.
Hic virides inter ſcopulos, & opaca phaſeli
Antra videbantur vitreos diffindere fluctus.
Et qui forte ſinu Cholomelidis otia Vates
(Urbis, & ingrati pertæſus jurgia circi)
Dulcia captabat muſcoſo in vertice ad umbram
Conſidens: Zephyrique afflatus mollibus auris,
Difficiles artes, & prælia dura canebat.
Ingenui circùm pueri, pulchræque Camœnæ
Murmure plaudebant læto, ſertumque parabant,
Candidus & ſupra nive mons ſurgebat: ab illa
Dictus & indigenis mons eſt (2) Lactarius: illi
Inque globos, cumulosque nivem ſtipare videbas
Cura homines multa, magnasque implere lacunas.
Mox opere expleto menſas ornare: famemque
Jam toſto ſedare bove, ardentique Lyæo.
Inde ſinus (3) Pollj, Grajæque inſculpta Minervæ
Delubra: & colles venator plurimus inter
Apricos cælatus erat, perque uda vireta.
Ille coturnicem prævestigante canum vi
Baliſta, aut ſclopo dimiſſa glande petebat.
Collibus in ſummis expanſo hic rete, canoram
Ille & ficedulam ſignabat in arbore: nitroque
Ilicet accenſo cedebat miſſile plumbo.
Vertice ſed ſummo falconem (4) Veſpolus arte
Captabat mira: & ſocii clamore favebant.
Hic & olivifero non longè à litore, muſco
Præcinctum caput attollebat ad æthera (5) Vervex.
Plurima quem propter piſcoſo in gurgite cymba.
Contrà æſtu modico præterlabente remotæ,
Spumoſo Capreæ canebant undique fluctu.
Parte alia extento vernabant æquore campi,

(1) *Il Piano di Sorrento*, Felicis Campaniæ feliciſſimus tractus frequentibus vicis habitatus, ac rure excultus, in quo ſita eſt Domus Societatis Jeſu in loco ameniſſimo, cui vulgò, *la Cocomella*, nomen factum.

(2) *Faito*. (3) Sinus inter duo Promontoria peramœnus, ubi villa Pollii Felicis, à quo nomen vulgò factum eſt. (4) Marcus Veſpolus Vati amiciſſimus, inter ejus tractus incolas, & divitiis, & nobilitate primus.

(5) Scopulus contra Maſſam ad Delubrum, piſcoſiſſimus.

Per quos, vicino veniens à fonte Libullæ,
Irriguis Sebethus aquis cratera petebat.
Hic virides circùm ripas, mufcofaque ftagna,
Plurimus herbofis olitor curfabat in hortis.
Hic olera, hic nitidos flores, hic poma legebat.
Hic ducebat aquam, & fitientia prata rigabat.
Ille maritabat vites folertior: altam
Hic vertebat humum: viridi fub tegmine fagi.
Ille jacens fervabat oves, & inertia dulci
Otia fallebat cantu, calamoque canoro.
Hinc, ubi vitiferi molli confurgere clivo
Incipiunt colles, regales fculpferat ædes,
Marmoraque, & fontes, vitreasque in fontibus undas:
Et picturatos fignis effinxerat arcus.
Hinc quæ Sirenis via longa inducit ad urbem,
Arboribus circùm præcincta, & mollibus umbris,
Fontibus & poterat liquidis ornata videri.
Poft ipfos longo colles curvaverat orbe
Mulciber: ipfa velut picto Thaumantias arcu
Verficolor, cœlo fefe decircinat Iris.
Horum in declivi, pandique è more theatri,
Pulchram Parthenopen, pulchro cælaverat arcu:
Atque omnem folers hic ille impenderat artem.
Cunctas quippè vias fua per divortia, & omnes
Illarum flexus, palatia fingula, & ædes,
Et fora porticibus circùm redimita fuperbis:
Et turres, atque alta tholis delubra deorum,
Et nitidos fontes, & marmora: perque plateas
Hàc, illac poteras errantes cernere gentes.
Quin etiam portu naves effinxerat: ipfum
Molibus & magnis, jactisque in gurgite pilis,
Extructum mediis portum formaverat undis.
Cujus in extremo furgens altiffima cœlo,
Nocte pharos nitidam fpargebat flammea lucem.
Hinc Megaræ turres vitreo præcinxerat æftu:
Et Lucullanos juxtà depinxerat hortos.
Ora videbatur pofthinc & (1) Olympis, ad auras
Felices Zephyri, Solisque cubilia currens:
Atque diem verfa in medium, quà læta falubri
Temperie, & molli Tyrrhenæ Doridos unda eft.
Collibus ad dextram latè obvallatur apricis:

Parthenope graphicè in tormento infculpta, hic depingitur.

Et

(1) Ora amœniffima, & aprica inter Lucullanum, & Paufilypum extenfa, vulgò popularium vocat, *Chiaja*.

Et gelidos Boreæ flatus, & frigora nescit.
Litore sed medio, quæ se longissima ad usque
Pausilypi extendit colles, antrumque Dicharchi,
Amplaque latescit quadrato semita saxo,
Arboreis præcincta comis, & plurima fonte
Exornata: novo fulgebat viva metallo.
Magni clara animi mansura in secula semper,
Cerdiade (1) monumenta tui, cui regia Siren
Parthenope, pro tanti operis molimine, grates,
Persolvet memor, atque æternos reddet honores.
Hic etiam mira cælaverat arte quadrigas;
In quibus invecti proceres, patresque togati,
Captabant placidas Zephirorum, & Vesperis auras.
Illius extremo sub monte incisa patebat
Crypta, Dicarcheam via quà deducit ad urbem.
Magnum opus,& veterum,ut perhibent, monumenta Pelasgum.
Cujus in ingressu dextra de parte sepulchrum
Vatis Mantoi, (1) laurumque insculpserat: illam
Spontè ferunt tumulo innatam; qua nempè superbi
Præcingi cineres possent, Manesque Maronis.
Hinc se curvabat medium projectus in æquor
Pausilypus: semperque jugo peramœnus, & unda.
Illius incurvo quæ litore plurima surgunt,
Magnifico luxu fabricata palatia: & Acti
Fecerat aprico sub vertice Mergellinam.
Quin etiam querulo meditantem carmina plectro,
Retia dum socii ad litus piscosa trahebant,
Alta infelicem finxit sub rupe Lyconem.
Cernere erat liquidis in fluctibus uda secundùm
Litora depictos auro, minioque phaselos,
In quibus heroes ducebant otia, & auras
Captabant: reliquum sterni per litora vulgus.
Pausilypum juxta Nesis frondosa virebat,
Cognita Pellæis & quondam Euplæa carinis.
Inde Dicarcheos nitido cælaverat ære
Egregia Deus arte sinus, urbemque Dicarchi.
Desuper incano fumantem vertice Phlegram,

Olympia ora describitur.

Et Mergellina.

(1) Aloysius la Cerda Methymnæ Dux, Neap. Prætor.
(2) *La Gajola* incolæ dicunt, veteres Euplæam, quia naves ex Ægypto Puteolos venientes, ad eam insulam cum appellerent, felicem navigationem sibi gratulabantur.

Puteoli, & vicina loca insculpta recensentur.

Vulcanique (1) Forum præcinctum rupe: minister
Multus ubi nitrum, sal, sulphura viva coquebat.
Vitibus & (2) Gauri juga læta: & valle reposta
Hinc fluctus, (3) Aniane, tuos, fontemque salubrem:
Atque vaporantem vicino è collo mephitin.
Parte alia Bajas, & aprica cacumina montis
Miseni, & Baulos, piscosaque stagna Lucrini.
Non longè Elysios, & opacum fictor Avernum
Fecerat, & Phœbi delubra, ædesque Sibyllæ.
Quin & Romani quæ circùm plurima quondam
Venturo monumenta ævo posuere superbi,
Et vastas medio fabricatas gurgite pilas:
Ac varios quotquot medicantur balnea morbos.
Post (4) urbs, Chalcidicis quondam præclara colonis,
Tyrrheni propter fluctus, & colle feraci:
Atque Pithecusæ Cumarum ab litore quondam
Ingenti, ut perhibent, motu telluris in altum
Projectæ: Prochyte propior, formosa viretis,
Longior Inarime, Baccho lætissima: cœlo
E cujus gremio turritus surgit Epomeus;
Atque indignantem premit alto monte Tiphœum.
Præterea geminas insculpserat æquore classes,
Quæ totum, quamvis latum, Cratera replebant.
Navibus, & pugnam magno fervore ciebant.

Geminæ classes in eodem tormento cælatæ, altera Saracenorum, altera ex Neapolitanis.

Surgentem ad Solem quæ pugnatura, locarat
Se, bombo ingenti resonabat: & igne corusco
Sæpius ardebat: vibrare & fulmina in hostem
Crebra videbatur, cœlumque obtexere fumo,
Altera, in Occasum longo sinuata sub arcu,
Quæ gemino sese cornu tendebat, iniquo
Marte premi, proras & jam torquere refactas;

Amalphitanis, & Cajetanis conflata, ut Romæ periclitanti opem ferret.

Fulmine nimirum, nimboque oppressa tonanti.
Inque illam cuneos flammarum ventus agebat.
Præscius has classes venturi Mulciber ævi,
Finxerat; Eumenio miranti prælia, & artem,
Et jamjam cupido Fatorum arcana tenere,
Sic fatur. Tempus veniet, cùm Maurica pubes,
Trinacriæ spoliis, palmaque insignis Ibera,
Invadet dominam signis victricibus urbem:
Et premet obsidio: triplici tum fœdere gentes,

Au-

(1) *La Solfatara* à sulphure sic vulgus appellat, quod ibi conficitur. (2) *Monte Barbaro*.
(3) *Il Lago d' Agnano*. (4) *Cuma*.

Auxilium Romæ laturæ, in bella coibunt.
Nimirum quæ Parthenopes nova mœnia, & arces
Incoluere: tenent quæ claram pixide Amalphim:
Quæque tuos, Cajeta, ſinus, portumque frequentant.
Parthenopæus erit dux claſſis: & ille ſuperba
Stirpe tua veniet, THOMAS cognomine: & unus
Cunctorum laudes, titulosque æquabit avorum.
Qui patriis ſurgens jam nunc generoſus in armis,
Aſpice, Centauro ut vectus, premat ignibus Afros:
Atque novis totam tormentis undique claſſem
Disjiciat: quot roſtra volant diſtracta per auras: Arabes victi.
Quotque rates pelago merguntur, & igniferum ſal
Quot vaſta in mediis incendia ſuſcitat undis!
Et tot victorem populorum, totque ſuperbum,
Oceano latè partis, terraque triumphis,
Prædatorem Arabum, atque ingenti claſſe potentem,
Tres tantùm vicere armis ſocialibus urbes.
Nempè tot Auſoniæ ſunt in certamina vires,
Unus amor ſocio cùm gentes fœdere jungit.
Quin etiam & tempus veniet (ſic volvere Parcas
Accepi) quando ſola hæc concordia priſcum
Reſtituet decus. Imperium Romanus habebit,
Et leges iterum dabit Orbi Roma ſubacto.



BEL-



BELLICORUM
LIBER SEPTIMUS.

AST agite, & trepidas Vulcanum quæ ſuper urbes
Æra vomunt, pyrioque involuunt omnia nimbo,
Protinus, invitæ quamvis, exponite, Muſæ.
Nam nec Pierides, nec carminis author Apollo,
Ipſa nec, horrifica quamquam fremat ægide, Pallas
Inſtumenta volens tam barbara dicere poſſet,
Hæc decet Eumenides infanda docere, maligna
Quarum ope Tartareis nuper fabricata cavernis,
Perniciem in mundi, ſuperas venere ſub auras.
Ergone mortales tanto exſaturata veneno
Corda gerunt? mites ſic ſenſus exuit omnes
Natura, & tantùm furiis torquetur iniquis?
Manibus à Stygiis ut vix adhibenda ſub Orco
In miſeros ſontes tam dira inventa dolorum,
Luce ſub hac Solis furiata exerceat? O quæ
Tam fera degeneres pepererunt ſęcula gentes!
Et quæ monſtra hominum mitiſſima corda, ferarum
Tam ſubito in ſævos potuerunt vertere mores?
Scilicet ambitio regnandi, & fervidus ira
Vindictæ ſtimulus, ſtimulusque inſanus habendi,
Immites fecere animos, & barbara corda:
Et cultus valuere omnes evertere divum.
Nonne ſatis fuerat hoſtilia mœnia nimbo
Fulmineo excutere, obſeſſamque aperire ſub arcem
Ære tonante viam, vallumque excindere flammis?
Deſuper ut diris etiam per inania miſſis
Pyrobolis, latè Stygium ſpargentibus imbrem,

In igneas machinas, atque evertendarum urbium inventa Vates invehitur.

Non

Non tantùm insignes ipsis cum civibus ædes,
Atque intacta ævo veterum monumenta parentum,
Ex imo placuit convelli cardine, & atros
Ilicet in cineres, Vulcano ardente, resolvi:
Verum etiam Superùm templa intemerata Deorum
(Horresco referens) scelerato absumier igne.
Id non alterius tentasset barbara mundi
Edere gens, quamvis pascatur lacte ferino:
Quamquam exlex, nullumque colat sub sydere numen.
Quin & Tartarei tam facta horrenda fuissent
Haud equidem Manes ausi; licet acribus illi
Ardescant odiis, rabieque agitentur, & ira.
Barbara sed quamvis sint hæc, immania, dira,
At toleranda tamen, si illorum parcior esset
Usus, ubi adversæ urbes obsidione premuntur.
Ut validæ dedant sese obsessoribus arces,
Sint non æqua licet, quæcumque adhibere juvabit,
Quæ fortes valeant animos evincere: sed cùm
Obsidione urbes non justa incingimus, illas
Nec spes ulla nitet capiendi; evertere nimbo
Desuper immisso Vulcani ardentis, & atro
Effusæ picis, urentisque bituminis imbre:
Nempè hosti ut tantùm noceas, rabidumque furorem
Vindictæ satures, non barbara? dicite vos, ò
Quos rabies insana tenet: qui mollia quondam
Pectora, degeneres, fecistis saxea, quique
Ejurastis avùm pietatem, & jura deorum.
Fors erit, ùt similes vindex natura creabit,
Promeritos qui dura pati vos talia cogant.
Non status est idem Fortunæ semper, & una
Non semper facies rebus manet: itque, reditque
Alternatque vices hominum variabile Fatum.
Tùm vos pœniteat, tam cruda exempla dedisse,
Atque hæc perniciem in vestram scelerata nocendi
Instrumenta Orbi primùm monstrasse pigebit.
Interea (solum mihi quod pro tempore restat)
Et tempestates vobis, & fœta procellis
Æquora navifragis, imbresque, & fulmina, ventosque
Imprecor adversos, adversaque sydera, & undas.
Et quos perfugium jactatis gurgite vasto,
Litore sub curvo posuit natura carinis,
Vos tuti fugiant portus: & sola patescant
Saxa, quibus meritæ solvantur sanguine pœnæ.
Ast insueta furor qui nunc per carmina Musas
Abripuit, Diris ut se miscere profanis,

Barbarici ingenii homines acriter vituperat; qui tantum ut noceant diris utantur inventis.

Quibus dira omnia imprecatur.

Sint

Castigat Musas, quod se Diris immiscuerint, easque ad Pindum revocat, ac mitius ingenium.

Sint ausæ, & purum tenebris obducere lumen?
Vertice non solito cursum de colle, Camœnæ:
Vos placidæ sedes, vos Pindi mollior ora
Accipiat reduces ab iniquo vertice: nullis
Promereant quamvis, sint noxia munera vestra.
Et quoniam monitu Divorum, & numine Phœbi,
Bellipotentis avi durùm percurritis æquor,
Mitia non quamquam, quę mox tractanda sequuntur,
Attamen illa, deæ, præstat si tradere cantu,
Dicite, pacatis animis, nullaque calentes
Ira, quæ tantùm mortales ingravat, & quæ
Virtutem potis, & magnum corrumpere honorem.

Et ut illis inventis parciùs utantur, Romanos monet.

At vos, quos patriæ dextris bellacibus olim
Antiquum asserere imperium, & proferre per Orbem,
Destinat omnipotens Fortuna, & Juppiter æquus,
Parciùs ista pii tormenta explodite in hostem:
Romanum minus illa decent nomenque, decusque,
Sed Phlegethontæi tormentum Ditis, & usum
Difficilem, & forma jubeas qua fingier illud,
Accipe, Aquiniadùm Dux præclarissime; quando
Hæc tibi Romuleus committet ahenea Mavors
Tormenta, & rapidos volitantes aëre nimbos,
Horrida in obsessos qui secum incendia portant.
Et quoniam præcelsum animos munimine vallum
Subdit adhuc, & vana tenet fiducia Thraces
Subsidii, flammis ardentibus, & tonitru vi
Terrifica, mentes actutum frange superbas.
Ut; sic victorem, clarumque è Thrace triumphum
Ducentem victo, accipiat te patria Siren:
Et merito exornet plausu, atque heroibus æquet.

Ars conficiendi Mortaria traditur.

Hæc sit forma: velut curto mortaria trunco,
Ærea consurgunt, fuso tormenta metallo;
Idcircò tali donantur nomine nostris.
Latius os pede conflatur non ampliùs uno.
Olli dimidium superaddat concava longo
Spyche ductu: incurvum erit ultima flexa per orbem
Pars, ubi latescat digitos tres ore caminus:
Sitque novem longus: postremo in tergore, flammas
Qui focus accipiat, radio terebratur acuto.
Sex latus cardo, septemque extensus uterque:
Sit solida anterior binos, sitque altera ternos
Pars vasis. Currus sed quæ structura, docebo.

Et item currus, quibus imponuntur.

Impete missa volat quoniam pila, vique refringit
Sæpius instructus; idcircò ex abiete fiant
Annosa, & firma coëant compagine partes;

Per-

Perge, nuce è ſummo quam vertice Sila miniſtrat,
Sive ulmo potiùs (gratiſſima curribus ulmus)
Fac geminum latus: extenſumque recurrat utrumque
Quinque pedes, digitosque decem: pede largius uno:
Craſſities ſeptem unciolis, non pluribus, ampla.
Tranſverſis quatuor mox connectantur & ambo
Aſſeribus latera, & radiis firmentur acutis.
Vectis & inſeritur curru; verſarier illo
Ut facilè evaleat, certoque explodier ictu.
Deſuper incurva, & clavo confixa tenaci
Brachia tormenti conſtringat ferrea lamna.
Quattuor & rotulis ſolido de robore factis,
Inſtructus belli ſuccedat currus ad uſum.

Sed ſubit ignivomus magno clangore per auras
Ære globus gravido torquendus, & omnia flammis
Correpturus: agit latè quia murmura bombo
Prævalido, cum ſciſſus hiat, cognomine primi
Artifices tali dixere: aſt horrida cives,
Attonitis qui primùm animis incendia paſſi,
Tartareas phyalas; Cocytia vaſa, nocente
Fœta Styge, & ſummi nova vindicis arma Tonantis:
Et Ditis furias appellavere volantes.
Quales ignivomo per proxima rura Veſevo
Ire ſolent, cùm vaſta Gigas incendia ructans,
Ingenti latè villas formidine replet.
Ceu pila fuſori curvandus flammifer orbis:
Quamvis interdum formetur more cylindri,
Aut etiam velut ova: cui pede ſit minor uno
Linea, quæ medium circi ſecat: ora metalli
Ut facilis ſubeat, facilisque erumpat: & unum
Sit digitum ſupra ſolidus: tribuatur & ipſi
Quæ pariter menſura foco, quem ferrea circùm
Addita erit duplex hinc, illinc anſula: quales
Nonnunquam æratis mos eſt imponier ollis.
Craſſities ſit & æqua globi: nulliſque laboret
Rimis: æqualem non inferet ille ruinam
Si ſecus: è rimis nam flamma erumpit acuta.
Præterea tubus è ligno, ſpiſſave papyro,
Conus uti fiat, mittendus in ora tonantis
(1) Pyroboli: digitoque baſim ſtrictiſſimus infra
Quadret; & extremo pertuſus culmine fiat:

Traditur ars jaculandi Bolides.

Et quæ primum formentur arte Pyroboli.

Qua ratione fiat, tubus locandus in ore Pyroboli.

(1) *Bombe*, Italis à bombo, quem edunt, fortaſſe dictæ.

Vasis ut in gremium valeat transmittier ignis.
Namque tubus pingui completur pulvere, lento
Ut motu irrepat medium Vulcanus in orbem.
At quibus immixtis, certa ratione, creatur
Hic pulvis lentore tenax, en accipe: paucis
Expediam; teneris res est ingrata Camœnis.

Qua pulvis, quo tubus gravidandus, industria fiat, explicatur.

Attriti Libras, Onerator, pulveris octo
Accipies, nitroque duas, & sulphuris unam:
Camphora, quam trunci desudant montibus Indis,
Dimidium tibi det libræ, vinoque solutum:
(At bis guttatim vinum priùs igne recoctum)
Tantundem pariter det lutea Chrysocolla.
Uncia & his ustæ silicis miscetur: & inde,
Trita ut permixtim, cribrentur: denique multo
Massa tibi lentore tenax reddetur, in illam
Si super infundas largè greveolens petrelæum.
Sulphure sed pyrio superest mortaria tandem,
Flammiferisque onerare globis, & mittere in urbes.
Et primùm, quoniam tormenti mole caminus
Longior est, rauci quàm nitri copia poscat,
Quæ sat pyrobolos per inane explodere (quando
Vel geminos poterunt, vel tres vibrare per auras
Ferrea vasa) cavi ligno pars altera aheni
Est opplenda: sinu sed respondere metalli
Ut valeat, torno, fiat, radente, cylindrus.
Sic etiam majore ruet vi pulvis (& ipsa
Hinc est cur longo formetur corpore fornax)
Eminus atque pilas jaculatur, & impete magno.
Plurimus hic autem in promptu, Librator habendus:
Quique suum quando sibi postulat ictus: & omnes
Mole pares facito, & trunco tornentur eodem.
Si secus, incerto ferient mortaria pulsu.
Non eadem semper quia se vis objicit igni.
Sed tormenta modum, quo sint gravidanda, teneto,

Quomodo Mortaria onerentur.

Tres, geminasve cavo libras include canali
Pulveris integri, pactique in grana minuta:
Insuper & lignum vi subjice: totaque tergi
Quæ vacua exsuperat, pars est complenda subacto
Cespite. Raucisonum sed jam trudendus in orbem
Est globus: ast illum sic tu priùs arte parato.
Sulphureo totum repleto pulvere: & ori
Inde tubum stupa vestitum adnecte tenaci
Glutine: stetque focum digito super altior uno.
Granaque pertusus contingat flammea vertex.

Hac

Hac ut compositum tibi vas ratione, metallo
Confestim in medio libratum impone: neque ullum
In latus inclinet sese; circùm ingere arenam,
Cespite & idcircò totum super intege: tantùm
Funiculo hausturus flammam tubus extet ab igneo.
Sed jam majus opus, nisu majore, movendum
Subsequitur, certo nimirum vertere pulsu
Urbem in præcinctam, & præcelsa palatia nimbum
Horrisonum: & vastam tectis inferre ruinam.
Quadrantem circi primùm (qui Martis ad usum
In promptu tibi semper erit, Librator) habeto.
E medioque globus filo dependeat æreus.
Mox latus inferius rectè fac congruat ori
Æris fulminei, quod tu convertere in ædes
Obsessas meditaris, & igni absumere edaci.
Tum recta è medio dependens linea plumbo,
Cum latere adverso quot partes colligit, arcus
Directionis erunt: totidem simul angulus, alta
Quo Finitorem supra mortaria surgunt.
At quia dimidium cùm plumbum intersecat arcum
Tum tormentorum longissimus effugit ictus;
Hic modus idcircò librandis pulsibus esto:
Præfixam in metam mortaria dirige: sursum
Tolle & tot partes, quot perrumpenda videntur
Poscere tecta tibi: posituque explode sub illo.
Exploso brevior si sit, magis erige: longus
Si nimium posito fuerit, demitte parumper.
Sic quem quæris erit geminato verbere notus
Angulus, æra scopum quem perfractura tenebunt.
At quadragenas si partes angulus ultra
Iverit: & brevior rauci tamen ictus aheni;
Tum quia difficilè attolluntur in aëra: pulvis
Idcircò major tum ductu impostus in arcto
Longinquum in spatium mittet jaculabile ferrum.
Longior at jactus si sit, nec deprimere æra
Inferius possis, tum nitro detrahe: pulsus
Namque minore globus sic impete curret: & ipsas
Culmine dejiciet surgentes cominus ædes.
Sed quid plura moror? librato protinus ære
Ignivomo, fartoque pilis, & sulphure, flammam
Tempus ut accipiat: cum reste accede corusca:
Quam teneas utraque manu: mox impiger ipsi
Dextra, ubi signa, pilæ, data sunt, ignemque sinistra
Tormento admoveas: teque in secura repentè
Fer loca pernici saltu. Verùm altera cœpti

Qua arte, usu Quadrantis Geometrici mortaria ad certum scopum dirigenda.

Ut Tormentarius in mortarium, è pyrobolùm, ignem injiciat.

Quid sit Pyloclastrum, & illius usus exponitur.

Pars vatem vocat, & longè reboat (1) Pyloclastrum.
Quo nulla est intercipiendis arcibus apta
Machina, quæque tuos felicior adjuvet ausus,
Illa etenim portæ franguntur, & invia septa,
Tutaque munitas via clàm reseratur ad arces.
Nam tractanda dolo tibi machina: sæpiùs urbes
Quæ nobis validas sine sumptu, & cæde subegit,
Quare age, tormenti quæ sit nova forma parandi,
Accipe: Non una surgit ceu cantharus ansa
Armatum, pede non majus: crassumque novenis
Os circa radiis: totidemque in tergore densum,
Octonis super os digitis, sed quinque patescat
Fac tergus, tergumque intus faber arte caminet:
Et patulum in medio faciat de more foramen.
Quo tubus inseritur, flammas hausturus, agi rem
Tempus ubi, summique petunt mandata magistri.
His animadversis, quadretur mensula, lamna
Ferrea quam totam circumtegat: inque tabella

Ars machinæ conficiendæ traditur.

Incisus media circus formetur, aheni
Ora excepturus: sed quo sit pondere moles
Conficienda, simul quæ sint miscenda metalla:
Sexaginta super gravitabit machina libras.
Verùm ne superet, dux, octoginta, caveto.
Secius illa viris ferri, vertique duobus
Magna mole nequit, nec cœcæ accomoda fraudi est.
At quibus admixtis confletur massa, docere
Jam, Fusor: rubri bis senas accipe libras
Æris & his unam nitidi junges Oricalchi,
Semissem stamni: formando aptissima fiet
Ex his materies tormento. Disce, minister,
Sed jam raucisono Pyloclastrum sulphure ad astus

Et onerandæ item modus.

Tendendos onerare: labor nec plurimus: illum
Pulvere, qui reliquos inter præstantior, imple.
Gausapa dura nitrum super adde: os inque rotundum,
Atque æquum è ligno tegumen mox insere, summum.
Quod superest, glauca totum circumline cera,
Vel pice: cui nomen quondam fecere Pelasgi.
Tandem cerata totum circumtege tela.
Mensæque adnectes strictissimus; inde paratum
Ante tubum suppone foco: qui pulvere fartus
Vulcanum accipiat, jaciatque in viscera vasis,

Sed

---

(1) Sic Vati dictum, quod portas frangat, vulgò *Petardo* nuncupatur.

Sed flammam injicere, & clausas disrumpere portas,
Septa vel arbutea, exploso diffringere ferro,
Jam tempus: Fortuna vocat, Mars annuit ausis.
Si locus accessu facilis, Pyloclasta repandos
Secum uncos, terebrasque ferat, quibus annulus insit
Pro capulo: incurvo cui vas appenditur unco.
Hinc ubi sub valvas ventum est, aut lignea claustra,
Clàm terebram subitus, radiumque infigat acutum:
Ocyus & fixis Pyloclastrum appendeat illis,
Cardinibus super, ut lignum super incubet æquè.
Hæc ubi complevit, submittat fomite flammam.
At sit inacessus locus ille, infringere portam
Cujus amas, fossæque intersint, pensilis & pons:
Et pontem cautus per noctem subtulit hostis.
Tunc hasta, aut longo, Pyloclastes, utere trunco:
Ferrea cui cuspis, quæ portæ affixa, tenebit
Tormentumque, trabemque, ipsamque in vertice restim,
Hasta citis imposta rotis, unàque feratur
Machina, quæ trabis, aut hastæ in cervice locata,
Ore petat gravido valvas, & congruat ollis.
Postica pariter sit parte manubrium: & illo
Hac, illacque ferat librator sedulus hastam:
Utque infixa loco, restim det protinus igni.
Si trabs ista tuum minus apta videtur ad usum:
Mobilis; & circùm tibi pons versatilis esto.
Vertice qui binis radiis armetur acutis:
Queis infringendis præfigat cardinibus se.
Inter & hos ipsa Pyloclastrum in fronte locetur.
Pontis in extrema geminæ, quibus ille feratur,
Insint parte rotæ: lignis pariterque duobus,
Quę super instratus pons est, impone tigillum
Erectum, geminumque: asser transversus & illis
Hæreat adnexus: his machina circumfertur,
In quoscumque velit Pyloclastes impiger, usus.
Qui super incedens potis est accendere flammas,
Dejicere & pontes, portasque, urbemque tenere.
At verò ut vigiles mutorum fallat, in illos
Clandestinus agat tormentum: & cuncta silendo,
Cunctaque festinus peragat: mora parva nocebit.
Rumor & exiguus res interrumpere, & ipsos,
Quibit in authores structas convertere fraudes.
Nam licet humanis in rebus grandia cœpta,
Numina post Divùm præsentia, sola secundant
Dextera prompta operi, cautæque industria mentis:
Attamen in dubio Martis plus æquore possunt.

Usus Pyloclastri traditur, primum si locus accessu facilis.

Secundò cum locus est inaccessus: quia videlicet aut fossæ, aut pensilis pons intersunt.

Quæ noctu, & multo silentio, ne fraus ab excubiis deprehendatur, est peragenda.

Ma-

Maxima nonnunquam rerum molimina, totis
Viribus haud unquam forti ſperanda magiſtro,
Unius interdum conſulta audacia, nullo
Sanguine, nec ſumptu multo feliciter egit.
Non procul, egelidis Arabo quà fluctibus altum
Danubium ingreditur, ſedet (1) arx, cui nomina circùm
Interfuſus aquis dedit, & munimina rivus.
Mœnia conſurgunt uſu fabricata recenti,
Aggeribus ſolidis; & propugnacula acuta,
Quadrato è ſaxo ſua per diſcrimina facta.
Ampla patet foſſa, & via loricata per omnem
Circuitum nexu vallorum inſtructa tenaci:
Et prætenturis munita, & forcipe multa.
At quia non vallum, non urbes ſaxeus agger,
Plurima nec turris potis eſt cuneata tueri:
Non acres animi, non robora dura lacertorum,
Famis magna, qua una municiſſimæ arces facilè capiuntur.
Atra fames, quando (qua nulla potentior urbes
Vis inimica quatit) validos non ariete muros,
Non igni, aut ferro, non fulmine: ſed fera molli
Languore, & macie palleſcens irruit: & ſe,
Tardando licet, inſinuat moribunda ſub arces.
Fortia quæque domat, petit ardua: quæque recludit
Occluſa, & contra licet obſiſtentia frangit.
Omnipotens dea dira Fames! pugnante tyranno
Hac pro Threicio, & nequicquam obſtante juventa
Auſtriadùm, tandem Scythicis urbs dedita ſignis.
Tanta ſed hæc Divus non eſt diſpendia paſſus,
Cui ſacri tutela loci: mora nulla ſilenti
Auſtriacum ſub nocte ducem convenit: & illum
Talibus affatur: ſic molles ducere ſomnos
Divus ſub cujus tutela arx eſt.
Sub caſu poteris tanto? jam barbarus arcem.
Victor habet: toti quæ propugnacula regno
Tuta dabat: qua ſpes capta nunc excidit omnis.
Duci dormienti viſus, ab eoq; ad recipiendam arcem animatus, & machinæ qua facilè capere poſſet, conficiendæ artem doctus.
Nec miſeros tantùm præſens jactura flagellat
Pannonas, at vicina ſimul gemit Auſtria, & ipſa
Infrænis quamquam trepidat Germania caſu.
Haud equidem hæc longùm toleranda incommoda: tantùm
Non Thrax ibit ovans: tanta ſecurus in urbe
Non ſperet ſediſſe diu: mihi debita poſco
Mœnia: quæque meæ jamdudum credita curæ.
Ergo, age, & Odryſiam depelle ex aggere pubem.
At ſine Romano tibi cedat ut ille cruore,
Hac ignota tenus tormenta, uſumque docebo:
Queis

(1) *Giavarino.*

Queis facili valeas nunc fraude potirier arce.
Hinc perrumpendis quæ sit nova machina portis,
Qua fiat simul arte docet, quique usus in hostem:
Et quibus insidiis, quo tempore, quaque ministri
Cura: ut successu sic res operosa secundo
Eveniat, palmam nec spes frustretur amicam.
Hæc postquam Deus effatus, somno excutit artus
Magnanimi ducis: & subitus se reddidit astris;
Insuetam linquens per opaca cubilia lucem.
Ille ut de strato se corripit, undique circùm
Divinam fulgere facem prospectat, amicum
Præsentit numen: nec vana ostensa deorum
Visa sibi: memori quæ cuncta in mente tenebat.
Ergo genu supplex sibi præsens numen adorat,
Et meritas solvit grates: atque inclyta divo
Vota vovet; victi exuvias, atque arma tyranni.
Mox solers, lętusque operi se accingit agendo.
Ut sibi sopito per noctem ostensa, ministros
Arma parare jubet. Fit machina: fictor & ipse
Præcipuus: simul ipse onerat nitroque, tuboque:
Et jubet amissæ deduci ad mœnia turris.
Ipse sed electas vicina in valle cohortes
Abdidit, opperiens, si quando machina portas,
Ignea vi nitri, perfregerit: æquore ab alto
Aurora in radiis consurgens lutea primis,
Et latè nebulis aër obsessus opacis,
Consulis egregiis ausis, fraudique favebant.
Densa igitur tectus nube, & ferrugine prima,
Transmisit vallum Pyloclasta, dolosaque valvis
Admovit tormenta. Vigil, qui forte propinqua
In statione sedens, servabat mœnia, miles,
Hoc astu capitur: simulatæ conscius artis
Transfuga sub vallum succedit: & ore salutat
Threicio Thracem, mentitus verba, habitumque,
Et simul Ammericis fumantem frondibus offert
Barbarico calamum pro more: libenter & ille
Excipit, ignarus fraudis: cœpitque rogare
Multa super bello: sicque hi dum mutua miscent
Colloquia, ipse foco Polyclastes admovet ignem.
Nec mora, terribili tonitru convulsa per auras
Porta volat: multumque fugax emensa viarum,
Custodis stetit ante Dei, mirabile dictu!
Olli sacra velut donaria debita templo.
Ductor, ut ingenti sonitu patefacta metallo
Limina cognovit, vicina è valle citatis

Dux divo experrectus grates refert, & ad machinam conficiendam accingitur.

Astu machina admovetur, vigilque fraude capitur.

Porta perfringitur.

Fer-

Dux advolat, in urbem irrumpit, capitque.

Fertur equis: turbo veluti, qui ſæpè coortus
E ſylva venit, & ſubito tegit aëra nimbo.
Ilicet irrumpunt diffracta per oſtia: & urbem
Vi nulla extemplo capiunt, cedentibus ultrò
Fraude nova attonitis, contra nec agentibus arma
Thracibus. Incautos nonnumquam machina belli,
Non perſpecta priùs, exarmat, & occupat hoſtes.
Dux ubi Biſtonidum ſpoliis, atque urbe potitus
Divi templa petit cuſtodis: & illius aram
Promiſſis onerat donis, & vota reſolvit.

Et divo grates refert.

Proque novo belli invento, proque arce recepta,
Innumeras flexo perſolvit poplite grates.
Uſque adeò ſuperi manifeſto numine Divi
Fortunant pia bella. Labor ſed protinus alter,
Et Vatem nova cura premit: proh quanta nocendi.
Ignibus orta ſeges! rabidi data quanta furori
Pabula! Ceu Proteus, ſi vera eſt fama, figuras
Vertitur in varias, aſtusque eludit inanes:
Non ſecus in formas verſutus Mulciber igne
Seſe mille, nova ſemper ratione, modoque

Variæ Vulcani artes, & igneæ machinæ recenſentur.

Vertit, agens, quodcumque venit, ſtragemq; ruinamque;
Et duros obitus, & non reparabile damnum.
Dum veluti fulmen, tormento erumpit aheno,
Evertit vallum, murosque evertit, & arces.
Ac, violentus uti torrens, qui flammeus undat:
Eructat quoties diſruptis Ætna caminis:
Permixtimque virùm, turmasque abſumit equorum:
Subter humum concluſus, ubi ſuccenſus in auras
Plurimus emittit vi ſe, refugitque cuniclo,
Evulſas imis è ſedibus excutit urbes:
Cunctaque fert ſecum vi turbinis, & vorat atrox.
Inſuper, alato cùm perſecat aëra curſu,
Vectus pyrobolis, & terrificis Carcaſſis:
Et ſuper horrendo cùm grandine depluit arces,
Omnia proculcat, premit, involat omnia nimbo
Flammivomo, & rupto vi diſtrahit omnia ferro.
Punica, præclaro gaudens cognomine, mutat
Nunc ſe in mala: mali ſed quantum nomine in illo eſt.
Illa, ubi ſe pandunt jam mitia, pulchra remittunt
Grana, quibus miſeris nihil eſt jucundiùs ægris.
Mala ſed hæc Stygio fundunt rubefacta colore
Grana, neces quæ dura ferunt per vulnera mille.
Nunc Stygias ſe agit in pluvias liquidiſſimus, & nunc
In ſolidas guttas concreto grandinat imbre.
Perniciem & quantam ſic bellatoribus affert!

Sed

Sed quis cuncta queat complecti carmine damna,
Quæ variam in formam mutatus procreat ignis?
Quamvis lingua foret mihi ferrea, pectus ahenum,
Et mens cruda, malis quæ non horrefceret illis,
Haud equidem possem cantando cuncta referre.
Pauca tamen, nostris quæ jam bellantibus usu
Esse solent, versu contendam. (1) Punica mala
E ferro gravitante pilæ, gremioque cavatæ:
Queis focus, inque foco fomes cum reste repostus.
Concava sulphureo replentur pulvere: flammam
Qui cùm concipiet succenso è fomite, ferrum
Ilicet infringet centum in segmenta minuta:
Ictibus & centum stragem pugnantibus infert.
Illorum idcircò creber conflictibus usus.
Nempè ut contineat se à vallibus longiùs hostis:
Vel conferta suo pellatur ab aggere pubes:
Fragminibusque, ferox cùm muro insultat hianti
Agglomerata manus, certatque irrumpere in arcem.

Quæ sint Punica mala, & quâ arte conficiantur.

Sed qua nunc (2) bolides bellator torqueat arte,
Quoque situ, ut jaciat creberque, & plurimus illas,
Cùm ruit in pugnam, dicamus: Rectus utrisque
Cruribus insistens; convertat tergus ad hostem:
Inque latus vertens mox se, Vulcania vibret
Poma manu: positu persistens corporis isto,
Momento, motuque globus vibrabitur uno.
Ast hæc militibus sit cura impensior, ignem
Concipiant ne mala priùs, quam pulsa lacerto
Confertos inter descendant illa maniplos.
At verò, ut densum possit jaculator in agmen
Plurimus intorquere, sinistra pendeat olli
Mantica plena pilis bellacibus. At tibi mentem
Hostiles si forte furor succendere turres
Acrior instimulat, quæ sint adhibenda, teneto;
E terra primùm facies vas fictile cocta,
(Igniferas (3) ollas nostri dixere: Pelasgi
Illa olim docti vocitassent ignea chytra)
Insuper & bolidem, cui non sit fomes in ore.
Accipiat quam chytra: nigro quæ pulvere tota
Mox replenda, bolisque nitro simul ipsa tegatur.
Pergamea post pelle operi, coriove tremendum
Vas totum, & gemina religato reste; favillas

Quis & jaculandi sit modus.

Qua industria igniferæ ollæ parentur, ad incendendas arces.

(1) *Granate*. (2) A jaciendo Græco vocabulo dictæ, eadem mala. (3) *Pegnate di fuoco*.

Ut cito concipiat: simul ansa è restibus iisdem,
Qua capiatur, erit, mediosque vibretur in hostes.
Vibrata, ò Superi! quantos feret illa dolores?
Quam latè? & quantum confestim conciet ignem
Luctificum miseris? Sed flammea protinus urna
Mavortis sequitur: juvat ignibus usque tremendis
Propulsare hostes; atque insultare feroces.
E vitro phyalas, vel testea sumito vasa:
Item & phyalæ igneæ. Inque illis vivæ tantum demittito calcis
(Sit contrita velut pollen) sat tertia quantum
Pars queat impleri: reliquum sal occupet ater:
Contege & orbiculo, cartha, lignove parato;
Plurimus & pyrio tegmen per colla revinci,
Perque ansas fune accenso: flammantia ubi mox
Vasa cadunt vibrata, crepant: & cominus ignem
Accendunt restes: confestim plurima circùm
Et sagitta ignea ad detegendos dolos sub noctem. Flamma micat nebulas inter densissima: & ingens
E calce accensa latè inficit aëra nidor:
Et pubem nidore gravi, fumoque maligno,
Et Stygio necat igne. Volans per opaca tremendùm
Flammifera è nervo stridet demissa (1) sagitta:
Detectura dolos sub noctem lumine: quæque
Sint opera, obsessor quæ circùm mœnia ducit.
Ova rotunda velut, non longè à cuspide teli
E stupa circùm glomus convolve: sed illud
Sit priùs infusum cera, aut liquida Terebintho.
Sulphureus quibus immixtus sit pulvis: in unum
Utque coire queant, petrelæum infunde: nitratus
Funis, & è stupa factus, nectatur eadem
Hinc, atque inde; faces jaculo sub nocte daturus.
Balistaque illum, aut robusta projice dextra.

Insuper, igniferi fasces aptantur ad usum
Bellorum, quoties testudo, aut vimina texta
Qui fasces igniferi ad aggeres incendendos. Aggeris incendenda: nova illos undique cera,
Et pice perlinies, quam Sila, aut Gargara mittunt,
Et quem pingues habet Colophone plurima, succo;
Mox jace. Moliri sed jam stat cura cylindrum,
Insultantem hostem qui poterat, inter hiatum
Et cylinder, & qua arte præparentur. Dum muri ruit, ingressumque affectat in arcem.
Concavus è ligno, præcinctus & orbibus æreis,
Fingitur, & nigro saturatur pulvere: & ingens
Sive lapillorum, seu plumbi missilis intrò

Copia

(1) *Fanò* dicta Italis.

Copia miſcetur nitro. Sic hoſtibus ille
Inferet horrendam geminato vulnere cladem.
Proderit hamatis interdum armare ſagittis,
Queis miſeros hoſtes tranſverberet; ignis ut illum
Disjicit accenſus: nonnunquam miſſilis olla
Illius in gremio ſtipatur, quidquid & atri
Nidore, & nebulis incendia ſuſcitat. O quæ
Depluit in terras tempeſtas ignea cœlo?
An ruit in præceps deflexo è tramite curru
Phœbus: & Heliades Phaëtontis iniqua ſorores
Rurſus fata gemunt? fallor: ſunt hæc quoque Martis
Inventa, ut totas perdat cum civibus urbes.
Igneo & imbre pluens, flammiſque voracibus omnia
Abſumat: rabies eſt olli tanta nocendi.
Noxius ardentes ſed Mars, queis excitet, imbres,
Diſcite, ſæva placent quibus hæc incendia, gentes.
Accenſa ſubter pruna lentiſſimus olla
In vitrea (de more priùs quam perline creta)
Viginti quatuor, Stygius ſi plurimus imber
Vis pluat in terras, tenuato ſulphuris aſſes:
Biſque octo adjicias nitri, dum ſolvitur atra
Materia, attritus ſpargatur pulvis; in unum
Illa ut conſpirent: olla mox igne remota,
Infundes aſſes integri pulveris octo.
Hinc ubi materies concreta eſt frigore, frange
In ſegmenta, nuci quæ ſint æqualia: & illa
Ignea ſtupa tegat circum glomerata: coruſcus
Deſuper & pollen nitri conſpergitur atri.
His actis, ignita globus fragmenta cavatus
E ligno accipiat: dein flammea grana camino
Occludes, reſtimque foco, quæ ſuſcitet ignem.
Cùm vibrata tubis pila pendet in aëre, rupta
Impete tum nitri, lethalis depluet imber:
Qui Phlegetontæis latè obruat omnia flammis.

Imber igneus, qui & illius conficiendi ars traditur.

At ſi materiem, quæ ferrea vincula rumpat,
Forte velis, miſcere tuos fac iſta miniſtros:
Nimirum libras ſex ſulphuris, & ſalis octo,
Foſſilis & ſtibii geminas, pyriique quaternas
Pulveris: inque unum coëant contrita, jubeto.
Hinc gluten vulgare liqua, gummique, Sabæi
Quod mittunt, ceraſuſque, aut prunus plurima ſudat.
Glutine & infuſo, vel gummi, conſice maſſam:
Totque illâ efficito globulos, quot ſuppetit ipſa
Materies compacta. Quis ò, quis verberat aures
Inſolitus clamor? nova quæ tormenta tremendo

Quomodo acrior materia fiat ad dura quæque perrumpenda.

Inclamant bombo, ructantque incendia vasta
Urbibus excidium miseris latura supremum?
Audio (cuncta patent Vati, cùm Phœbus Apollo
Mentem agit, & sacræ veniunt ad plectra sorores)
Alpibus extremis, Ligurumque è finibus orti
Terrifici reboant ictus, queis tota remugit
Ausonia, & pulsi colles, & litora plangunt.
Regalem, augustam, portuque, & colle superbam:
Atque palatinas tollentem ad sydera moles
Urbem prospicio tetris ardere favillis.
Proh dolor! haud oculi spectare incendia tanta,
Nec mens ferre potest illius flebile funus:
Ausonias inter quæ formosissima fulget
Gemma velut: nostrique nitet maris alter ocellus.
Proh superi! ignivomæ quæ dira incendia naves
Eructant? quanti spatioso ex ære retorti
Ingenti sub mole globi dant horrida cursu
Sibila fulmineo, dum scindunt aëra, sursum
Impulsi: & quantam dum per declivia flexi
Mox recidunt, ædes supra, supraque deorum
Templa intacta sacris, & relligione parentum,
In segmenta creant rupti, stragemque, necemque
Civibus, & quantam tectis, murisque ruinam,
Igne ferunt? latè circùm ruit undique flamma:
Et cuneus crebrò prorumpens sydera lambit.
Nil tutum, vacat igne nihil: tenet omnia serpens
Vulcanus: nitidis nunc flammis tota relucet,
Totaque fumifero tegitur nunc obruta nimbo.
Non tantam unquam tempestatem Vesbius atram
Subjectos latè in campos effudit: & ignem
Non tantum fundo in cœlum jaculatus ab imo est.
Fervidus Oromedon cùm nitro, & sulphure, tollit
Impatiens caput, & circùm quatit undique montem.
Et cùm horrenda vomit hæc ille incendia, nulla
Ars contrà tantis potis est obsistere nimbis.
Ignea vis artem superat, dextramque, animumque.
Sic portentiferi Ligures novitate metalli
Attoniti, & vasto oppressi torrente, quod olli
Opponant: quæ tuta petant loca, quosve recessus,
Ignorant: spes una fuga subducere tanto
Excidio sese, montesque ascendere in altos.

Genuæ incendium ab incendiaria Gallorum classe excitatum depingitur.

At vos tanta truces quæ nunc insania, gentes,
Occupat? & Furiis, quæ tantum torquet Averni
Mentem incredibilis rabies, præcepsque nocendi
Ira, modum supra stimulis agitata malignis?

In Authores Vates invehitur.

Non

Non vos pulchra movent divùm delubra? superbæ
Non ædes tantæ flectunt, & marmora signis
Egregiis insculpta: tholique, & perlita multo
Auroque, argentoque, æquata palatia cœlo?
Non & opes nitidæ, non picta aulæa Britannis?
Non pietas hominum, matresque, & virgineus flos?
Scilicet ut rabies saturetur, & ira nocendi
Vindictæ studio, pereant quæcumque, neque ulli
Parcatur, permixta trahat cuncta una ruina.
At agite, immites si tanta ferocia mentes
Invasit, tantumque placent incendia, & ignes:
Vertite flammivomas Afrorum ad litora puppes:
Cæsaris inque Albam, Tripolimque, urbemque Tuneti,
Tot secura annis Mauri prædonis asyla,
Fulminibus petite, & vastis incendite flammis.
Verùm magnanimum si tangit gloria pectus:
Imperii si tantus amor, properate sub Ortum:
Inque Scytham immanem tantum exercete furorem.
Non hæc in populos, nexu quos una sacrato
Relligio jungit, fas intentare: futura
Nulla quibus vobis laus est. Si talia Mauri,
Si Numidæ crudi facerent, si barbarus oræ
Threiciæ regnator: alit vel Caucasus horrens,
Hircanæque suo quos tigres ubere lactant:
Credo equidem (mites non toto è pectore sensus,
Nec pietas animis tota excidit) illa fluentes
Sponte sua vestro lacrymas ex ore cierent.
Inque Arabem cuncti immitem, immitemque tyrannum
Auroræ, incensi stimulis iretis acutis.
At nunc vos ipsi facitis cum talia, nullus
Inficiet rubor ora? premet nec pectora sensus.

Eosque hortatur, ut in Africanos prædones proras vertant, eosque, non Christianos petant.

Sed quisnam inventi primus fabricator iniqui,
Dicite? barbaricum quis morem induxit in oras
Excultas populorum, & mitia pectora quondam
In fera convertit, docuitque rigescere sensus?
Quisquis enim fuit ille, hominum non sanguine cretus;
Nec certè humano lac suxit ab ubere: duris
Aut illum Rhodope sub rupibus, aut fera vastis
Africa desertis genuit, & sanguine pastus
Tigridis Odrysiæ, vel lacte Libystridis ursæ.
Illum Tartarei Manes docuere, carinas
Igniferas solido fabricare e robore quercus:
E quibus immenso mortaria fusa metallo,
Mole globos vasta jacerent ad sydera; Galli
Authores vocitant portentiferas Carcassas,

Ingentis pyroboli forma, & fabrica traditur.

Ma-

Magna quibus moles, ſed forma eſt inſtar olivi,
Quæ ſint larga licet mortaria, non tamen illa
Tota implent: ſed magna ſuper pars eminet ora.
Copia fulminei quapropter pulveris ingens
Occulitur gremio tormenti, & fœta tremendis
Maſſa bituminibus: mox cùm focus emicat, igne
Accenſo, volat ardentes pila vaſta per auras,
Turbine flammarum tam magno, & murmure tanto,
Ut credas, vaſto ſubter jaculante Typhœo,
Inarimen ima volitare à ſede revulſam:
Aut iterum mediis Vulcanum erumpere ab undis.
Nec miſeræ tantùm Italiæ, Siculisque propinquis,
Verùm etiam toti minitari incendia mundo.
Aſt ubi deſcendens ſeſe diſruperit, ædes
Non unas tantùm, aut turrim, mirabile dictu!
Totam ſola poteſt momento diruere urbem.
Sed quibus excidia, atque incendia tanta parentur
Dicamus. Quò me rapuit furor efferus? & quò
Hactenus innocuæ properant ſuccedere Muſæ?
Hæc Manes Stygii tam cruda, & barbara tradant:
Hunc & Avernalem feſtinent ſcandere callem
Eumenides, quibus ingenium, & maleſana nocendi
Mens eſt. Parthenias tam dira piacula Muſas
Commiſiſſe nefas: non hæc infamia noſtros
Inficiet verſus: ſiquidem neſcire juvabit
Per me venturos tam ſæva inventa nepotes:
Degeneres quibus, & duri præcordia fiant.





BELLICORUM
LIBER OCTAVUS.

JAM quæ delectæ sit disciplina juventæ,
Qui mores animi, qui cultus corporis, & quæ
Militiæ sint jura, quibus parere suescat,
Cominus aggredior. Cœptorum hanc tu quoq; partem.
Aspice, CARDENIDE, duce te, Mavortia quando,
Post humiles artes haurimus prælia, & altum
Herois numeris Helicona, tubaque ciemus.
Nam tibi tot regum, quorum alto à sanguine utramque
Clara per Hesperiam diffunditur & tribus, & gens
CARDENIA, insignis titulis, & fasce superbo;
Egregiis palmis bellorum debita laurus.
Et quoniam facilis vultu dignaris amico
Carmina, Partheniæ texunt quæcumque Camœnæ;
Gratia Parthenio pariter tua debita Vati.
Quare age, majori mecum nunc bella cothurno
Prosequere, & Martis campo bellare patenti.
Utque soles, animos mihi suffice. Quæ nova rerum
Offert se facies? atræ quæ signa cupressi
Aspicio? lætas quis tristat nuncius aures?
Ah miser! ah! teneo, quid deferat illa: recessus
Nempè in Sirenum, Boreæ torpentibus alis
Leucopetræ devecta venit de litore, noster
Inter ubi patrios degebat CAROLUS hortos.
Heu periit, nostræ decus immortale Camœnæ,
Magnus CARDENIDES! Parcis tantumne superbis
Concessum? tantum crudelia Fata tulerunt?
Immites Parcæ, non æqua & Fata: decori

Vates Mæcenatis sui fatum deflet.

Non

Non ætas matura viri, non regia avorum
Majeſtas, nivei mores, & amica benigni
Vis animi, mens alta, omnesque exculta per artes,
Evaluit ſęvis obſiſtere, quin data vitæ
Protinus immani truncarent ſtamina dextra?
Credo equidem, tantum nobis fortuna decorem
Invidit: nec ſæva diu tulit, auſpice tanto,
Per mare Parthenias, per terras ire Camœnas
Securas palmæ, & plauſus; vulgique favorem
Inſtabilem, & variæ arbitrium contemnere ſortis.
Hei mihi! gnara mali mens hoc prævidit, ubi atra
Triſtitia immergi viſa eſt: nec fallor, & ipſæ
Præſenſere ſuo divino numine Muſæ,
Dum triſtes nemus accelerant penetrare repoſtum:
Nec conſueta queunt revocari ad carmina: amœnas
Spreverunt ſedes agrorum, atque otia læta:
Et molles ſprevere undas, & rupis opacæ
Gratam umbram, Zephyrique leves ſprevere ſuſurros.
Quis luſus ageret? quisnam cantaret, Apollo
Cùm nitidos fuſca crines ferrugine merſit?
Quid facient poſthac ſine te? quo præſide tutæ
Per ſacros Pimplæ lucos, per & hoſpita Tempe
Errabunt, hilares vel ducent otia? tantùm
Nunc flebunt tua fata: ſuis & cuncta replebunt
Quæſtibus umbroſi loca Pindi, & Phocidos arva:
Litora & hæc blanda, & placidam Cholomelidos oram;
Atque hæc ſingultus inter, gemitusque ſonabunt:
Ite procul calami, cytharæ procul ite loquaces,
Atque tubæ, atque lyræ, nervique, & conſona fila,
Blandiloqui procul ite modi, procul ite ſonoris
Carmina cum numeris: unum, quod reſtat, agendum eſt,
Scilicet in lacrymas, in fletus ire: querelis
Et nemus, & colles pulſare, & litora; quando
Cardenides Fato nobis ereptus acerbo eſt.
Sed quid mæſta queror? ſi tu cæleſtia victor
Regna tenes, divisque agitas felicibus ævum:
Nec te ſolicitis vexant mortalia curis.
Quare age, ſi noſtræ bellacia carmina Muſæ
Auſpiciis cœpere tuis, da grandia cœpta:
Da tua juſſa (nihil nam te non auſpice quondam;
Tentatum) Vati tandem complere cothurno
Mantoo, & merita crines incingere lauro.
Tuque adeo, tanti qui nunc mihi Principis inſtar,
Author Aquiniade, meditata in prælia læto
Omine ſuccedis, par mente, & viribus olli,

Cujus jam præſagus fuerat animus, & triſtes præſenſerant Muſæ.

Par

Par magnis animis, heroa ad cœpta præito.
Non tibi cura minor, quam quæ fuit ante, adhibenda,
Delectam, Proconsul, erit formare juventam:
Et quæ militiæ lex sit servanda, monere
Quam dociles figant animis, versentque tenaces.

Quanta in juventute instruenda adhibenda sit cura.

Nam pubem res nulla magis conflictibus aptam,
Terribilemque hosti reddit, certamque triumphi,
Integra militiæ quàm disciplina: secundos
Una hæc eventus rerum parit: una superbo
Hæc nitidas potis est palmas de Thrace referre.
Nam quid Majores (non extra exempla petenda)
Tot validas contra gentes, populosque feroces

Disciplinæ utilitas Majorum exemplo confirmatur.

Armavit? fortes totque in certamina fecit?
Quid tantas magna populorum laude relatas
Promeruit palmas, quàm disciplina? severus
Quam Consul pubem docuit servare: neque unquam
Militis arbitrio permissa licentia castris!
Hæc par Gallorum numero, frænare superbas
Evaluit gentes: Pœnorum hæc una dolosos,
Queis tantùm valuere, astus evicit: & una
Hæc Germanorum se vastæ opponere moli,
Bellaces animas & debellare: remotos
Trans magnum Oceanum velis audacibus ausa
Quærere, Hyperboreo sepostos axe, Britannos:
Europæque simul, regnoque adjunxit: & una
Indomitos victrix toties submisit Iberos,
Continuitque jugo indociles, Numidasque feroces,
Fidentemque fugæ Parthum, Maurùmque subegit,
Getulosque, Arabesque, atque effrænos Garamantas.
Lusit & hæc artes Græcorum, ipsamque phalangem,
Hactenus invictam, Macedùm perrupit: & omnem
Terrarum, victis domuit cum gentibus, Orbem!
Ergo cùm tanti sit disciplina, Latino
Et tantum imperio potuit prodesse parando;
Illius idcircò magnam tu suscipe curam.
Semper & ut vigeat, conabere; castra juventus
Seu teneat, seu carpat iter, Brumave rigente,
Hibernis sedeat, sive arcibus excubet altis.
Nunquam dissimules, indulgens, crimina: nunquam
Gliscere permittas vitium: citus inque nocentes
Lege age, crimen ubi se prodidit, & patet author.

Rigidus disciplinæ custos sit Prætor, nec unquam gliscere vitium permittat.

Sic pubes effræna licet, formidine pœnæ,
Atque metu rigidi Prætoris, jura severæ
Militiæ servabit, eritque ad jussa Magistri
Prompta animis, & prompta manu, fascesque subibit.

Impigra, nec sanctas ausit contemnere leges.
At deses contra si castigare juventam
Negligis, aut facilis veniam concedis; in omnes
Continuò serpit vitium: seseque remittit
Paulatim rigor: & fractis audacia castris,
Irrumpit tandem, regnatque licentia victrix.

Quæ leges militi dandæ.

At leges, & jura novæ tradenda juventæ,
Hæc sint: Relligio cunctis Romana colatur,
Antiquo Patrum ritu: veneranda Supremi
Majestas Genitoris erit, Natique, duobus
Quæque ex his, Sacræ, spirat per mutua, Flammæ.
Numen idem, mens una tribus, tribus una voluntas,
Vis una Omnipotens; ævumque in secla perenne.

Religio sanctè servetur: Trinumque Numen colant universi.

Dein veteri pariter Superi de more colantur
Quotquot summa tenent Divi fastigia Olympi.
Atque ipsa inprimis Virgo veneranda, Tonantem
Quæ cœli peperit, lucemque, & gaudia mundo.
Quin etiam, quæcumque dabit servanda Quirinus
Jura Pater, cuncti teneant: procul omnis abesto
Impius è castris miles: Pietate merendum est.
Nempe pios fausto sequitur Victoria vultu.
Illa etenim cœlo mortalibus ab Jove summo
Laurigeris volat in terras subvecta quadrigis;
Illius insigni nobis demissa favore.
At favor hic illis conceditur, alma frequenti,
Qui prece conciliant, & cultu Numina: quique

Perjuria è castris arcenda capitali pœna, & stupra item.

Sancta sacro ritu, & legis præcepta facessunt.
Idcircò è castris perjuria cuncta, nefasque
Arceto, rigidæ, Consul, formidine pœnæ.
Si Divos igitur quis verbo incessit iniquo,
Neve aris astat, sacra vel solemnia spernit,
Ille tibi, læsa pro majestate Deorum,
Morte luat merita pœnas: plectatur eadem
Qui stupro infami castrorum numina Divûm
Irritat, quo castra stupro temerata relinquant.
Unius ob noxam nonnumquam, Numine læso,
Cæsus ab imbelli est ingens exercitus hoste.

Magistro obediāt prompti juvenes: nec jussi caussam petant.

His super, imperio miles parere Magistri
Condiscat: quæque ille dabit mandata, repentè
Audaci arripiat nisu, nullamque requirat
Præcepti caussam: rapidis licet ignibus illum
Objiciat, certæque neci: licet inde futura
Nulla salus genti videatur, lucraque nulla.

Caussam expendere Prætoris est, militis verò parere.

Nam Prætoris erit jussi perpendere caussam,
Militis actutum dicto parere: futurum

Cui

Cui decus egregium, mandata explesse jubentis.
Utque jubenda duces animo versare sagaci,
Cuncta gerendarum & momenta expendere rerum,
Sæpius ante decet: sic, sint quæcumque, juventam
In data pugnaci nisu descendere jussa.
Et quod mente illi meditati, protinus ipsa
Egregiis curet factis, dextraque valenti.
Qui ducis imperio tenuet parere supremi,
Cùm gravis in medio res est, luat ille securi,
Quisquis erit, tanto meritas pro crimine pœnas,
Si secus, expungi satis est, trudive sub umbras.

At non supremo tantùm parere Magistro
Assuescant prompti juvenes ad jussa: sed ipsos
Addiscant etiam faciles audire Tribunos.
Et quæ Centurio, quæ dant præcepta Decani,
Quæque Instructores, studeant implere: neque unquam
Mandata in medium revocet, quæcumque, juventus:
Illius quando conducta est dextera, non mens.
Namque suo haud poterit fungi dux munere; miles
Perpendens ubi jussa animo, inquirensque futurum
Utile si certum populo, non debita præstat
Impiger obsequia; idcircò curate severi,
In transversa ferat sua ne sententia pubem.
Parendo juvenum stat disciplina; secundo
Qua sola eventu devincimus ardua bella.
Re super hac nobis præclara exempla dederunt
Spartani, multa qui quamquam laude superbi
Bellorum, tamen una fuit, laus maxima gentis.
Præfectis parere suis: humilesque Magistri
Imperium, quodcumque ollis jussisset, obire.
Hic quoque Persarum fertur mos aureus: atque hoc
Tantum gentis honos, regnique potentia crevit.
Idcircò summis Chrysantum Cyrus ad astra
Laudibus evexit, magnoque ornavit honore.
Nam simul ac litui signum fecere, rubentem
Hostili è jugulo revocavit fervidus ensem.
Nempè Duci potiùs duxit parere jubenti,
Quàm calidas saturare iras, palmamque referre.

Non tamen unus erit miles cogendus, ut alti
Consulis accipiat mandata, & fortibus ausis
Expleat extemplò: sed compellendus & ipse
Legatus, reliquique duces ad jussa: severus
Dura licet dederit, licet ardua Consul, obite
Vos ea: militiæ sic disciplina fovetur:
Egregii veniunt sic victo ex hoste triumphi.

Reliquis etiam Ducibus cuncti pareant.

Nam parendo stat disciplina, & victoria.

Hac in laudantur Spartani, & Persæ.

Non milites tantum, sed reliqui etiam Rectores Imperio Consulis parere debent.

Nam vos miles ubi ſpectaverit ire volentes
In mandata Ducis, ſe non veniſſe pudebit.
Nec minus eſt patriæ damnum, cladesque futura,
Si miles renuat, quàm ſi parere Tribunus.
Atque hic in medio lubet illud ponere, arena
Quod Martis varia non rarò occurrit: utrimque
Æqua lance juvat ſtrictim perpendere; ſummo
A duce nonnunquam poſitis diſcedere juſſis,
Si fas legato: nova quando ſcilicet offert

An liceat interdum legato à Conſulis iuſſo diſcedere, cum ſe nova offert occaſio.

Se rerum facies: ratio ſeù temporis urget
Altera mutati, præſensve occaſio, vel Sors
Improviſa petit fieri contraria: tantam
Sit quamvis certò litem decernere multum:
Ingeniumque ducum varium: Mars mille repentè
In vultus ſe convertit: ceu gurgite Proteus
Mutat in inſtabili momento mille figuras.
Attamen hæc vobis dederim præcepta, ſecutus
Obſervata ducum varia, & monumenta priorum:
Ingenio durus ſi ſit, rigidusque Magiſter,

Si rigidus ingenio Conſul, non expedit.

Ut precibus flecti nequeat: ceu Manlius olim,
Poſthumiusque fuit; data juſſa capeſſere præſtat
Legatum, reliquosque duces: mutare neque auſint
Quidquam: neve ſuum juſſis prævertere ſenſum.
Quamquam aliud, variata vices, Fortuna repoſcat:
Inque ſinu ſtet certa novo victoria caſu.
Namque mali dabitur, quod tum committitur, olli.
Verùm laurigeris ſi ſe Victoria pennis
Inclinat tua ſigna ſuper certiſſima: & una
Libertas patriæ ex illa, gentisque futura
Tota ſalus: faxis ſi ſecius omnis in omne
Perdita res ævum, & gens libera turpe ſubibit
Servitium: Patriæ pro libertate decorum
Devoviſſe animam cum ſit, populique ſaluti
Conſuluiſſe ſua; ſi ſe res offerat, hoſtem
Irrue in adverſum, & felicibus utere Fatis:
Juſſerit ante tibi quamquam contraria Conſul.
Nam rigidus licet ille neci te dedat, ob auſum

Niſi certa in manibus Victoria.

Egregium, gemina quo te donare corona
Debuerat: tamen æterna te laude ſub aſtra
Gens ſervata feret, meritosque indicet honores.
Mitis at ingenio ſi ſit Proconſul: & aurem
Dat precibus facilem, & rationem flexilis audit;
Fac, Legate, tibi quod ſors oblata repentè,
Quodque novi caſus, & res data poſtulat: æquus
Laudabit Prætor factum: quod talibus ipſe

Au-

Auſpiciis, rerumque ſtatu feciſſet in illo.
Haud equidem caſus omnes, atque omnia rerum,
Conceſſum momenta priùs vidiſſe Magiſtro:
Præditus ingenio licet acri: atque acrior uſu
Factus, & in Martis multum ſudarit arena.
Perpetuò varium Mars, & Fortuna: ſed illud
Rectores tota ſemper vos mente cavete;
Judicii ne fors veſtri ſine more tenaces,
In præceps vos veſtra trahat ſententia: caſus
Maturate priùs, rigidaque expendite lance:
Atque ſemel, rurſusque animo verſate ſagaci.
Mox conſulta ſequi cautè, lentèque jubebo.

At ſi mitis, & flexibilis Prætor, variandum, prout variaverit fortuna.

Non hic prætercam noſtro te carmine, Conſul,
Non te, Prætor, erit ſeu dux quicumque, ſupremo
Qui pubi imperio præſit, belloque, monere:
Legati nonnulla ſinas, Equitumque Magiſtri
Arbitrio peragenda: tibi prudentia multa,
Multa ſit & quorum varii experientia belli
Explorata: petit ratio, petit alea Martis
Sic ſemper varians, rerumque reciprocus æſtus.
Hinc tibi quidquid erit, quod mox evenerit, illud
Omnia verſanti Fortunæ Fata dederunt.
Illa, velis, nolisve, tuis tenet ardua in armis
Arbitrium: palmas quo det, quoque auferat uno.
Ille & mortales inter ſtultiſſimus omnes,
Fortunam qui poſſe ſuis conatibus audet,
Vel retinere bonam, vel propulſare malignam.

Quin etiam præſtat, ut multa illorum arbitrio relinquantur.

Perge, tuus fuerit cùm doctus talia, tiro,
Quod ſequitur, menſis diſcat frugalibus uti:
Et tolerare famem, & nunquam molleſcere luxu.
Quin etiam ſufferre ſitim conſueſcat: & amnem
Naïadum potius, quam fluminis hauriat undam
Vitigeni: quo ſæpè ruit mens ebria præceps,
Inſanæ pecudi ſimilis, ſimilisque furenti.
Largiùs idcircò non vini indulgeat hauſtu:
Neve gulæ ſtudeat miles, ventrique replendo.
Ne nimium gravis, oppreſſusque à mole ſaginæ,
Latior aut ventrem, & multa pinguedine obeſus:
Non armis, duris non ſit conflictibus aptus.
Nullus enim bello eſt illius corporis uſus,
Cuncta cui abdomen ſunt inter guttur, & inguen.

Parſimoniam ſervent Milites, & vino moderatè utantur.

Præterea frangunt animos potusque, cibusque
Immodici: fractum ſic Pœnum accepimus, & ſic
Perſarum periit, Medûmque potentia: luxu
Res Macedûm cecidit: nobisque acceſſit, & illa

Frangunt enim animos crapula, & ebrietas.

Luxu Pœni, Perſæ, ac Macedones periêre.

Et

Et totus Latio terrarum ſubditus Orbis,
Frugali virtute Patrum, partusque labore eſt.
Hac & ſervatum virtute, & numine Divùm,
Romanum ſtetit Imperium, legesque ſubactis
Annorum per mille dedit: quod gentis Eoæ
Mox labi luxu paulatim cœpit: at illud
In priſcum hac etiam virtute erexit honorem
Carolus; idcircò dictus cognomine Magnus.
Quare olim mos ille fuit majoribus; omnis
Militis ut noſtri properantis in arma ſupellex
Hæc tria ſola forent, ſcyphus unus, & olla, veruque
Unum, cœna quibus fieret parciſſima: & illi
Ceſpite fas tantùm textis diſcumbere menſis.
Quin etiam galea rivos haurire fluentes,
Atque in procinctu ſtantes conſumere quadras,
Aſſuevere duces ipſi, primique Tribuni,
Et trabea inſignis Conſul, lauroque decorus.
Quin immò primus Perſarum regibus illa
Lex fuit, & populis ſanctè ſervata; ſubactam
Ut ſaxo Cererem, ſubitoque ex igne calentem,
Nonniſi frugali ſociarent cardama menſa.
Cardama quippe, ferunt, torporem expellere membris,
Et vires animi, & frigentia corda fovere.
In primis igitur Baccho indulgere juventus
Immodicè, abſtineat juſſu Prætoris: & illum
Nonniſi cùm ſitiunt, vel cùm jam claſſica clamant;
Parciùs epotent: nimirum cordibus ardor
Martius incaleat, creſcantque in prælia vires.
Nam ſi vina modum ſuperent, crateribus amplis
Hauſta, gulæ ſtudio, confeſtim fortia quæque
Pectora, bellacesque animos, viresque remittunt:
Quin & degeneres, mollesque epota per artus
Inſinuant Venerem: qua nulla nocentior unquam
Invaſit vel caſtra lues, vel ſævior hoſtis.
Lac Veneris vinum eſt, quo nutrimenta libido,
Et molles capiunt ludi, luxusque, jocique
Et ludos inter rixæ, cœcique tumultus.
Quin & hebes mens inde venit, tardumque creatur
Ingenium: perduntque ſuum vinoſa vigorem
Pectora: nec trepidis ſua conſtant robora membris.
Idcircò, qui mente, duces, certamina Martis
Conſilio, & pubem regitis, vos ipſe monebo
(Credite Phœbus agit Vatem) indulgere Lyæo
Solertes, juxtà majorum exempla, cavete.
Cernite Fabricios, Deciosque, acresque Catones:

Frugalitas verò Romanis Imperium peperit.

Qua in virtute inſignes priſci Latini fuerũt.

Lex igitur ſancta eſto ab immodico potu juvenes abſtineant.

Vinum Veneri nutrimenta præbet, quâ nulla major exercitui lues.

Quàm

Quàm consulta fuit mens illis sobria? quantum
Ingenio valuere? cibo, potuque remoto,
Quàm fortes acie in media, invictique fuerunt?
Hic ego non validum Theuti genus, & genus acre
Laudarim Lechi, cùm tot convivia toto
Concelebrant prolata die: centumque Lyæi
Pocula Pannonici libant, totidemque Mosellæ.
Qui Martem sequitur, laurique affectat honorem,
Fonte sitim poto levet, & jejunia quadris:
Atque assis tantùm, ceu mos Heroibus olim,
Viscere nudato tauri, caprive bicornis
Vescantur: subitas & dent cava tympana mensas.
Consilio sic semper erunt, armisque parati
In casus, quoscumque vocet Fortuna. Sed alter
Jam subit è forti pellendus milite morbus;
Nimirum Veneris nunquam saturanda libido.
Nulla quidem vobis hàc defendenda, Magistri,
Est castris, pubique magis, quamquam fera, pestis.
Quippè lues hæc una potens prædura virorum
Pectora, magnanimas confestim & frangere mentes.
Hæc etenim enervat vires, roburque decori
Corporis, in tenerumque animos emollit amorem.
Quin etiam Heroum fortissima facta, secundis
Incœpta auspiciis, & magnum perdere honorem
Sortis, & insigni partos virtute triumphos,
Atque immortales potis est corrumpere lauros,
Namque imbelle licet, tenerumque & molle, voluptas:
Ardua, dura, tamen castrorum septa, profundumque
Exsuperat vallum: & victrix regina sine armis,
In castris, victisque viris dominatur: in ipsa
Mœnia quin etiam, validis instructa metallis,
Ac solidis circùm aggeribus præcincta, subintrat
Illecebris subnixa suis: his illa superbos
Arietat in muros: cuneata his dejicit armis
Propugnacla, feroxque altas pervadit in arces.
Quin imò malesana Venus, virosa voluptas,
Ingenerat pallorem animis, atrumque timorem:
Qui sæpè armatas cogunt dare terga phalanges,
Atque ignominias, & turpia funera portant.
Nec te decipiant Vatum commenta, vetustos
Heroas qui sæpè canunt, Martemque ferocem
Illecebris mulsisse animum: Venerique, suoque
Interdum curis bellorum, armisque repostis,
Ingenio indulsisse: ipsumque per ardua qui tot
Alcidem, fera monstra manu victrice cecidit:

Idcircò minimè laudandi Theutones, ac Poloni.

Libido è castris omnino abigenda.

Neque te capiant de heroibus Poëtarum fabulæ, quando illi etsi fortes, Venere capti perierunt.

Qui-

Quique simul tantos magna virtute labores
Perpessus vario terrarum cardine, duros
Complexu nonnunquam animos laxasse: sinuque
Dejanira, tuo clavam posuisse tremendam:
Qua quondam victor Lernæam fregerat Hydram:
Et qua custodem Hesperidum, monstrumque Erimanthi
Straverat insigni palma: parilique triumpho
Vicerat Antæum cum Naupactæo Acheloo.
Nam sint vera licet; tamen hinc cognoscere fas est,
Bellaci quantum virtuti noxia mollis
Sit Venus, & quanto vires languore remittant
Fœmineæ illecebræ, tenerique Cupidinis arcus:
Et quàm sæpè acri demessam pollice laurum,
Atque unà insignes deturpavére triumphos.
Aspice comprensum Vulcani rete Gradivum,
Ludibrio patuisse Deùm; multaque furentem
Alcidem rabie media flagrasse sub Oeta:
Mollibus atque dolis captum cecidisse superbum
Peliden; clarosque alios Heroas in armis,
Martia quos virtus, quos Sors evexerat alta
Astra super, Divisque pares effecerat ipsis,
Fraudibus Idaliis periisse: & amoribus almum
Amisisse decus, concessaque munera Sorte.
Scorta igitur, Consul, tenerosque arcere cynædos, *Molles expungendi, omnique exuti honore dimittendi.*
Et quidquid turpes natum est accendere flammas,
Viribus & cunctis, & lata enitere lege.
Qui miles contra sectatur turpia, signis
Turpiter expunctus, spoliisque exutus abito.
Tuque vel in primis animos servare pudicos,
Proconsul, conare: tuo sic cætera turba
Exemplo, facilis virtutis ad ardua durum
Corripiet, salebrosa licet sit semita, cursum: *Ipse vel in primis pudicitiam servet Consul*
Si faxis secus ipse, ruens per lubrica; frustra
Difficilem à molli virtutem milite posces.
Quam tu lege probas lata, pœnisque severus
Exigis, exemplo verùm mollissimus illam
Deteriore simul damnas, legemque refigis.
Aspice, Scipiades, quanta virtute refulsit:
Nec tantùm Hesperidum spoliis, palmisque superbus,
Quàm quod continuit captiva à virgine vultus.
Virgine, qua cunctas formosior inter Iberas
Nulla fuit, placido nec gratior ore puellas.
Quæ sola ingentes poterat succendere flammas:
Et tenerum in sensum fortissima flectere corda.
Disce, pudicitiam sequitur comes altera, tiro
Qua

Qua tibi formandus, demissa modestia: linquam
Quæ primùm, & vitæ cultum, moresque gubernat.
Idcircò, Prætor, his legibus instrue pubem:
Elati ut fastus, jactantiaque absit ab illa.
Nam velut hæc tumidos animos pugnam ante ministrant,
Sic timidos ipso mox in certamine reddunt.
Non verbo audaci, sed facto Martis alumni
Egregii, èque manu veniunt, non ore triumphi.
Quin etiam caveant convicia spargere; rixæ
Accendi quibus, & diri suevere tumultus.
Plus audire viro forti, quàm dicere præstat.
Promptus & ad dextræ, non ad certamina linguæ
Sit miles: bello veniet sic utilis, & sic
Victrici poterit redimiri tempora fronde.
Pax, amor, & socias foveat concordia gentes:
Inque hostes vertant ipsos convicia, & iras.

Modestiam colant juvenes, & linguæ tempetent.

At verò in primis Patrum capitale cavendum
Consulto, ne quis juvenum nimis efferus unquam
In summos probrosa duces convicia jactet:
Neve joco carpat scurrili, neve cachinno.
Namque hinc seditio nonnumquam exorta, necesque
Illatæ, & totis immissa licentia castris.
Idcirco ut pestem evellas radicitùs omnem,
Supplicio plecti jubeas, quicumque supremos
Carpere Rectores verbo temerarius ausit,
Quo turbæ exciri poterunt; sic tuta manebit
Majestas sacrata Ducis, sic vivida castris
Disciplina. Duces pueri, ceu sacra colunto
Numina: post divos illis honor alter habendus.

Capitali pœna animadvertendum in eos, qui in duces probra, conviciaque jaciunt.

Non tamen argutos ausim damnare severa
Lege sales, lepidosque jocos: queis fallere pubes
Otia longa queat, bellique levare labores.
Spartanos olim sic, permittente Lycurgo,
Consuevisse ferunt: quos omnis Græcia, & omnis
Antiquo in Latio pubes Romana secuta est.
Quin etiam ingenium, & doctæ facundia linguæ
Accrescit, dum ex ore sales sparguntur acuti,
Redduntarque vices dictorum, & mente feraci
Jacta retorquentur dicteria. Qui fera Martis
Vexilla, & Sortis variantia fata sequuntur,
Sint acres opus ingenio, & sermone potentes.
At sine dente sales, & nulli noxia verba,
Sint & amœna viris dicteria missa: lepore
Defessos relevent animos; non bile maligna
Excrucient, iris nec nutrimenta ministrent.

Non tamen arguti sales damnandi, Spartanorum exemplo.

Quin & triumphos lepidis ornare salibus mos Romanorum fuit.

Quin & Romanis olim mos ille, triumphos
Ornare argutis salibus: verbisque jocosis
Victores sociare duces: qui fronte serena
Pacatisque animis mordacia dicta ferebant.
Sæpè duces etiam turbati militis iram
Placarunt verbo lepido: magnosque tumultus
Sedavere animo præsenti, atque ore faceto.

Qui corporis sit cultus.

Hinc & digressus, pubi qui cultus habendus
Corporis, & quali deceat se incingere amictu,
Expediam. Veteres ibant in prælia tonsi:
Sed felis de more, pilis hinc, inde retortis,
Labra super, barbam, caussa terroris, alebant.
Nonnulli, velut Æthiopes, durique Agathyrsi,

Varii variarum gentium.

Et qui Sarmatiæ coluere extrema Geloni,
Corpora pingebant gypso, minioque rubenti.
Verum cœruleo quondam sua membra colore
Tingebant glasto: summaque in pelle figuras
Barbarico horribiles sculpebant more Britanni.

Horridi apud Barbaros.

Ut nunc Ammericæ faciunt gens barbara, & Indi,
Ditia qui gemmis habitant tua litora, Ganges:
Quique colunt sparsas Eoa per æquora terras.
Gestabant nigros alii in certamina vultus:
Tartarei veluti Manes: nempè hostibus ipse
Terribilis foret aspectus: fractosque pavore
Ilicet opprimerent armis victricibus. Afri
Idcircò pariter depicta pelle colubri
Induti, in pugnam, & magno clamore, ruebant.
At fulvis galeam exuviis fecisse luporum,
Volscosque, Rutulosque ferunt, Marsosque vetustos.
Horrida sed Scythiæ gens cultu, & barbara ritu,
Hostili ornabat sese cute: quadrupedumque,
Ceu phaleris, illa collumque, armosque tegebat.
Et quamquam Epirotæ equites, & sæva juventus,
Illyrici qui regna tenent, & signa sequuntur
Othomanùm, Hircanos gestent pro casside rictus,
Et sese Libyci præcingant pelle Leonis:
Attamen haud nostro tales è milite cultus
Exposcam: immanes habeat gens barbara mores,

Sit honestus Romanis, & ab externo abstineant.

Humanos Romana colat: nam protinus ille
E visu illatus vanescit terror: & hostis
Contemptus sequitur, viresque in prælia crescunt.
Non igitur tonsus, sed quem natura capillum
Cuique dedit, gestare grave, & depectere nulli,
Ast altam nutrire comam, atque aspergere nimbo
Pulveris Idalii, caveat quicumque Gradivi

Ca-

Caſtra tenet, palmamque cupit cum laude referre.
Sed neque barbarico luxu, cultuque profano
Aſcitam capiti externo de vertice pompam
Admoveat, niteatve ſuo non crine juventus.
Hic animos ſenſim emollit, Venerique miniſtrat
Cultus opem, validis & viribus efficit; acris
Quo virtus paulatim, ardorque ad bella tepeſcat.
Sit rigidus cultu bellator, ut acer in armis.
Idcircò Patres veteri de more, ſenatus
Conſulto caveant, ne plebs ventura Quiritum
Æmula barbaricos luxus, cultusque ſequatur.
Romanum quippe eſt alii imponere morem,
Non verò accipere: & populis dat jura: neque unquam
Roma petit: faxit qui ſecius, ille parentum
Degenerat ritu, & ſoboles aliena putanda eſt.
Atque hinc inſignes veſtes, auroque nitentes,
Et tunicas jubeo manicatas, more vetuſto
Perſarum, è caſtris removeri: quæque virile
Nil referunt: potiusque animis muliebribus aptæ.
Indumenta, ſagum, tunicæque è vellere textæ,
Sint pubi conceſſa: quibus non textilis ulla
Victa, nec ex imo dependens fimbria limbo.
E panno fiant femoralia: longaque crurum
Tegmina goſſypio, vel lino intexta retorto.
Quod ſi pelliceis ſagulis veſtire juventam,
Et thorace levi corio, & feminalibus; ictus
Hoſtiles contra placeat, non ipſe teneri
Hunc morem renuo: poterunt ſic frigora ferre,
Atque æſtus tolerare: ſimulque è more parentum
Pelliceis contra caligis, imbresque, lutumque,
Atque nives munire. Sed intingenda colore,
Quo veſtis, ſequitur: morem, Romane, Lycurgi
Sectatus, fac puniceo fucetur: ut olim
Ipſi etiam ſuevere Libys, priſcique Latini:
Queis veſtis ruſſata fuit pugnantibus uſu.
Nam color hic fuſum valet occultare cruorem:
Atque virùm color eſt: animosque ad vulnera reddit
Aſſuetos tinctura: ſagum, tunicamque colore,
Qui cineri ſimiles, nonnulli intingere malunt.
Namque infecta tegit, maculasque, imitatus: abundat
Plurima queis paſſim in caſtris ignava juventus,
Threicii pullas, niveas, mirabile dictu!
Æthiopes; varias Samnites, & ſimul aureas:
Virgatas verò Galli feciſſe feruntur.
His ſuper, incincta, & caligata ad munia ſemper

Qualis concedendus pubi veſtitus.

Qui ſit veſtium color, & quàm fuerit varius.

Sit pubes: sit munda habitu, semperque nitescat.
Cui contra immundæ tunicæ, laceræque dehiscunt,
Plectito: sordescunt animi, cùm sordida vestis.

Qualis summorum Ducum habitus.

Sed nunc qui Ducibus, summo qui Consule dignus
Sit cultus, Vati dicendum: pulsibus æra
Jam me rauca vocant: jam pectus & ægide Pallas
Muniit. Auratis tunicis vestirier illos,
Textilibusque sagis, gemmaque nitente coruscis,
Ductile & argento, & multo fulgentibus auro:
Incingique simul fulvo velamine Serum:
Et clamyde exornari humeros, quam læta Tarenti
Purpureo tinxere suo conchylia succo,
Sive suo imbutam misit Sidonius ostro,
Haud equidem abnuerim: supremos quippè Magistros
Ornatus decet ille: Ducumque excelsa decoro
Majestas cultu sese commendat: & illo
Conciliat vulgi obsequium, meritos & honores.
Nempè ipsum, teneo, fama, factisque per omnes
Terrarum fines, perque omnia secula notum,
Sic regem in medios solitum procedere campos,
Inque suas hostem Pellæum urgere Phalanges.

Alexandri, qui & quam decorus habitus fuerit, describitur.

Bucephalo sublimis (erit pulcherrimus omnes,
Rex velut, inter equos, pugnax, generosus, & acer)
Fræna cui, & phaleræ gemmis, auroque nitebant:
Plurima & ex auro, argentoque, & vellere texta,
Tænia Seriadum latis pendebat ab armis.
Et cui acu Phrygia variatum, & nobile gemmis,
Impositum lato dorso fulgebat ephippium,
Aurea quo pendens radiabat stapes utrimque,
Encausto picta, & nitidis distincta lapillis.
Ipse renidenti galea, cui plumeus, ingens
Conus erat, tunicisque nitens squalentibus auro:
Et multo thoraca gerens adamante coruscum:
Totus & in gemmis præfulgens, totus in ostro,
Ibat in adversas acies, pugnamque ferebat.
Ipse & Romano magnus de sanguine Consul,
Robora qui primus Ponti, regemque superbum,
Dux idem primùm, & miles superavit: & egit
Egregium ex illo, Roma plaudente, triumphum;
Lucullus, veste aurata, & fulgentibus armis,
Ceu nitidum flamma fulmen, tendebat in hostem:
Quæ quamquam nostris laudarim versibus, ipse
Vulgarem tamen ornatum Prætoris amabo.
Sit simplex thorax, nullis & penula gemmis
Præfulgens: medius quam nec transmissus ocellos

Ex

Ex auro globus adjungat, sed Serica tantùm
Tænia connectat nodo: sic simplice cultu
Conciliare animos poterit, plebisque favorem.
Nunquam majori dux majestate refulget,
Quam cùm demittit sese, similemque videri
Affectat reliquis, & fastus odit inanes.
Ceu Sol è mediis cùm nubibus emicat; & cùm
E pluvia emergit victor, crassoque vapore.
Atque hinc non auro, argentoque nitentia tela,
Ditia nec multis laudarim cingula gemmis.
Sit ferrum, ferrique acies mucrone corusca.
Sint hastæ solidæ, longæque, & cuspis acuta.
Sint calybe efficta è nitido, sintque ære polito,
Fistulaque, sclopique, & glandiferæ catapultæ.
Sit valida & nitri vis ignea: nobilis hoste
His etenim victo victoria contigit: illa
Cuncta sed hostili servantur præda furori.
Præcipies igitur, meliora secutus, ut enses
Sint semper nitidi, & tenuati cuspide acuta,
Fulmineæque vacent nigra rubigine cannæ.
Sit siccus pulvis, sit fomes & aridus, illo
Admoto, ut subitus, cùm res petit, emicet ignis.
At verò ut tetra purgent rubigine scoplos,
Illiniant olea assiduè, smyrioque lapillo
Sæpè fricent: sic illa novo fulgore corusca
Semper erunt; Martisque feris aptissima pugnis.
Magna sed insequitur jam lex dicenda juventæ,
Scilicet ut furto abstineat, turpique rapina.
Et quamvis, ut fama refert, mandante Lycurgo,
Sparta suis quondam permisit furta; feroci
Prima rudimenta ut pubi, & tentamina belli
Prima forent, stimulique acres ad maxima rerum.
Nam fures noctu vigilent, & frigora, & imbres
Est opus assiduò durent; æstusque nocentes
Sole ferant medio, & multo sudore madescant.
Nunc cauti insidias ponant, atque invia lustrent:
Explorentque viarum aditus, saltusque fugaci
Transmittant cursu, & nudo pede flumina tranent:
Atque fami, & duro consuescant membra labori.
Sic & per similes casus, similemque per artem,
Paulatim docti veniunt ad munera belli.
Theutones hunc etiam morem, Francique secuti,
Eque impacati venientes tergore Iberi.
Quem tamen haud equidem prisci tenuere Latini:
Invictam nec, Roma, tuam decet ille juventam,

Vulgaris tamen laudandus, conciliat enim vulgi animos.

Arma sint nitida, & polita.

Furto abstineant juvenes: etsi Spartani permiserint, aliæq; gentes

Neve

Neve Patrum mores: quorum virtute paratum,
Tot ſtetit imperium ſeclis, ſtabitque per ævum.
Jure igitur ſcripto, Proconſul, præcipe, ne quis
Seu clam, ſive palam quidquam furetur ab agro,
Urbe vel è ſocia: nullique injurius unquam
Vim propter furtum violentis inferat armis.
Quisquis erit, qui jus contra temerarius auſit,
Plectatur pœna, ſed qua? dicamus: ab agro
Si ſocio leve ſubripuit, citò reddere raptum,
Aut par præcipies: virgisque è more vetuſto
Vapulet ab lictore tot ictibus, ipſa repoſcit
Quot furti moles: verùm ſi plurima rapta
Res fuerit, ſociisque illata injuria, pœna
Plecte gravi, rigidus nonnunquam Conſul, ab horto
Sublegit quia miles olus, vel vite racemum
Decerpſit, dextram præcidi juſſit; ut omnes
Tam rigido moniti documento furta caverent.
Et licet interdum expediant exempla ſevera;
Ut lapſi mores, & multa licentia caſtris,
Ex vitio, vel deſidia Prætoris oborta,
Protinus expellatur: obeſt mora rebus in iſtis:
Inque dies ſenſim creſcit gravis alea, tandem
Non ordo poterit, non diſciplina teneri.
Non crudum tamen ingenium, non ferrea jura
Laudarim ſemper: ſenſus Natura benignos
Eſt homini largita: virorum & pectora flectent
Blanditiæ potiùs, quam dura, & triſtia juſſa.
Plus, Conſul, leni verbo, quàm faſcibus ipſis
Extorquere potes: tamen eſt tibi ſemper habenda
Temporis oblati ratio, ingeniique virorum.
Quandoquidem nunc verba malum blandiſſima poſſunt
Propulſare: gravi nunc pœna, & faſcibus uti
Expedit: hunc blandi monitus Prætoris, at illum
Terrificæ cohibere minæ, lictorque valebunt.
Idcircò facies medica ceu nobilis arte
Olim Amythaonius fertur feciſſe Melampus.
Cauſtica nunc adhibet, durumque ad vulnera ferrum,
Morbus ubi validus furit, immiſſumque venenum
Peſtiferum latè in venas, visque effera fervet.
Nunc contracta lues fuerit cùm mitior, illam
Blanda per unguenta, & per mollia balſama curat.
At non hoſtiles latè prædarier agros,
Atque armenta rapi ſimul, & frumenta vetabo.
Attamen illi abeant prædatum rura, ſupremo
Ab Duce qui lecti: nimirum ut caſtra paratu

Plectendi qui aliquid ex ſociorum agro ſubripuerint.

Abſtinendum tamen à rigidis pœnis, per mitia, & blanda faciliùs curatur.

Hoſtiles tamen agros prædari permiſſum; ſed quibus à Prætore juſſum eſt.

An-

Annonæ omnigeno, & proventu vitis abundent.
At gravis hostiles presset penuria campos.
Plurimus & gentes timor occupet: omnia crebris
Dum sata frænigeræ vastant excursibus alæ.
Nam non ingenio prædæ, vel amore rapinæ,
Sanguinis aut sitiens, prorumpat miles, & igni,
Atque ferox ferro corrumpat cuncta: nefandum
Ut prædas abigas, & vastes omnia flammis,
Bella movere: Scythæ veluti, gens effera, Ponti
Quæ deserta tenet, Tanaimque epotat aquosum.
Idcircò injussus si quis perrupit in agrum
Hostilem, furti damnatum crimine plecte.
Et licet interdum prædæ insaturata libido
Audentem faciat quæcumque pericula pubem:
At virtutis amor, meritæque in secula laudis,
Unus sit nostræ stimulus, dos una juventæ.
Nam fortes facit hic animos, & pectus ahenum.
At qui dives erit gemmarum, & fulserit auro,
Possessas ne perdat opes, non ibit in hostem
Promptus, habens animum superare pericula certum.
Verùm Martis ubi, gravis ingruit alea, retro
Vertet terga: timens auro citò subtrahet & se.
Dis uti, qui Divùm quoniam ditissimus, omnes
Sic etiam divos inter timidissimus ille est.
At quem pauperies, & dura in rebus egestas
Armat, & in pugnam nihil est, quod tardet euntem,
Ille audax, animosus init certamen, & ille,
Securus referet prostrato ex hoste triumphum:
Non magis egregii factis, palmisque superbi,
Nec fortes magis, invictique fuere Quirites,
Quàm cùm pauperie miscebant prœlia tuti.
Nec plus Roma potens visa est, Orbique timenda,
Quàm cùm non auro, sed ferro armata refulsit.

In eos animadvertendum, qui injussu Ducis prædatum iverint.

Roma ferro, non auro, fortis, ac potens fuit.

Has ubi jam tiro leges edoctus, in illam
Intendat virtutem animos, mentemque colendam,
Maxima quæ virtus, socialis & unica vitæ.
Hæc & amicitia est, qua non præstantius ullum,
Utile neve magis, Dii concessere benigni,
Dona licet nobis largiti plurima: solum
Vincit amicitiæ munus, quæcumque dederunt.
Quandoquidem hoc uno munimine tota beatæ
Fulcitur vitæ ratio, ceu cardine nixa.
Nam quisquis cupit in terris, ubi mille pericla,
Ærumnæ, & morbi mille, & variabile Fatum,
Tranquillam facili cursu traducere vitam,

Perquam utilis amicitia, & ab amico quot fiat vitæ commoda.

Ille sibi fidum, comemque exquirat amicum:
Aurei cui mores, cui mens sit candida, mite
Ingenium, prudens animus, præcordia nullos
Nectere nata dolos, nullique obnoxia fraudi:
Et sit temperie similis, genioque, animoque,
Conditione simul vitæ, sit moribus jisdem.
Sic sanctum ambobus semper, firmumque manebit
Fœdus: erit semper sic & mens una duobus.
Ille tibi vitæ custos erit: ille futurus,
Si doleas, curas qui consoletur amaras:
Si plores, vultu lacrymas qui tergeat: & qui
Sublevet, oppressus multo si fasce labores.
Quique tibi in dubio versanti, protinus acri
Consilio occurrat, brevibusque educat iniquis.
Cumque gravis duro superimminet alea ab hoste,
Ilicet auxilium qui deferat, atque pericli
In partem veniat: redeas si victor arena,
Qui tibi gratetur palmam, exornetque triumphum,
Lætitiam & læto cumulet: ò si mihi talem
Quis bonus è cœlo demittat divus amicum!

Hæc igitur cùm sic habeant, vi nitere summa
Omnem, dux, operam, simul omnem impendere curam,
In castris sanctè colenda. Ut sancta in mediis vigeat concordia castris.
Sit socialis amor, sit pubes mutuus inter
Nexus amicitiæ, quo latis agmina campis
Pulchriùs effulgent instructa, hostique tremenda.
Hoc & tuta magis munimine castra, profundo
Quàm circùm vallo præcincta, atque aggere longo,
Hoc arces nexu, sunt hoc firmissima vinclo
Qua munita firmissima sunt. Mœnia, prævalido quamvis de marmore surgant,
Et prætenturis munita, & milite multo.
Hoc est ipsa simul pubes fortissima nexu.
Nam conjuncta magis quò pectora, eò magis horrida
Acriùs unanimi, & sociali prælia dextra
Miscebunt, contra luctantem, & tutiùs hostem
Prosternent, una obnixi, palmamque merebunt.
Non secus ac gemini, si junctis fluctibus amnes
Descendant, socioque tumescant agmine aquarum:
Non agger, sepesque valent, objectaque contra
Saxa, trabesque altæ, venientem avertere vim vi.
Sed sepes, scopulosque trahunt divulsa: refusis
Perrumpunt & cuncta vadis, cuncta undique perdunt.

Præterea quamquam sociis concordia vinclis
Omnem opus adnectat gentem, licet ipse paratus:
Diversis fuerit terrarum exercitus oris:

Quæ-

Quæque tamen legio bellantum, quique maniplus
Præcipuos servet nexus, & federa: cunctis
Unus amor, lex una, sit & mos unus, & idem
Sit genius, victus ratio sitque omnibus una.
In medium collecta ferant: serventque fideles,
Est quibus à Prætore datum: mox venit ubi usus
Illorum, nullo cunctis discrimine curent
Per capita æquali partiri lance decani.

Quæ servanda inter singulas legiones, & cohortes.

Quin etiam totam, dux, per tentoria gentem
Distribues denos per singula: Præstes & illis
Unus erit, qui lege data moderabitur omnes.
Hos inter nexus vigeat strictissimus; inter
Ut sic centurias omnes, omnesque cohortes,
Atque inter totam regnet concordia pubem.

At quoniam res nulla magis socialia solvit
Vincula, quàm ludi: pariunt & jurgia, rixasque
Atque odia, atque iras: nonnunquam & funera portant;
Idcircò tota ludos depelle juventa.
Sic etiam mala furta, & sic perjuria castris
Defendes: quæ damna unis nascuntur ab illis.
Sic socialis amor, nexusque fovebitur: omnes
Non tamen hic ludos ausim damnare, severa
Lege, nimis rigidus: ne fors pejora sequantur:
Nimirum deses labatur in otia pubes.
Quæ molles faciunt animos, Venerique ministrant
Nutrimenta: malum removendum nequius illo.
Non igitur pubi lusus permittere honestos,
Proconsul, renuo: reliqui, velut alea, tali
Arceantur: non fraude vacant, rixisque cruentis.
Et decoctorem faciunt, divisque nefastum
Qui sine more illis, claudus ceu sutor inhæret,
Vel genii vitio, impulsusve cupidine lucri:
Seu spe lactatus redimendi perdita: lusit
Quæ mala spes multos, & mercede exuit omni.
Hos igitur permitte, quibus longa otia fallant
In castris juvenes: latronum prælia primò
Ludere fas: lusus nam bellatoribus iste
Convenit: ipsa etiam sic acres otia pugnæ
Semper erunt: facientque animos, Martemque fovebunt.
Bis senis etiam sit honestum ludere scrupis:
Nam speciem levioris habet certaminis: aptus
Et rudibus magis est: pariterque pilaris honestus
Malleus, & trudes: quibus & motamus inertes
Corpora, uti crudum vitalis decoquat humorem
Ignis, & accrescant vires: pariterque licebit

Ludi à castris removendi, præter honestos.

Ludere par, impar, digitisque micare: duobus
Verùm his abſtineant, humiles ſunt quippe, Magiſtri:
Quos graviora decet ſectari, & ſeria ſemper.
Sed nobis ultra non fas eſt ludere: Mavors
Jam luſtrat, pugnæque ſimul ſeſe apparat acri:
Arma igitur, poſitis, capiamus Martia, ludis.





BELLICORUM
LIBER NONUS.

SED pubem bello inſtructam, cannisque nitentem
Fulmineis, jam rauca tonans Mars provocat: & jam
Tempus, ut hybernis maturo Vere relictis,
Cogant ſigna duces, inque arva patentia mittant:
Et conferre manus, pugnamque ciere parati.
Quare age, Romani lux formoſiſſima regni,
Et columen, noſtrique jubar memorabile ſecli,
Huc ades, & mecum patriis inſignis in armis,
Deſcende optatum, Juvenis generoſe, ſub æquor.
Ditis ubi carpenda manet ſeges aurea palmæ.
Et dum Bellonæ ex adytis, dum Martis ab æde
Te docet arcana Vates horrentia bella:
Suffice tu contra vires ad tanta canendum:
Heroaque tua carmen fac indole dignum.

Ad Romanum Regem Apoſtrophe.

At tu, Pontificis qui ſummi Nuncius iſti
Concilium in magnum: dio quo numine Patres
Afflati, voto Regem concorde crearunt
AUSTRIADEN: ſacro dudum qui carmine dictus
Romuleus fuerat jam Rex, Cæſarque futurus.
Tuque illum primus, læta inter murmura Patrum,
Voce ſalutaſti: regnique inſigne Latini,
Et quæ Threicias inferret victor in oras,
Atque Aſiam in magnam, Fidei vexilla dediſti;
Huc adſis (1) CANTELME: tuoque ad Carmina Vati

Et ad Cantelmum Pontificis Legatum.

 (Can-

(1) Jacobus Cantelmus S. R. E. Cardinalis Archiep. Neap.

(Cantantem quem ſæpè ſoles audire benignus)
O precor, ò facilis quoque vires ſuffice: & auras
Pierias bonus auſpiciis melioribus, affla.
Chriſtiadum ut cunctas ſacra in certamina gentes
Inſtruat; inque Scythen ſocialia conciat arma.
Conſilio ut quondam, dictisque potentibus, acres
Lechiadis animos feciſti in prælia; pulchræ
Ut tibi tot palmæ referantur, & alma trophæa.
Ergo age, Mæonios ſubmitte in pectora ſenſus:
Quando etiam Latio præfulges clarus in oſtro:
Et factis ſimul egregiis, & mente capaci,
Spes alis ingentes Orbis, Sanctique Senatus.
Tuque adeò magnam Vati mentemque, animumque
Lojolam parentem invocat. LOIOLA, inſpira, dius Pater: inque repoſtum
Caſtalidum penetrare nemus, Cyrrhæque receſſus:
Et ſine Parnaſſi niveo per culmina ferri
Subvectum curru, fontesque haurire beatos
Pieridum, ut ſacro repletus Numine, poſſit
Belligeras animare tubas, & Martia bella
Dicere, pulſa quibus ſacri faſtigia Pindi
Bella ſonent, totusque Helicon clamore reſultet:
Horrida & imbelles accendant prælia Muſæ.
Forſitan heroam ſi myrto adnectere laurum
Arbitrio populi liceat, plauſuque theatri,
Tum te, Dive canam: toto tunc ore ſonandum:
Et tua Mantoa clariſſima geſta per Orbem
Conabor proferre tuba: te Seres, & Indi,
Te ſimul Ammerici, & gemino gens ſi qua ſub axe;
Reſtat adhuc ignota, ſacris te Numen in aris
Imponet venerata: tuos cantabit honores;
Duo illi marmora donaria templo figit. Et ſupplex tibi vota feret, precibusque vocabit.
Intereà juvat inſtructo duo marmora templo
Figere, primitias belli tibi, dive, futura,
Hinc, atque hinc: medio fulgens ſpirabis in auro
Ipſe laborato, radiisque incinctus, & oſtro:
Qualis in aſtrigero conſidis victor Olympo:
Sub pedibusque undas, & terras arduus omnes
Deſpectas: Parioque inſculpam talia ſaxo:
Et primùm læva quod Fani in parte locabo,
In his Divi geſta non inelegantet inſcribit. Vulnere te glandis fractum, thalamoque jacentem
Incidam, & palmas Divorum, & facta legentem.
Adjiciam ſummo viſum de culmine cœlum
Expandi, nitidisque chorum deſcendere pennis
Aligerum: quos inter erat dux primus Olympi,
Claudere cui terris cœlum, & reſerare poteſtas.

Il-

Illum ſyderio depingam rore medentem
Saucia crura: novos & dio flamine ſenſus
Infundentem animis: dubia ſub luce colorum
Præruptos faciam montes, & vertice templum
Virginis, inque genu te pronum, arasque tenentem,
Et galeam, ſcutumque Deæ, gladiumque ſacrantem:
Spes & fortunæ ingentes, tituloſque ſuperbos.
Non procul incurva ſub rupe inſculptus in antro
Squalenti barba, vilique indutus amictu,
Atque fame, & nimio ſtabis vexatus ab æſtu,
Frigoreque, & rigidis diſciſſus terga flagellis.
Dura rudimenta, at ſacri felicia belli
Principia: hinc lauri centum, palmæque relatæ:
Hinc illa egregii fluxit ſeges ampla triumphi.
Marmore quæ ſignis dextro ſpirantibus addam:
    Hic te delectos cogentem ad ſigna maniplos,
Militiæque novæ leges, & prima locantem
Fundamenta; ſacer terris uti creſceret ordo,
Excidium extremum vitiis laturus, & Orco:
Verùm pacato Saturnia ſęcula Mundo.
Illuſtres ſculpam Heroas te patre creatos:
Saberiden, cladem Stygiùm, Ditique tremendum
Borgiaden: geminos hunc juxta plurimus arte
Appingam Juvenes, quos lilia cana coronant.
Quos & olorinis tranantes aëra pennis,
Puraque membra, nivis ritu canentia, pingam.
Ponè ſequens rutilo fulgens Antonius oſtro,
Ibit ovans! ſocium cui ſe Mavortius addet
Marcellus: patria miſſus Sirenis ab ora
Trans magnum Oceanum, primique cubilia Solis, Et magnos etiam heroas ab illo progenitos.
Seras ad extremos, & Japonis ultima regna.
Ibit & ille, ſuo qui te cognomine reddet,
Agmine laurigero heroum ſtipatus ovantum.
Et tu, quem comitem mox ſunt habitura Deorum
Concilia, immixtus tantis heroibus ibis,
Carole, teque chorus lauro comitabitur omnis.
Ibitis, & terno conjuncti fœdere, vos ò,
Primitias Latio Patri quos mittit Japon.
Atque alii: parvo ſi fas concludere ſaxo
Tot magnas Heroum animas, qui vulnera paſſi
Pro re Romana, ſignis meruere beatis
Adſcribi: & ſacri quotquot docuere Magiſtri
Romuleos gentes ritus, legesque ſacrorum.
    Non tamen inſignes ſaxo ſuperaddere palmas
Prætercam: magnarum & tot miracula rerum.

Hic

Hic miris elementa modis parere: fugatis
Æquora nimirum pacari, atque aëra nimbis:
Stare amnes: trepidare ſinum telluris: & ignem
Nunc pronum obſequio flammarum, & luce coruſca:
Impete nunc preſſo, in rores abiiſſe tepentes:
Atque gelu, frigusque ſuum domuiſſe rigorem:
Deviĉtasque acies morborum, & peſtiferam vim.
His addam è tumulis eduĉta cadavera, mortemque
Horribilem, indomitam, formidandamque ſubaĉtam.
Illic Eumenides diſciſſo crine jacentes,
Atque triumphatum Stygia cum gente tyrannum,
Tetrum, indignantem, flammasque ex ore vomentem:
Attonitumque vadis ſtantem Phlegetonta reflexis,
Inſculpam: geminoque hæc ſcribam carmina ſaxo:

Et nobilem Epigraphen.

De Mundo, & Luxu, viĉtoque Acheronte trophæa
Partheniæ hæc Patri Magno poſuere Camœnæ.

Hæc tibi nunc templo figam donaria: campum
Tu jam miles adi, mecumque accende canoro
Ære animos, ducibusque præi bellator in arma.
Jam fera bella ſonant Capitolia, jamque bifrontis
Fana dei reſerantur: & alto à vertice totis
Montibus aſſurgunt Alpes clamore ſecundo,
Tyrrhenæque fremunt ſulcatæ claſſibus undæ.
Reſponſant longè cava litora, & arma reclamant
Pulſati colles, & totus detonat æther.

Cogendæ quando ſint acies ad bellum.

Lucida cùm Taurus ſurgens bellator Olympi,
Cornua verticibus terris oſtendit ab altis,
Cogat ab hybernis acies Proconſul in unum;
Inque locum, diĉtamque diem, luſtrarier omnes
Juſſit ubi peditum turmas, equitumque Senatus.
Atque hic imprimis iterans, iteransque monebo:
Vos animo memores, res eſt non parva, tenete:
Tempeſtate nova primi procedere in armis
Feſtinate, duces, hoſtemque ad cœpta præite.

Tempeſtivè, nimirum primo vere, quod ad palmam obtinendam plurimum confert.

Tempeſtivus erit campi quicumque Magiſter
Poſſeſſor, hic viĉtor erit: qui ſerus, abibit
Re ſæpè infeĉta: poſitisque inglorius armis.
Commoda præterea primus majora referre
E vacuis potis eſt agris, melioraque caſtris
Deſignare loca, & validas ſubmittere turres,
Auxilium prius obſeſſis quàm deferat hoſtis.
Quin etiam primis jacitur qui terror ab armis,
Ocyus irrepit, timidosque præoccupet: illos
Hinc ſegnes facit, atque ad Martia munia tardat.
Quapropter damnate moras, quicumque, ſubaĉtis

Hoſti-

Hostibus, egregium lauri affectatis honorem.
Sed qui lustrando melior locus: urbs tibi magna,
Et munita, frequens, rivoque imposta fluenti,
Designanda: cavis sic ferri annona carinis,
Et poterunt facilè arma simul, bellique paratus,
Atque ipsæ juvenum vectari classe cohortes.
Sitque aditu facilis, quò se collecta juventus
Non multis valeat castris deducere, & illam
Læti intercurrant colles, campique patentes;
Qui loca sufficiant metando commoda: quique
Sint Cerere, & Baccho dites, & pinguia equorum
Pascua progignant: nec longè frondeat alta,
Plurima, materiem metanti, sylva datura.
Temperie sit & illa poli, terræque salubris.
Insuper extremo non longè à limite surgat
Imperii, præcox ut sit pervadere in agros
Hostiles, cursuque brevi tua castra ferantur.
Attamen haud regni sedeat pro finibus; acer
Ne pubi insultet crebris excursibus hostis.

Qui locus ad lustrationem accomodus.

Ut properè hyberna veniunt statione cohortes,
Castra locent urbem juxta, rivosque fluentes:
Aut sparsas habitent villas, vicinaque rura.
Atque hic te, dux, admoneo, ne mœnia pubem
Intus adire sinas, urbemque errare per omnem.
Militiæ in media leges ne fortè severæ
Urbe labent, luxuque animi civile tepescant:
Aut ne fervescant rixæ cum civibus ortæ,
Cùm merces venit, vel cùm deducitur hospes.
Militis ingenium violentum semper, & audax.
Nonnullos tamen ire feras, qui à civibus, ære
Cuncta sibi, sociisque petant alimenta, soluto.

Copiæ extra urbem metandæ, nec ulli liceat muros ingredi, & cur?

Præterea, quamquam longo discrimine distet
Hostis, ut excursus non sit metuendus, aperta
Attamen haud miles statione insidat: acutum
Singula quæque dato vallum pro tempore castra
Accipiant, portamque vigil custodia servet:
Atque unà armatæ stent intervalla per æqua
Excubiæ: procul omnis erit socordia castris.

Castrorum custodia semper habenda,

Sed postquam cunctæ, legiones mœnia propter
Consedere, dies lustrando & dicta refulsit:
Spumanti subvectus equo, tùm Consul in alto
Insistat tumulo sublimis: & ære comanti,
Purpureaque nitens zona, gemmisque coruscis,
Insignisque armis, & majestate decora,
Fulgeat heroes inter spectabilis omnes.

Qui fiat lustratio.

Qui mox subjecti spatiosa per æquora campi,
Quæque suis legio distincta cohortibus, arma,
Signaque certa gerens, procedat ut ordine, virga
Præcipiat: simul ipse alto de vertice spectans,
Solertes laudandi.
Interea numeros bellantum, & singula lustret
Agmina, signa, duces, cunctorum & nomina discat.
Magnanimos & lustret equos, & robora noscat:
Singula & arma, graves sclopos, hastilia, & enses.
Quos alacri gressu, nitidisque incendere telis,
Atque juga, & versus servantes conspicit, illos
Increpandi segnes, vel expungendi.
Egregiis ornet dictis, & munere donet.
At si qui segnes ibunt, atque agminis æquas
Non servant leges, nec fulgent ære polito,
Increpet: interdum si quem conspexerit arma
Non benè tractantem, versuque errare soluto,
Expungi jubeat signis, vilesque reponi
Calones inter: rigido sic cætera pubes
Induet exemplo solers, & honestior arma.
Ut jam belligeras lustravit ab aggere turmas,
Censuit & numeros, & robora magnanimus dux,
Se sua confestim in prætoria reddat: & omni
Concilium indicat præconis voce Senatu,
Ventura mox luce, viæ de rebus habendum.
Ergo ubi jam roseo præfulsit crastinus ortu
Titan, atque duces reliqui venere vocati
Exin Concilium de itinere habendum.
Concilium in magnum, solio tum Consul eburno
Considas, vultu facilis, facundus & ore.
At reliqui circùm teneant subsellia Patres.
Inde via super, & qua sit ratione tenenda,
Discessuque roga, quæ sit sententia cuique:
Quæ primæ properent turmæ, quæ deinde sequantur.
Quæ media incedant acie: solertia quæque,
Inter ut hostiles gradiens exercitus oras,
Tutus eat, tutòque illi frumenta ferantur.
Ut quæ visa sibi, Rectores verba dedere
Re super in medio posita, tum callidus ipse
Singula sub tacito perpendens pectore tecum,
Quæ potior multis sedit sententia menti,
Amplectenda tibi: sic omnes cautior ibis
In casus, quoscumque ferat Fortuna: sequentur
Nam mox bellorùm si prospera, laude decora
Cum ducibus simul ipse tuis ornabere: contra
Si forsan rerum venient adversa, vacabis
Crimine, & ipsa tibi dabitur prudentia laudi.
Arbitrio res nulla tuo tractetur: & uni

Ne

Ne tibi confidas: nam prudentissimus ille est,
Qui delectorum sequitur consulta virorum,
Non quæ visa sibi. Ducibus tentoria missis,
Castra diem posita qua sint ratione movenda,
Indicas toti præconis voce juventæ.
At priùs, hostiles armis quàm rumpimus agros,
Est opus, ut vires, & robora cuncta Magister,
Quæ sua perpendat, memorique in mente reponat:
Et juvenum, quæ certa Scythæ sit copia, discat.
Per quæ procedens loca moverit, aut quibus ille
Sedibus insidat: vel si qua valle latentes
Struxerit insidias, vel lucos inter opacos.
Id verò, ut certò teneat, sincerus in hostes
Explorator eat quamplurimus: omnia cautus
Qui loca rimetur, latebras speculetur & omnes:
Quæque acies, quæ signa, quibus vel subdola sylvis
Occultentur, agant & quos in bella paratus.
Qui populos inter rumor, quæ fama feratur
Crebrior, & trepidi quæ sit sententia vulgi,
Centum oculis vigil accipiat, centum auribus: & quæ
Explorata duci referat fidissimus: ille
Concilio accito, in medium pensanda reponet.
Quin etiam, varii quæ vestigata tulere
Exploratores missi, conferre juvabit.
Observata magis quæ consentire videntur,
Certa magis ducenda Duci, cunctoque senatu:
Illa & consilio pariter potiore tenenda.
Verum quippe, refert quod plurimus author ad aures.
Præterea fidos inimica è gente ministros,
Conductos auri magna mercede supremus
Dux habeat, qui cuncta sibi secreta recludant.
Quæ sint consilia, & fraudes Ductoris opertæ
Adversi retegant, scytalis transcripta Lacænis.
Quæ non posterior solertia habenda: secundi
Sæpè hinc successus cepere exordia: multo
Et sine conatu, sine sanguine, palma sagaci
Est ducis ingenio parta, & spolia ampla relata.
Verùm quanta sibi commissæ robora gentis,
Explorare, duci labor est non multus, in albo
Si primùm numerus legionum, & nomina signet
Cuncta ducum, & junctæ quot sunt legionibus alæ:
Quot simul & legio bellantum, quæque cohortes
Complectatur: equùm turmas quot & ala sonantum.
Et quot quæque cohors peditum, quot turma equitantum
Corpora habet: sic notus erit numerusque, ducesque

Et quæ suæ, quæ hostium sint vires.

Idque per exploratores sedulò indagandum.

Qui virium recensendarum modus describitur.

Pugnacesque viri, totusque exercitus: omnem
Ritè tibi summam si docta effecerit arte
Subductor: multam, dux, hic impendere curam
Imprimis conare: virùm nam cognita turba
Cuncta tibi, in certas si sit divisa cohortes,
Ordine quo miles sit deducendus in hostem,
Noveris, & primo quot fortes agmine turmæ,
Agmine quot medio, quot posteriore locandæ:
Instruere in campis aciem, & committere pugnam.
His super incinctos equites levioribus armis
Præmitte, ut colles, aditusque, & cuncta viarum
Explorent: montes nimirum, abruptaque saxa
Si superanda, cavæ seu valles, sive repostæ
Sint sylvæ, aut raucus torrens, vel flumina lata;
Sive lacus veniant pigri, effusæque paludes:
In quibus insidias struere, & comprendere turmas
Ilicet erumpens valeat subitaneus hostis.
Vel si planities campis felicibus æqua
Occurset, facilesque aditus, tutique recessus.

Per expeditos equites exploranda via, deque hostibus inquirendum.

His super, illa priùs, studioque impensior omni
Cura adhibenda, viæ quam se committat, & arma
Undique in hostiles agros, & prælia portet,
Solertem legisse virum, qui semper ab urbe
Supplementa novis mittat delectibus, & qui
Continuò castris alimenta, aurumque ministret:
Quę si fors desint, servari tempore longo
Integer haud equidem, validisque exercitus alis,
Inque hostem nec bella geri felicia possunt.
Milite sed veteri sensim morboque, fameque,
Et crebrò simul amisso certamine, totus
Labetur fato tandem: tibi maxima cura
Idcircò, dux, semper erit servare juventam,
Annona assiduè, tutoque in castra relata;
Atque novo semper delectu ad signa vocato,
Attritam reparare lue, & certamine pubem.

Solertia habenda, ut annona, & novi delectus continuò, & tutò in castra ferantur.

His animadversis, ubi jam statione movendum
Castra duci, inque hostes bellum deducere certum est;
Ære cavo acciri totam ad Prætoria gentem
Imperet; utque suis omnes è sedibus unà
Convenere, thoro tunc ipse exorsus ab alto,
Talibus accendat bellantum pectora dictis:
O pubes generosa, piis quæ nomina signis,
Sub duce Romano, sacrata in bella dedistis
(Nam non ambitio regnorum, aurique cupido
Torquet, agens animos in prælia: sola Latini

Priusquam dux moveat, ad cōcionem pubes vocanda, inque bellum hortanda est.

Rel-

Relligio patris, & ſuperi tutela Tonantis
Nos armat) toties optatum ſupplice voto
Tempus adeſt, quo ſacra Scythæ ſunt arma ferenda,
Numine divino (monuerunt Numina quando)
Auſpice ſed tanto gerimus ſi bella, ſecundas
Res ſperate, viri, certumque ex hoſte triumphum.
Quid non præſenti ſperandum Numine? ab illo
Inſignes uno veniunt poſt prælia palmæ.
Præterea, ſi laudis amor (laude inclyta fervent
Pectora) magnanimis tangit præcordia curis,
Hinc vobis ventura ſeges largiſſima laudis,
Quæ merito nomen plauſu, famamque perennet.
Nam qui partus honor virtute, & fortibus auſis,
Immortale parit, magnumque in ſecula nomen.
Inſuper, egregio quia munera ſemper opima
Victori debentur, erunt ampliſſima veſtræ
Præmia virtuti, juvenes, opulenta tyranni
Armaque, divitiæque, auroque nitentia vaſa,
Et torques gemmis deſtincti, & divite pulchri
Penna, & lucifero inſignes adamante galeri:
Et ſcuta, & galeæ, ſtellisque ardentibus enſes.
Præmia quin etiam vobis ſtant fertilis Hebri
Florentes campi, & felices Strimonis agri,
Ruraque Macedonum læta, & viridantia Tempe
Æmoniæ: vobis quæ jam Victoria donat.
Quare agite, ò juvenes, Latii fortiſſima regni
Robora, ſpes patriæ meritò firmiſſima veſtræ,
Ite alacres, audete animis, præſumite magnam
Spem belli, memores regni, & virtutis avitæ.
Spondeo læta: dabunt nobis Di læta ſecundi.
Haud equidem vobis longùm expectare: futura
Lux tempus dabit optatum, quo caſtra movenda.
Omine nunc læto, jam certis corpora rebus
Procurate viri, & ſplendentia tela parate.
Hæc poſtquam magna cum majeſtate profatus,
Et nitida ornatus clamyde, & fulgentibus armis,
Concilium dimittat, & in regalia ſeſe
Magnifico incedens greſſu tentoria ducat.
Majeſtas veneranda ducis, greſſusque decori,
Et nitidi ſimul ornatus, & regia veſtis,
Conciliant animos, atque addunt pondera dictis.
Aſt ubi clara dies roſeo præfulſit Eoo,
Et matutinus jam Lucifer occulit aſtra,
In ſua ſigna citi pedites, equiteſque recurrant;
Veſtibus ornati nitidis, armisque coruſcis;

At priusquam ſe itineri dux committat, inſtruenda ei acies, quaſi pugnam initura.

Inſtructor quà quiſque ſuum vagus explicat agmen.
Centurio hinc, facto incœptet procedere, ſigno,
Prætor ubi totam legionem ſtare jubebit
Inſtructam lato in campo, quo caſtra movenda.
Singula ſub propriis poſtquam digeſta Tribunis
Agmina: calones & jam tentoria cuncta
Convellere, citi lixæ & ſua vaſa ligarunt:
Tardigradis & cuncta ſimul compoſta quadrigis
Tormenta, & nitrum, ciſtæque, & plurimus uncus:
Caſtrorum ſummus tum dux, cui facta poteſtas
A Prætore, manus ceu collaturus, apertis
Explicet in campis acies. Fiducia nunquam
Vos teneat quæcumque, Duces; ſemperque cavendum,
Neglecto incedat ne pubes ordine, quamquam
Per tutos ſociorum agros decurrat, ubi omnis
Eſt hoſtis formido procul; tamen ordine Martio
Agmen eat: ſemper conſueſcat ut ordine pubes.
Sed tandem, jubare exorto, cunctisque paratis,
Carpere ductor iter, ſua per divortia, turmas
Imperet: ordinibus verò quibus agmina in armis
Procedant, paucis, animos adverte, docebo.

Quo ordine exercitus procedat, vates docet: Et primò ſi per apertos campos via ſit.

Si vobis extenta agris, & aperta ſecanda
Planities, hac lege phalanx iter omnis inibit:
In medio binæ peditum ſtent agmine partes,
Inſtructæ in turmas, bellatricesque cohortes:
A dextra, lævaque ſuis tormenta ferantur
Curribus, & cuncti propter tormenta miniſtri
Incedant; quos lecta manus comitetur euntes,
At geminas alas hinc illinc occupet, æquas
In partes diviſus eques tibi totus: & ille
Sit pariter geminas utrinque inſtructus in alas.
Tertia pars peditum poſtremum terminet agmen:
Totaque turmatim longis terat arva maniplis.
Frænigeras inter turmas, aciesque pedeſtres,
Materies belli, victus, caſtrentia vaſa,
Atque minora rotis ſimul æra impoſta ferantur;
At verò, ut facilis via ſit tendentibus, ante
Quàm caſtra è prima moveat ſtatione juventus,
Præcipe, foſſor uti cum lignatore recurrat
Plurimus: & truncos hic ab radice ſecuri
Cædat, humum rigidis aſt ille ligonibus æquet.
Ne qua virùm, currumque citis mora curſibus obſtet.

Præmittendi lignatores, foſſores ad æquanda itinera.

Aſt age; ſi campum collectis viribus hoſtis
Occupet, incœptum tibi vi, vel ſubdolus aſtu
Turbaturus iter, denſo magis agmine, Prætor,

Præ-

Quid cum hoſtis armatus viam occupat.

Præcipe tum gentem procedere : perque quadratas
Ire manus peditem, medioque ſub agmine : & omnis
Ignivomi hàc illac ſtet machina Martis, & ipſa
Impedimenta : latus quorum ſtipentur utrumque
Hinc, atque hinc, gemino verſu, fortiſſima pubes.
Aſt equitum numerum quatuor partitus in alas,
Fac gemina hinc geminæ tutentur cornua frontis:
Hinc totidem firment tergus : ſed jam via campo
Corripienda, tubæque inclamant ære canoro.
At Solis nimii quoniam gradientibus æſtus
Sæpè nocent, generantque lues, febreſque malignas;
Idcircò juvenes ſub iniquo faſce, Magiſter,
Non multum jubeas ſpatii perſolvere: aperti
Bis ſex mille tibi paſſus ſint æquoris æqua
Intervalla, die quæ pubes hauriat uno.
At verò obſeſſis fuerint ſi forte ferenda
Auxilia, aut ſociis comprenſis valle ſub alta:
Sive ut perveniens non expectatus ad hoſtem,
Ilicet incautum, dux, aggrediare, ſub uno
Viginti lapides bellator currere Sole,
Non durus renuat: labor improbus omnia vincit,
Cùm patriæ, cum laudis amor, vel ſancta repoſcunt
Fœdera. Sed major ſequitur cura, inter opacum
Cùm nemus, aut montes, vel crebræ concava vallis
Anguſtum metiris iter, ſaltuſque repoſtos,
Et labiryntheis erroribus abdita luſtras.
Si via per montes tibi ſit carpenda malignos,
Seu per declives, & præcipites convalles,
Tum juga curſores jubeas ſuprema ſubire;
Ut vigiles alto proſpectent culmine, circùm
Quæ loca, qui pateant aditus, cœcive receſſus:
Quique homines habeant: & ſi quis delitet inter
Confraga, vel nemorum ſaltus inimicus opacos:
Sollicitique oculis ſimul omnia circumſpectent.
Quique ſitus pariter referant, poſituſque locorum.
Denſa ſed arboribus ſi ſylva óccurrat, acuto
Fac lignatores ferro reſcindere lucos:
Atque aditus aperire; ſuis inſtructa maniplis
Per quos tota cohors tutò procedat: & illos
Ante dies quàm, dux, moveas, præmittito ternos;
Ut tempeſtivè valeant abſolvere cœptum;
Agminis arreptos curſus mora ne qua retardet.
Utque fabri denſas ſecuri cædere ſylvas
Evaleant, illos equitum tutarier alas
Delectas, hoſtémque jube depellere ſaltu.

Juſta itinera XII. millia paſſuum non excedant, ni aliter neceſſitas cogat.

Traditur modus in hoſtes vadendi cum per nemora, ac montes movendum.

Sed

Sed postquam via facta, leves præcedere turmæ
Incipiant equitum: celeres quas ponè sequantur
Bellaces peditum, juga per stipata, cohortes.
Inde suis sociata ruant tormenta ministris,
Currusque, & totum succedat protinus agmen:
At postrema sequens equitatus cætera claudat.

Si prærupta locorum superanda, cum impedimentis per æquiora cursus circumflectendus.

Exuperanda jugis loca si prærupta rigescant,
Inter & angustas pateat vix semita valles:
At tibi si fasces tamen, & tormenta necesse
Devehere; in longum tum circumflectere cursum
Æqua per & spatia, & non difficiles convalles,
Prætor opus: multum nec te perferre laborem
Pœniteat, longasque moras tolerare viarum.
Atque illud vellem te, commeminisse frequenter:
Illa brevis, facilisque magis via semper habenda,
Qua securus eas, veniasque ad mœnia tandem,
Quæ petis, & tutò valeas offendere in hostem.

Cum inimicus aditus, & montes occupat, præmittendi fortes, qui illum ab infessis locis vi pellant.

His & sylvarum spatiis digressus iniquis,
Non melior via per valles, & culmina montium
Alipede est magnis stimulis superanda citato:
Quæque inimicus habet, servatque angusta viarum.
Cura igitur sit prima, equites præmittere fortes
Sub duce delecto, qui primi expellere ab ipso
Contendant hostes aditu, saltusque recludant.
Mox ubi, vi facta, secura est semita, miles
Protinus incipiat densis properare maniplis:
Paulatim dextra veniens distractus ab ala.
Intereà, ut vallis per confraga tuta juventus
Incedat, validæ teneant fastigia summa
Centuriæ, & circùm sclopis stipentur ahenis:
Inque imis aliæ densentur vallibus, alto
Ne forte armatus de culmine fulminet hostis,
Missilibus crebris, sternatque in valle catervas;
Aut improvisus veniens è faucibus arctis,
Occupet, & medio comprensos funere plectat:
Sive ignominias, & tristia jussa subire,
Non benè depositis cogat violentior armis.
Ut quondam culpa (fama est notissima facti)
Incauti Prætoris, inexpertique locorum,

Cavendum ne te hostis, in angustis vallibus comprehendat: ut ad Caudinas Furcas Romanos Samnites, atque iniqua pati coëgerunt.

Hanc ignominiam vitare Latina juventus
Caudinas nequit ad Furcas: ubi sub juga missa,
Romanum jubar æterna caligine tinxit.
Vos igitur cauti, per sylvas ire, cavete,
Implexas, vallesque, & per prærupta jugorum:
Ni priùs in summis densatus miles in armis

Ver-

Verticibus sidat, vel valles occupet arctas:
Tutaturus iter sociis, hostemque ruentem
Culmine de summo, seu depulsurus ab ima
Valle, loci fretus munimine, atque sua vi.
Sed quæ planitie in lata, post invia lustra,
Duraque difficili saltu superata locorum,
Occurrunt, nectuntque moram properantibus? alta,
Nosco equidem, cœptos remorantur flumina cursus.
Qua largos igitur valeas transmittere rivos,
Arte canam: facilis nec cura est ista Magistro.
Præcipies pontem primùm compingier: illum
Pluribus è ratibus pueri componere certent.
Atque rates fundet gravis anchora: strataque cymbas
Mox tabulata super facient longissima pontem:
Qui tibi sit latus, solidoque è robore; totus
Ut tutò valeat transire exercitus illo.
Fac & latescat tanto discrimine, quantum
Est sat, ut instructis bis deni incedere possint
Ordinibus, junctique adversam invadere ripam.
Ponte igitur vasto fluvii super æquore strato,
Per sua signa, manusque, omnis transmissa juventus,
Ingrediatur agrum, & villa excipiatur amica.
Vesperè nam facto, placidæ ruit hora quieti
Commoda: fessa gravi curandum & membra labore,
Et victu vires fas instaurare labantes.
Hæc si Romani sit fœderis, acrior hostis
Nullus & incursu subito vicinia vastet,
Membra fatigatæ pubi, dux, parce: coruscis
Attamen assiduè villam circumdata telis,
Vestibulo vigil in primo custodia servet.
Ast inimica colat si gens confinia, vallo
Tunc aditus pagi cunctos munire memento:
Atque ipsi in medio currus, & cuncta reposta
Martia vasa, dabunt subitum pro tempore vallum.
At verò adversam fluvii si plurimus oram
Hostis habet, pueros interclusurus ab alveo:
Tum pontem instruere, & latum superare fluentum
Difficilis res est, & magni plena pericli;
Ut tamen evincas, quæ sint tentanda docebo.
Quippe nihil quod vi, quod non vincamus & arte.
Præcipies igitur, disploso sæpius ære,
Hostes adverso depelli è margine: turmæ
Interea lectorum equitum, mora nulla, patentem
Mittere se in fluvium, subitoque tenere natatu
Conentur ripam adversam, stantemque sub illa

Ars traditur, quà flumina transmittenda.

Vespere curanda corpora, valloque pro tempora castra munienda.

Quæ industria, ac conatus fluvios transnate cum adversam ripam armatus hostis insedit.

Con-

Conficiant hostem: & tota vi fonte potiti;
Insternant tutò pontem: rivoque remenso,
Illicet objecto ripæ se margine vallent.
Atque hic sæpè malum latos tranentibus amnes
Ingruit illud, agens nocitura pericula; primæ
Ne fors adversam cùm jam tenuere cohortes
Transmissæ ripam, confestim plurimus hostis
Incumbat super, & magnam ferat undique stragem;
Nam cùm ponte uno nequeant transducier omnes
Continuò turmę, sociis discrimine in illo

Qua arte cavendum, ne parte copiarum in alteram ripam transmissa, illam validus hostis, invadat.

Laturæ auxilium, non æquo Marte priores
Pugnantes, cladem accipient: dux talibus ergo,
Curato studiis instanti occurrere pesti:
Pluribus instratis primò superare fluenta
Pontibus, atque amplis adnitere: plurimus illis
Miles in objectas ripas, atque ocyus ibit.
Præterea multis etiam pontonibus uti,
Et lembis poteris, patiens si rivus: & illos
Saxobolis, sclopisque jube majoribus, alta
Præfixis prora, munirier: intus & acrem,
Imponique omni delectam è pube juventam.
Nam sic fulmineis, crebròque tonantibus, hostes
Tormentis poterunt pulsi de margine ripæ
Discludi, tutòque exponi in litore miles.
Confestim texto qui vimine, quique ligone
Plurimus effossa tellure, & cespite multo
Extruat attollens vallum: munimine quo se
Protegat objecto: reliquæ dum flumina turmæ
Trajicient. Validus sed ripas occupet hostis,
Et stricto ferus ense, cavo tuetur & ære,

Cum validus est hostis, varia ex parte tentandus transitus, & qui facilior visus, illac irrumpendum.

Assiduè exploso, chytrisque in flumina jactis,
Virtute ut nulla fluvium superare juventus,
Arte queat nulla: tum fraudes callidus ipse
Instructas adhibe: quæ vis non obtinet, astus
Sæpè dabit. Variis in partibus amnis aquosi
Confinges te velle vadum transire sonorum.
Sic distractus ubi diversa recurret, ibi ipse,
Quà via visa tibi facilis, citus ingrue totis
Viribus, objectæque potire crepidine ripæ.
Sed ruit intereà nox humida, clarus & altò
Lucifer Oceano surgens, lucemque, laboremque
Advehit, & somnos mortalibus excutit ægris.
Itur in hostiles agros: loca cuncta bipenni
Vastantur: prædasque ferunt è ruribus alæ
Emissorum equitum, & terroribus omnia complent:

At

Traditur ars caſtra muniendi cum hoſtem opperimur.

At ſi forte velis, vallo circumdare caſtra,
Inſtantem opperiens hoſtem, ratione locanda
Qua ſint, quoque loco, poſituque (graviſſima quando
Hæc ſunt) non paucis, aures adverte, docebo.
    Imprimis ratio (res tota hoc pendet ab uno)
Captandi tibi multa loci ſit ſemper habenda.
Ergo age, qui melior metandis accipe: clivo
Eſt locus in facili, vel aprico colle legendus,
Temperieque poli lætus, terræque benigna:
Ne noceat pubi gravis aër, & mala tellus.
At non vicinus conſurgens altior alter
Immineat collis, raucis ferus unde metallis,
In tua caſtra frequens, & pubem fulminet hoſtis.
Vitreus & juxtà decurrat rivus; aquari
Ut tua gens omni valeat ſecura periclo.
At putres, glaucique lacus, & inertia longè
Semper erunt tibi ſtagna; quibus gravis humor ad auras
Expirat, nebuliſque obfuſcat ſydera denſis.
Commoda prætereà ſtatio, ſi flumina propter
Magna fluant, queis cuncta cavis alimenta carinis
Convectentur: erit tamen illud rite cavendum,
Imbribus è cœlo ne forſan flumina lapſis,
Aucta ruant ripam ſuprà, camposque patentes
Undique fuſa tegant, & caſtra furentibus undis
Invadant, unàque viris tentoria vertant.

Potior in colle locus fluvio vicinus, at longè à palude triſtes nebulas expirante.

    At quia colle valet tutari caſtra juventus
Et ſecura magis, & fortius, illa ſupino
Idcircò figenda duci ſunt colle: patentes
Cui campi ſubſint: placeat ſi ponere clivo
Illa in demiſſo, ſummum cuſtodia montem
Delecta è primis juvenum defendat: ahena
Sint ſummo tormenta jugo vallata profundis
Aggeribus, texto factis de vimine: propter
Cæduus aſſurgat lucus, lignarier illo
Ut facilè evaleant lixæ, caſtrisque locandis
Materiem vectent, propriùs ne plurimus adſit,
Impensè caveas; ne circumtectus opacis
Inſtruat inſidias ſylvis inimicus: aperti
Undique ſint campi circùm, & florentia rura.
Non minor intereà victu ſtraviſſe ferendo
Securam ſub caſtra viam, manet altera cura:
Nam ſecus ex illis cogeris abire; propinquus
Hoſtis ubi jam terga premit: vel cuncta neceſſe
Agmina diſpereant triſti morboque, fameque.
Idcircò tanti cùm ſit res iſta, ſagaci

Sint & ſylvæ non multum remotæ.

Curandum, ut facilis ad ferendam annonam via ſtrata ſit.

Ingenio ſtudeas lectis anguſta viarum
Præſidiis firmare, ferant quà tuta catervæ
Belligeræ frumenta, boves, & dulcia Bacchi
Dona: ſimul longo conjunges flumina ponte.
Turris & impoſitæ firma munimine pontem,
Sint quoque non longe præcinctæ mœnibus arces;
Intus ubi è villis, agriſque hoſtilibus omnis
Servetur collecta Ceres, laticeſque Lyæi.
His animadverſis, actutum figere caſtra
Solicitus labor inſequitur: vallate Magiſtri
Pugnaces confeſtim acies munimine longo
Caſtrorum, ſubitis pateant ne forte periclis.

Traditur forma, qua metari caſtra opus ſit.

Ergo age, qua forma potiùs metabere, diſce.
Et primùm quadrata loca, ſi commoda ſedes
Quadrato ſi viſa loci: qui longior una
Excurrat ſi parte, oblonga attollere, Tecton,
Ne pigeat: nunquam verò metare rotunda;
Quamvis arva petant; neve illa triangula fiant:
Antiquis quamquam ducibus hac ſæpè figura
Pro campi metata ſitu: non aggere vallum
Attollas recto, veterum de more: ſed illum
Dentato facies, ſua per diſcrimina, ductu:
Ut latere è gemino, objectaque à fronte petatur
Miſſilibus crebris inimicus, ut agmine caſtra
Aggreditur denſo veniens: fac, angulus inſtar
Sit propugnacli: cui frons extenta, duoque
Sint latera, & medio facies ſit plana: propingui
Aggeris inque latus tantum producta, canoro
Quantum ex ære fugit protruſum miſſile plumbum.
Quin etiam, nimium ſi frons hæc longa, frequentes
Turriculas medio faciei attollere quadris
Profuit aggeribus, rauciſque armare metallis.

Quæ forma danda ſit caſtris.

Et quomodo munienda ſint.

Præterea, poſitis quadruplex ſit janua caſtris:
Auroræ in roſeos ſpectet Prætoria vultus,
Sive hoſtem contra, vel quà carpenda per æquor
Eſt via: prætento firmetur & aggere porta,
E facie adverſa pateat decumana: feruntur
Quà miſeri ad pœnam ſontes: ſitque una ſiniſtro
In latere, in dextro ſit & altera: largaque tantum
Porta ſit, armato quantum ſatis eſſe maniplo
Ducitur. Adverſo ſi non ſit terror ab hoſte
Plurimus, è cæſis viridi tellure bipenni
Agger ceſpitibus, ceu murus tollitur, altus
Qui pedibus ſurgat ternis: ſitque ante reciſus
Ceſpes ubi, facili, ſubitoque inſtructa labore

Quatuor ſint portæ, & turriculis ſingulæ firmandæ.

Qualis ſit agger, & foſſa.

Foſ-

Fossa, pedes tibi lata novem, septemque profunda
Acrior at magni si vis superimminet hostis,
Legitima vallum tum fossa ambire necesse est.
Fiat & ampla pedes bis senos, altaque subter
Sit murum illa novem: quatuor sed murus in altum
Surgat: ab aggesto, ceu sepes, cespite factus.
Margine in extremo fossæ defigere circùm
Præcipies altos, & acuta cuspide palos:
Qui venientem hostem objecto munimine tardent.
At verò ut subiti calones castra reponant,
Instrumenta ferant agrestia, rastra, ligones,
Atque uncum, & palam, textosque è vimine qualos.

At non difficili vallari castra labore,
Cùm propè nemo premit nos adversarius: at cùm
Jam ruit incumbens, res ardua: tum citus ipse
Dux equitum turmas omnes, peditumque valentes
Instruat, hostilem vim propulsurùs aperto
Æquore: sed certam vitet committere pugnam.
Interea reliqui pedites, moderante Magistro
Castrorum, faciant congesto è cespite vallum.
Utque opus est tandem completum, protinus omnes
Sese in castra acies inducant, ordine quo tum
Paulatim, signo facto, concedere Prætor
Jusserit: ast illud caveant, ne forte sequendo
Hostis terga premat, mixtusque ruentibus intret
Castra, aciesque omnes actutum impune trucidet.

Quæ diligentia adhibenda in metando sit, cum hostis premit.

Nunc age, vallatis longo munimine castris,
Ordinibus figenda quibus tentoria campo,
Expediam: medio castrorum pone supremi
Prætoris sedem: circùmque astare cohortem,
Cui commissa ducis custodia præcipe: cuncti
Dispositi & sint papiliones ordine quadro.
Sitque Forum hinc dextra, atque illinc Prætoria læva,
Ordine quo reliqui pariter tollantur: & æquis
Inter se spatiis distent, discrimine recto.
Sint & structa equites juxta præsepia equorum;
Prompta ministeria ut sint quadrupedantibus: illis
Pabula seu dantur, seu deducuntur aquari.
Ante suas etiam turmas stent fixa Tribunorum
Alta tabernacla: atque duci vicina supremo
Legati teneant, data jussa capessere prompti.
Unius in medio lateris tentoria lixæ,
Et sua calones ponant: currusque locentur
Juxta omnes; alimenta quibus, nitrumque repostum,
Plumbatæque graves, atque omnis copia Martis.


Qua arte, & quo ordine figenda tentoria.

Hic pariter, ſi viſa tibi ſit commoda ſedes,
Turriculam vice ſtellarum turrisve quadratæ,
Attolli actutum jubeas: tormenta locari
Ænea qua poſſint, ſervari & milite multo.
In primum quà verſa patet Prætoria Solem
Porta, ſit extentus latè æquore campus aperto;
Poſſit ut omnis eo, inſtructis exercitus alis,
Stare hoſtem contra, ſi ſint tibi dura gerenda
Prælia, vel ſit iter ſpatioſa per arva ſecandum.

Ante Prætoriam portam ſit extenta planities in qua explicari copiæ, valeant.

Nunc age, quæ facilis hac tempeſtate locandis
Sit caſtris ratio, ſi ſint mox illa movenda,
Dicamus: triplici diſponas ordine totas,
Dux, acies: primò quadrato tramite turmæ
Conſidant, acie inſtructa quæ frontis honorem
Acciperent, meritum palmis, & fortibus auſis.
Quique acie in media propugnant ſtare ſecundo
Ordine fac, Prætor: poſt hos qui Marte calente,
Suppetias ſociis laturi extrema tenerent.
Hac ſint lege tamen tentoria fixa, cohortes
Stent mediæ peditum, geminaque equitatus in ala.
At turmas inter peditum tormenta reponi
Præcipio: pulvis dextra Vulcanius, inter
Poſtremam, mediamque aciem, plumbumque locetur,
At currus, victusque omnis, lixæque ſiniſtra.
Hæc juga lata inter recto via tramite currens
Biscentum ſit quæque patens ampliſſima paſſus.
Ter denos, quinosque equitatus ſingulæ habebunt
Florentis campi turmæ: totidemque tenebit
In medio ſectura, queat tranſire per illam
Tota cohors armata, manus conferre neceſſe
Si fuerit. Peditum numero majore cohortes
Stipatæ, poterunt quadrati ruris habere
Vicenos quater, & totidem ſectura patebit.
At verò pedites inter, turmasque equitantum,
Ordinis interſint paſſus unius in unguem
Quadraginta, ſoli pro conditione. Sed aures
Jam tuba terribili ſonitu diverberat, & jam
Belligerùm hinnitus longè reſponſat equorum.

Traditur modus facilis metandi, ſi mox movenda ſint.



BEL-



BELLICORUM

LIBER DECIMUS.

HACTENUS in levibus pugnæ prælusimus armis:
Viribus at totis, toto nunc Marte ciendum
Hostem in prætentum campo certamen aperto,
Et quoniam suprema dies jam cominus instat,
Tentanda incerti conflictus alea summa est.
At tibi non, Flos AUSTRIADUM, regnoque paterno,
Sub dubio trepidans nutu, Victoria pendet:
Certa manet, quamvis interdum sera moretur.
Namque tui, & patrii cœlo custodia regni est.
Quare age, disce, statu quo rerum pugna ferenda, *Ad Austriacum Cæsarem apostrophe.*
Tempore quo, quibus in campis, quaque arte magistra;
Ut certam valeas palmam, laudemque referre.
Et quoniam AUSTRIACUM in bellum comitabere Regem,
In partem ut plausus venias, partemque triumphi,
Huc age, AQUINIADE, mentem converte sagacem: *Et ad Mæcenatem.*
Quæque notanda super pugna, jam suscipe nostro
Carmine, victrici niteas uti tempora fronde:
Majores qua sæpè tui micuere superbi,
In sacra dum patrios sociarunt prælia Reges.
At vos, bellorum præsentia Numina, Vati
Ferte, precor, vires, dubiisque in rebus adeste:
Tu, qui Romulidum primus diis additus, alme
Flaviade, cœlique inter felicior astra, *Constantinum Magnum invocat.*
Latius imperio Romano, & latius Orbe
Terrarum toto regnas: Tu Carole, tanto
Non impar genitore: pares virtutibus ambo; *Et Carolum Magnum, duo bellorum Numina: è quibus ortum Austriaca domus habet.*
Atque armis, gestisque pares ingentibus ambo:

Di

Di ſimiles, ipſoque æquales nomine Magni.
Diſcordes quamvis uno: nempè ille ſub Ortum
Tranſtulit Imperii ſedem, ſoliumque locavit
Auroræ in gremio periturum: victor at ipſe
Rurſus in occiduas, Fatis melioribus, oras
Vexiſti: cœpere novi, te Conſule, faſti.
O agite, & Vati concordi numine carmen
Inſpirate animis; pariterque horrenda futuri
Præſenti regite auſpicio certamina Martis:
Et generi palmas veſtro, laurosque parate.
Quandoquidem veſtro juvenis de ſanguine cretus,
Vos animo, vultuque refert: vos fortibus auſis,
Et magnis referet factis: primusque ſub Ortum
Romanas Aquilas victricibus inferet armis:
Atque redux Auguſta domus ſua tecta reviſet
Flavia: mutato quæ nunc cognomina fertur
AUSTRIA, Cæſaribus centum, centumque ſuperba
Conſulibus, totoque domus clariſſima Mundo.
Ite duces igitur belli, nutuque favete
Unanimi, generique dii ſuccurrite veſtro.

Quando de rerum ſumma acie decertandum; cum ſcilicet Barbara petuntur Regna, augendumque imperium eſt.

Principio, ante aciem quàm latis inſtruis arvis,
Quæ cauſſæ, rerumque ſtatus, qui prælia poſcat,
Accipe: Regna petis ſi barbara, ſceptraque gemmis
Affectas ornare novis, & plurima lectæ
Robora ſint pubis, certam committere aperto
Ne dubites campo pugnam, & te fidere Sorti.
Pro ſpe quæſiti jacienda eſt alea regni:
Cunctaque Fortunæ ab nutu pendere licebit.
Una dabit tibi pugna, dabit victoria regnum
Una; triumphales decernat & una curules.
Ter nitidis devecta rotis Victoria ab alto
Pelleo totum Regi conceſſit habendum
Aſidis imperium magnæ: dedit illa Latinis,
Æmilio ductore, ſemel delapſa nitenti
Æthere, res Macedûm: Libyæque ingentia regna,
Altaque Cartago, claſſesque, atque æquoris omne
Arbitrium, unius Romæ data præmia pugnæ.
Solus Pharſaliæ campus: ſolique Philippi
Cæſaribus Mundi imperium peperere duobus:
Una etiam pugna Romanus Flavius Orbem
Promeruit: quid plura ſequor? quando varians Sors
Momento reges, & regna potentia verſat.

Si verò à Barbaris illata vis propulſanda, acie abſtinendum.

At ſi ab externo ſit vis illata tyranno,
Quem tibi, quem populo, & regno defendis avito:
Ne præceps jactu ex uno pendere ſalutem

Auſis

Aufis communem, & regni irreparabile damnum.
Longas necte moras: nimirùm sæpè morando
Vincitur: & vires quos non domuere, neque arma,
Prudenti durata duci patientia fregit.
Sic tantis olim pugnis concisa finiſtris,
Cunctatore ſtetit Fabio, Romana: ſed ingens,
Cunctante actutum nullo, res Perſica lapſa eſt;
Mille ſupra ſteterat, quæ clara, immobilis annos.
At verò Imperii ſi propugnacula prima,
Munimen populi quibus, & ſpes nititur omnis,
Aſpicies dura circùm obſidione teneri:
Atque laborantem jam jam diſcrimine pubem
Extremo; dubiæ pugnam committere Sorti
Ne renuas. Dubiæ interdùm ſe credere Sorti
Arbitrio juvat: & ſpe animoſa ſæpè merendum eſt.
Non ſecus & ferro ſtat decertare, paratam
In manibus laurum dum proſpic[illegible] ipſaque dat res.
Re ſemper caveas conceſſa ſegnius uti:
Momento quoniam rerum momenta feruntur:
Inque alias mutata vices Fortuna recurrit.
Non tibi, Pœne, favens Sors defuit, ipſe virentem
Paſſus mollitie deſes marceſcere laurum.

At ſi res ferat, & faveat fortuna, totis copiis dimicandum.

At ſi gentis honos, ſervandaque gloria regni,
Et famæ geſtis partæ, & felicibus armis,
Conſulere eſt opus: irritat Mavortia quando
Acrior hic ſtimulus bellantum pectora, Martem
Magnanimo tentare duci, pubique licebit.
Namque cadant quamvis adverſo numine, vincent.
Talia quandoquidem volventes facta minores,
Virtuti pugnaſſe dabunt, ſed cætera Fato.
O vos inſignes animæ, præclaraque Romæ
Lumina, quæ ſancto Patriæ pro nomine, Pyrrho
Non terga ignavi, ſed pectora dura dediſtis,
Vincere ſecuri: quoniam Victoria vobis
Fama erat, ætates victrix victura per omnes.
Sunt alii rerum caſus, quibus ire patenti
Certatum campo præſtat, totiſque catervis:
Qui quà Conſulibus fuerint ratione notandi,
Interdum res ipſa, atque obſervata docebunt.

Item ſi famæ, gloriæque conſulendum, committenda Sortis arbitrio eſt pugna.

At quicumque ſibi caſus depoſcat aperta
Prælia, conſilio numquam miſcenda Magiſtro
Illa repentino; verùm ſunt mente ſub alta
Maturè volvenda diu, peragendaque cautè.
Ac veluti, ludo indulget qui plurimus, auri
Captus amore, ſibi conceſſas ſorte, figuras

Numquàm ineunda eſt pugna, niſi maturo conſilio.

Sc-

Sedulus inſpectat, quæ ſint, quæ commoda ferre
Poſſint: quas primò jaciat, quas deindè ſecundò:
Nec priùs exponit menſa, quàm ſingula penſet
Momenta, & caſus qui ſunt poſt inde futuri.
Et legit, & relegit: nam ſi ſemel alea jacta eſt;
Haud iterum nobis illam revocare poteſtas.
Non aliter (minimis ſi fas conferre ſuprema)
Qui ludit varia Martis bellator arena,
Regnaque, & inſignes ſunt pro mercede triumphi:
Omnia perpendat rerum momenta: futuræ
Certa manet palmæ ſi ſpes: ſi militis ardor
Sit reſponſurus voto: ſi commoda pugnæ
Viſa ſibi ſedes: ſi tempus, & aura ſecundet
Fortunam belli; fuerit fraus ſi qua timenda;
Et tandem damno ſi ſit victoria major.
Namque inſtructus ubi deſcenderit, haud potis inde
Detrectare aciem, & tuta cum laude reverti.
At ſi de ſumma rerum decernere viſum eſt,
Præ tibi quæ cura multa, ſtudioque videnda
Sint priùs, horriſono quàm pulſes tympana cantu,
Expediam. Summo quoniam Victoria munus
Ab Jove demiſſum cœlo mortalibus ægris:
Idcircò precibus multis, & ſupplice voto
Conciliandus erit Superum favor: inque cruento
In primis Agno Patri de more litato,
Præſentem tibi opem, totique merebere pubi.
Incœptum ſi ritè, operis pars altera facta eſt,
Nec ritè incœptum ni ſint exordia ab alto.
Ergo ſacerdotes patrio de more Latini
Veſtibus induti nitidis, oſtroque decori,
Inque habitu, greſſuque, & majeſtate verendi
Procedant: illoſque pii comitentur ephebi,
Inſignes albis; Phrygio queis fimbria textu,
Atque auro niteat; bini ſimul ordine: & ipſi
Incedant greſſu, palmis, vultuque modeſti.
Mox populo coram ſacris operentur ad aras,
Votaque pro Re concipiant, gentiſque ſalute.
Æterno Patri, Gnatoque, Auræque Supernæ,
Omnibus atque ſui Superis dicantur honores.
Inque deinde genu flexi, divoſque, deaſque
Auxilio properare pios, & adeſſe ſecundos
Ritè petant, ipſi primum, plebs tota ſequatur:
Unà omnes humili repetentes carmina voce.
Inde tibi, reliquis quæ cura impenſior, omnis
Antiquo de more Patrum luſtranda juventus.

Quæ ante pugnam prævidenda.

Conciliandus primum Superùm favor, ſacris ad aras factis.

Sic

Sic etenim nobis Di conciliantur amico
Fœdere, ſic faciles venient ad vota vocati.
Numina qui bello præſentia flagitat, ille
More piet patrio pietatem, & crimina fletu
Diluat, atque animum divino carmine purget.
Et quoniam exemplo trahitur gens tota Magiſtri,
Illius & cunctis mos eſt lex unica: & ipſa
Facta magis ſuevere animos, quàm verba movere;
Idcircò prior ipſe palam, ſpectante ſenatu,
Atque unà populo, ſacram proſtratus ad aram,
Quæ triſtant animum, turpantque piamine noxas,
Numen & averſum faciunt, purgare ſtudeto.
Corpora mox, animos, & mentem purus, & ora;
Accumbens menſis, Agno veſcere ſacrato.
Hoc & rite duces omnes, hoc cætera pubes
Continuò faciet, Rectorum exempla ſecuta.
Sic Superum favor, & belli ſecura petuntur
Auxilia. Haud equidem poterit ductoribus iſtis,
Non properè è ſummo labi Victoria Cœlo.

Indè cuncti animum pient. Ipſeque reliquis det Prætor exemplum.

Viciſti geminos replicata clade tyrannos,
Flaviade, & toto victor ſimul Orbe potitus:
Sed pia ſigna ſequens, labaris victricibus Æther
Præfulſit, primumque intorſit fulmen in hoſtem.
Viciſti, numero pariter tu, Carole, divùm
Additus, & palmas retuliſti, Henrice, ſuperbas,
Divus & ipſe; polo ſed tum Victoria ab alto
Promerita inſigni pietate allapſa reſedit
Veſtra ſuper ſigna: ipſique in certamina divi
E cœlo venere pii, pia caſtra ſecuti.

Sic Flavius Conſtantinus, & Carolus Tyrannos vicerunt.

Sic animis igitur verbo luſtrale piatis,
Arbitriumque Dei meritus, ſecurior acrem
Venturæ mentem converte ad cætera pugnæ.
Et primus labor eſt, quid de certamine miles
Sentiat, explorare: manus conferre paratus
Si ſit, ſive aliquis pertentet pectora terror.
Non opus & multis hoc internoſcere: triſtis
Formido quoniam verbo ſe prodit, & ore:
Et patet ex ipſo pariter fiducia vultu.
Si miles facie pallet, ſi frigidus ore
Verba ſonat, timor invaſit trepidantia corda.
Ignea ſi facies ardet, ſi provocat hoſtem,
Increpitatque minax, verbisque audacibus urget,
Nulla timet, Martisque ferocia bella repoſcit.
Sed ne tironis vultu capiare ſereno.
Dulcis inexperto tironi pugna: ſed inſtat

Mox explorandi militum animi, an parati ad dimicandum, & ardentes animo ſint.

Hoſtis ubi propior, ſtridetque volatile plumbum,
Territus exemplo dat terga fugacia: & illum
Non juſſu, monituque queunt retinere magiſtri,
Nec trahere extemplo ſocii in certamina poſſunt.
Si metuant igitur Veterani, prælia, Conſul,
Maturè differre juvat, ſi vincere cordi eſt.
Atque hic te cautè admoneo, monitusque memento:
Intempeſtivè caveas committere pugnam:
Nec celer affectes victricis præmia lauri.
Feſtinate Duces lentè: Victoria ſeris
Serta optata ferens deſcendit ab æthere bigis.
Inſuper his, quoniam mortalibus indita cunctis
Formido, in campo dum ſtant certare parati:
Atque ipſi in primo trepidant certamine fortes.
Hinc, illinc acies inſtructæ, horrorque tubarum,
Æris & exploſi ſtridor, fremitusque pilarum
Grandinis in morem ſupra capita ipſa volantum,
Nimbiferique ignes, & terrifici reboatus,
Magnanimas etiam pulſant formidine mentes.
Idcircò primùm tanto te opponere morbo
Nitere ſic: alto priùs ipſe in vertice collis,
Unde tui poſſint juvenes dignoſcere vultus
Hoſtiles, illisque ſimul conſueſcere diſcant,
Belligeras certo diſpones ordine turmas.
Et levia interdum miſcentes prælia, dedant
Corpora multa neci, cogantque capeſſere turpem
Multa fugam: ſic arma, viros, moresque tenebunt:
Sic veniet tiro è primo audacior auſis.
Nec trepidabit, ubi jam Mavors fulminat, & jam
Conflictu in medio fervent ſtragesque, necesque.
Horrida namque minus, veniant ſi crebra ſub uſum,
Perturbant terrore animum, mentemque fatigant.
Præterea ſermone ducis, velut humor ab igne,
Fervet amor pugnæ, juvenumque accenditur ardor,
Et virtus, animique, & fiducia plurima creſcit;
Præſertim palmæ ſi ſpem præſumere certam
Audebunt alacres: idcircò Prætor ab alto
Accendat dictis animos, & pectora firmet.
Sed quæ commemoret, ſint hæc: ignavia, & error.
Sic & inexpertos belli contemnere miles
Audeat; ignavos petat & fidentior hoſtes.
At ſi acie quondam victi, domitique fuere,
Facundo canat eloquio: generoſaque corda
Irritare novi ſtimulo conetur honoris.
Fortis honor ſtimulus, cùm primùm quæritur: at cùm

Qua arte formidini occurrendum ſit.

Ad concionem vocandi, incitandique animi ad certamen: & quibus ſtimulis.

Possessus servandus erit, fortissimus ille est.
Quin etiam dicenda, valent quæ protinus ira
Inflammare animos, odiisque urgere calentes.
Acrior ardenti ruit inflammatus ab ira
Miles in adversos hostes: odiisque furorem
Concipit: atque animis robur furor efferus addit.
Quin cùm præcipiti fertur, mens cœca furore,
Nil timet, atque ultrò Martem, mortemque lacessit.
Et quoscumque odio nos insectamur acerbo,
Acriùs aggredimur. Fervescat plurimus ira:
Plurimus atque odiis ruat in certamina miles:
Insuper, ingenti quoniam mortalia corda
Auri sacra fames vi torquet, & ardor habendi
Sopitos potis est animos accendere; Consul
Plurimus idcircò bellanti præmia pubi
Spondeat, & lætos campos, & pinguia rura:
Et sua quæ quisquis pugnando effecerit armis.
His accensi animi, jam jam feralia poscunt
Prælia; quadrupedumque unà micat æmula virtus.
Haud mora, dux acies in campis explicet: æquum
Sed primum legisse locum, quo pugna ferenda est,
Sedulus insudet: sperati magna triumphi
Pars locus: idcircò colles, clivique supini
Captandi: quoniam vehementius acta volabunt
Tela in subjectos, & vulnera certa reponent.
Impete quin etiam nixi majore repellent
Hostes in summa clivi statione locati.
At clivo adverso veniens qui nititur, idem
Cumque loco, fortique simul confligere pube
Cogitur: & frustra nonnunquam spicula torquet,
At si te pedites multi comitentur, & hostis
Acer equis instet; pete semper summa locorum,
Asperaque, latèque jugo discissa frequenti.
Contra si pedites inimici vincere gestis,
Editiora quidem, sed quærere plana memento.
Non sylvæ circùm, caligantesque recessus,
Neve lacus sparsi fuerint, mollesque paludes.
Cretosique tibi vitanda est glarea ruris.
His super, editior si sit locus, æra locato
Illic flammigera, & glandes emittere in hostem
Assiduè jubeas (tota hinc Victoria pendet
Interdum) firmaque locum tutare cohorte.
At si præveniens festinus vertice sedit
Hostis, & invectis stat machina firma metallis:
Est juvenum virtute jugo pellendus ab alto

Qui locus aptior ad pugnam.

Editior locus accomodus, si peditatus multus.

Planities Equitatui commoda.

Editior locus tormentis firmandus.

Ante tibi; tuto si vis decernere Marte
Vitanda, quæ receptui obesse possunt.
Si secus haud aciem tentes producere. Nunquam,
Prætor, inæquali pugnæ discrimine fortem
Credere se pubem, vel iniquo Marte jubebis.
Perge, nigri saltus si sint, & flumina, retrò
Flumina habere, fugæ Fatis ne forte sinistris
Opponant sese, cautus vitare memento.
At poterunt firmare latus, ne fortior hostis
In latus irrumpat: pariter tutetur utrumque
Sylva latus, primo verùm custodia luco
Firma sit; insidiæ latebris ne subter opacis
Occultentur: erit semper via tuta receptu,
Si campi pateant, & propugnacula retrò.

Sed jam raucisono strepitantia tympana cantu,
Stridulus & fracti fragor æris, & horrida Martem
Cornua pulsa sonant, hostemque, & prælia poscunt!
Quare age, bellator Juvenis, generosa propago
Magnanimùm heroum, & bella ad victricia natus,
Parthenopæus adest quando, frænumque remordet
Ornatu insigni sonipes, & ephippio aureo,
Jamque ferox saltu te bellatoris in armos
Mitte agili: mecumque aciem dux instrue campis.
Sed priùs, armatas quàm jusseris ire cohortes,
Prænoscenda tibi sunt hæc, quæ plurima possunt
Conferre ad palmas pugnaci ex hoste ferendas:
Quæ prænoscenda priusquàm acies instruatur.
Conversa ad Solem ne sit frons agminis; igneo
Lumina ne radio transverberet. Annibal astu
Romanos tali deceptos vicit acerba
Ad Cannas pugna: maduistis sanguine Cannæ
Romuleo; quoniam perstrincti luce maligna
In Pœnos juvenes telum torquere nequibant.
At Cimbros astu Marius devicit eodem.
Infesta quoniam Cimbris lux Solis, & æstus
Præsidio, & palmæ authores venere Latinis.

Est etiam ille malus cautè bellantibus error
Evitandus, in ora ruat ne ventus, & unà
Cavendus ne ventus in os ruat.
Pulvis in adverso oculos, ictuque fatiget.
Aut nebulæ, pluviisque effusis incidat imber.
Quid quod Romuleo defluxit sanguine campus
Claudius, & Cimbri primùm vicere, domandi
Consule mox illo, quo primùm, Marte secundo,
Signa potiti, iterum magno reddenda triumpho?
Scilicet in Latios inopino turbine Cimber,
Ventosum nactus Solem, nebulamque nigrantem,
Irruit; inque plagas acies instruxit Eoas.

Con-

Continuò ventus, ventoque impulsus in ora
Pulvis, & obductus tetra caligine turbo
Decidit: & roseo radii fulgore, corusco
Ære repercussi, cœlum succendere visi.
Territa quo pubes casu, nimboque laborans
Pulvereo, solitis non viribus ire feroces
In Cimbros potuit: cessit Victoria & hosti.
Quin etiam adverso propulsæ flamine glandes,
Vim perdunt, & tela: secundis ocyus auris
Icta volant contra; penetratque potentior ictus.

Sic Cimbri primum vicère.

At si nocte sedet, vel res confligere poscat,
Imprimis Lunæ rationem semper habendam
Præcipio, Magni exemplo, qui Pontica fregit
Agmina, nocturnis inimicum aggressus in umbris.
Nam sic ille aciem campo direxit, ut hosti
Ignibus adversis splenderet lucida Phœbe,
At contra radiis pulsaret terga suorum.
Hinc illa è pelago niveis surgente quadrigis,
Romani, anticas spargebant corporis umbras:
Ponticus umbrarum falsa sub imagine captus,
In spectra incassum mittebat inania tela.
Quo casu insignis Magno Victoria parta est.

Noctu habenda etiam Lunæ ratio est: sic Pompejus Ponticos vicit.

Verùm hæc, in pugna quæ sunt vitanda magistro,
Non operis multi fuerit cognoscere, quando
Congressuræ acies lato extenduntur in arvo.
At verò solertis erit ducis, ante futura
Illa eadem vidisse, die ne forte ruente,
Vertigo noceat Solis mutata reflexi;
Tempore vel certo Corus de cardine surgens,
Pulvereamque trahens nubem, pugnantibus obsit.
Ille mihi doctus dicetur navita, ventos
Qui scit, & horrendas præcognovisse procellas.
At non qui tantùm præsentia flamina novit.
Idcircò, bello qui præsidet, ille peritus
Sit cœli, Lunæ vultus, & sydera norit,
Atque vices anni varias, solisque rotatus;
Nubila uti, & varios possit prædiscere ventos.

Sit cœli, ventorumque peritus Dux.

His animadversis, Acies (sic nomine nostris
Dicitur instructus geminis exercitus alis)
Ordinibus certis campo, spatiisque locanda
Jam tibi, magnanimum si Martis adorea pectus
Tangit, & optati stimulat te cura triumphi.
Ordinis & semper statuendi, prima supremi
Cura ducis: Justo si fortes ordine turmæ
Bellantum campo steterint, Victoria certa est;

Ordo in certamine plurimùm valet.

Si

Si secus, egregii quamquam, frangentur ab hoste.
At quoniam gente in magna, non fortibus omnes,
Insignes animis, non arte, & viribus æqui:
Idcircò lecti juvenes, qui plurima bello
Præmia, qui plures & promeruere triumphos,
Semper erunt prima statüendi in fronte; futuræ
Hoc pugnæ momenta, innixaque vertitur omnis
Cardine res: fortique volat Victoria fronte.
Insuper, extrema pariter virtute locandi
Bellaces acie juvenes, qui Marte sinistro
Subsidio actutum properent, pugnamque feroces
Instaurent: his sæpè datum meruisse trophæum.
Robora prima, duces, juvenumque ferocia Marti
Corda laboranti servate, speique supremæ.

Delecti, ac fortes fronte in prima locandi, & in ultima acie.

Sed ne te celer, atque instructis viribus, hostis
Præveniat (serò producere signa caveto.
Primus adi campum, atque aciem campo instrue primus)
Tempus, ut armatas exponas ordine turmas.
At tibi qui modus, & quæ, dux, adhibenda (1) podismi
Sit ratio melior hac tempestate, docebo.
Et primò quoniam pubes tibi tota pedestris
Cognita, in æquales illam partire cohortes:
Inque pares etiam turmas, mox divide totum
Cornipedum numerum. Quique hinc emersit equorum
Frenigerûm pariter numerus, pariterque cohortum,
Tres æque in partes, si gens sit multa secetur.
Si secus, in partes non æquas divide: quarum
Sit postrema minor media, sit maxima prima.
His actis, primò statuatur in ordine prima.
Hæc olim Frons dicta, Acies & prima Latinis:
Ast Italis (2) Antica modò Custodia fertur.
Inde jugum in medium, jubeas properare secundam:
Quam mediam veteres Aciem dixere vocantes
Romulei: pugnæ (3) quæ nunc de nomine nomen
Accepit; totum quoniam certamen in illa est.
Ordine succedens tandem stet tertia terno,
Romanis postrema Acies, tergusque vocata,
Certaque subsidia in casus ventura sinistros.
(4) Postica est Italis quæ nunc Custodia, primæ
Si parti par illa: secus spes ultima pugnæ

In explicanda acie prævenire hostem opus.

Ars dividendi totum exercitum in tres partes: & quæ sint singulæ explicatur.

Jam-

---

(1) Est dimentio pedibus facta; seu dimentio inter pedes, quæ inter versus, & ordines servanda.

(2) *Vanguardia*. (3) *Battaglia*. (4) *Retroguardia*.

Jamque laboranti (1) Manus Aſſervata juventæ.
At juga certa inter quæ ſit diſtantia; paſſus,
A primo centum, Prætor, diſtare ſecundum:
Eque jugo hoc jubeas bis centum abſcedere ternum. Quæ diſtantia ſtatuenda inter acies.
Namque agri ſic juſta tibi data copia, turmas.
Marte ſub adverſo victæ ſi forte recedant,
Protinus inſtruere, inſtructasque in prælia rurſus
Mittere, & amiſſum confeſtim acquirere campum.
Quod ſupereſt, Aciem ſic pones ordine primam:
Quadratæ in media peditum ſtatione cohortes Ars explicandi primam aciem traditur.
Tot ſtabunt, ſubducta dedit quot ſumma: ſonantum
Alipedum hinc, illinc pariles, duo cornua turmæ
Belligeræ tutentur: erunt fortiſſima quæque
Robora, quæ validis defendant viribus alas:
Et geminum latus hoſte tegant, tranſverſa ruente.
Verùm inter turmas equitum, peditumque cohortes
Tantundem ſpatii teneat ſectura, quadrati
In longum quantum frons ipſa extenſa pateſcit;
Ut medio inſtructæ quæ perſtant agmine turmæ,
Auxilia actutum properantes, agmine verſo,
Secturas implere queant, pugnamque labantem
Inſtaurare, locumque unà præbere recuſſis.
Idcircò (properè ingreditur pars altera) cœtus
Sic acie in media juvenum ſit cura locare,
Secturas contra ut primi extendantur in unguem.
Non aliter medii ſecturas agminis ipſæ Et ſecundam, ac tertiam.
Poſtremi aſpiciant turmæ, ſed tergora primi.
Sic etiam poterunt latum per inane ruentes,
Subſidio properare acies, verſasque ſuorum
Suſtentare manus, Martemque accendere rurſus.
Intervalla juvat nonnumquam explere maniplis
Nonnullus equitum; qui ſi certamine primo
Sclopiferi fundant, turbatis verſibus, hoſtem,
Ocyus irrumpant; ſubitoque horrore labantes
Latè interturbent acies, cedantque ſequendo.
At contra, ſociæ ſi fors formidine captæ,
Ordinibus cœptent verſis nutare catervæ,
Accurrant alacres ipſi, trepidaſque phalanges
Suſtineant, hoſtemque novo conamine ſiſtant.
Non ſecus ac ſubitis cùm torrens imbribus auctus,
Arietat in ripas, & victor vincula rumpit;
Impiger accurrens, ſi admotam protinus addit

Foſſor

(1) *Corpo di Riſerva*.

Fossor humum, reparatque novo molimine ripas;
Vertit aquas, redimitque vadis jam naufraga rura.

In ultima acie fortiura cohortes juvenum Lacono more locandæ, ut nutantes firment, & versam aciem remittant.

Atque hic admoneo nostro te carmine, Prætor,
Fortia post aciem veterano è milite lecto
Subsidia ad socios, cùm res, ventura juvandos,
Pellendumque hostem, Spartano è more locare.
Subsidia hæc primi, si vera est fama, Lacones
Dispofuere: Tyri, quos mox imitata juventus:
Et tandem Patres servarunt ritè Latini.
Hi pariter primi poterunt accendere pugnam,
Immotaque acie, & perstantibus ordine eodem
Agminibus cunctis, inimicum irrumpere cornu.
Aut circùmventos à tergo urgere valebunt.
At tibi nulla retrò si sint servata, Magister,
Subsidia: in turmas si forte irruperit hostis,
Et sternat, cædatque; jugo tùm mittere ab ipso
Cogère auxilia: atque acies tenuata fatiscet.
Solertes laxare acies, & inane cavete,
Rectores, spatiis namque his si providus hostis
Ingreditur, certæque neces, stragesque sequentur.

Quin etiam, turmas inter manus illa reposta,
Veles erit miles, simul & Rorarius, imbrem

Inter vacua spatia locandi Velites, ac Rorarii.

Qui tenuem primò spargens, exordia pugnæ
Prima facit, Martisque explorat Fata futuri.
Creber & hic primo pariter stet in ordine Veles,
Stet quoque multus ibi Rorarius, impete primo
Qui roris ritu jactans per inania glandes,
Martem ineat, tentetque levi certamine pugnam.

Ergo ubi jam campis acies instructa refulsit,
Inque suæ steterunt legionis fronte Tribuni;
Ipse acie in media Consul, tumuloque residat:

Prætor stet in medio, in utroque cornu Legati.

Ut sic cuncta queat pugnæ momenta futuræ,
Observare, omnemque aciem lustrare patentem.
Illius & geminus cornu Legatus utroque
In medio insistat versu, geminasque gubernent
Alas: & juvenum Prætorem plurima circùm
Stipetur manus: inque omnem percurrere partem
Prompta animis, unàque ducis mandata referre,
Et quæcumque duci mittent responsa ministri.
At Martis concessa cui tormenta, Magister
Suggestu vigil incumbat: curetque sagaci
Ingenio adversum flammantia vertere in hostem
Æra: & continuò, cum res, explodier ictu.

At mihi vos, divæ, prisci quæ temporis acta,

Et

Et veterum meminiſtis adhuc monumenta virorum,
Dicite, tantorum Vati ſub fine laborum,
Quis Deus (inventi quoniam mirabilis author,
Haud fallor, deus ille fuit) bellacia certo
Ordine qui primus diſtentis agmina campis
Explicuit, legesque dedit certaminis æquas,
Dicite: quandoquidem memores ea facta tenetis.
Tuque adeo Bellona, tua (nam credere dignum eſt)
Ille inſtructus ope egregias mortalibus artes
Extudit, & ritu gentes ratione potentes
Humano docuit confligere: cætera quando
Ordine permixtim pugnant animalia nullo.

Quis primus exercitum in ſuos ordines explicuit.

Pan Deus Arcadiæ delectam ad prælia pubem
Ægregiæ laudis, regnique cupidine captus
Euphratem ſupra rapidum, Tigrimque ſonantem,
Regna ſub Eoa, & felices duxerat Indos.
Et jam Cappadoces, Galatasque, & rura feracis
Armeniæ, mollemque Syrum, ditemque Niphatem,
Imbelleſque acies Perſarum, extremaque Bactra
Vicerat, & leges dederat, moremque ſubactis.
Hinc faſce inſignis palmarum, ſpeque futuri
Elatus certa (fuerat quæ prima cupido)
Tandem ſigna rubros victricia movit ad Indos.
Hic ubi diverſo fluvii ſub litore vidit
Innumeros latè populos; quot millia cœlo
Denſa locuſtarum volitant examina, & omnem
Eripiunt lucem terris, noctemque reducunt:
Conſtitit attonitus: totusque exercitus unà
Aſpectu tantorum hominum conterritus hæſit.
Et jam victores Aſiæ dare terga parabant
Parrhaſii juvenes, ipſo trepidante magiſtro.
Conditur interea Titan, & cœca ruens nox
Latè umbra cœlum, terrasque involuit opaca,
Arcadis atque fugam: ſummo deſcendere Olympo
Parrhaſio conſpecta Deo Bellona, comanti
Inſignis galea, & pectus thorace nitenti.
Fortia crura ocreis circùm ſuccincta coruſcis:
Ægida & horrenda cælatam Gorgone læva,
Æratam verò geſtabat dextera pinum.
Terribilis, virgo quamquam pulcherrima viſu.
Atque ferox ingreſſa, Deo ſic ore locuta eſt:

Non inelegans fabula; qua Pan traditur, mirabilis artis inventor.

Quis novus invictos animos timor occupat? ecquæ
Imbelli dare terga hoſti dementia cogit?
Quò mens, quòve animi, tantisque exercita bellis
Nunc virtus, validæque abjerunt robora dextræ,

Bellona Panem alloquitur.

Plurima quæ letho demisit corpora, quæque
Rettulit insignes Asiæ de gente triumphos?
Anne nova insuetæ terrent formidine gentes?
Sed non majores animi, non major & illis
Vis est, quàm victis inerat Persisque, Syrisque.
An mentem numerus populorum perculit ingens?
Ast acie numero non vincitur: ordine vires
Instructæ, bello invictæ, numerosaque plebis
Agmina debellare valent, si legibus æquis
Consistant campo pueri, serventque, magister
Quos dederit, certo positos discrimine versus.
Quare age, quique tuis sit dandus gentibus ordo,
Innumeri Indorum populi cùm prælia poscent,
Accipe: confusas acies, mixtimque ruentes
Insternet campo domitas Mavortius ordo:
Et te victorem Nysæ ad capitolia mittet.
Quin etiam inventi venies Deus author: & alta
Posthac venturi bellacia cornua fronte,
Pro facti laude, imponent monumenta nepotes.
Hæc ubi dia modum, quo campis explicet agmen,
Edocet: & certo numero, spatioque cohortes
Instruit: in medio qui sint, qui fronte locandi.
Hinc dextrum jubet, hinc lævum decedere cornu.
Quæque renidenti fulgentes ære catervæ
Hinc peditum latus, atque illinc tutentur equorum.
Et quæ subsidia in tergo servanda, sinistra
In pugna, turmas instauratura labantes.
Quin aciem populi totam, cunctasque cohortes
Versantis Rhombi in morem, moremque jugantis
Ire datis jubet ordinibus: nam legibus illis
Instructam, fore victricem, indomitamque phalangem,
Prædicit Bellona, suo & rem numine firmat.
Mox & diva docet Panem curvare cohortem:
Nunc cuneum, & rostrum versu formare juganti:
Et modo versanti: turmas nunc ire quadrato
Ordine: lunatas acies nunc explicat; & nunc
Implicat inflexas: ovi nunc circinat instar.
Implexas Dea mox reddit, mox curvat easdem.
Hinc ut parte phalanx geminetur longior una:
Et transversa modò quo sit facienda, recludit.
Hæc ubi, terribilem dextra Dea protinus hastam
Direxit, densosque ferox intorsit ad Indos.
Haud dubio, palmæ præsagia certa futuræ.
Omine & ancipitem firmavit Pana secundo.
Mox cita sydereo gressum deflexit Olympo.

Et illum animat ad pugnam.

Eumque aciem explicare docet, & in varias figuras disponere.

Et

Et latè horrendum fugiens dedit æthere bombum.
Pan ſonitu excitus tanto, lætoque repentè
Omine firmatus, gentem citus ore canoro
Imperat acciri: concurrunt undique facto
Extemplo populi ſigno, & tentoria regis
Denſantur circa trepidi: tumulo Deus alto — Pan ſuos vocat, eosque Deæ monitis ad confli-
Aſſurgens, tali plebem ſermone locutus, — ctum hortatur.
Aggreditur: Faciles aures adhibete Magiſtro,
Flos lectus juvenum, Martisque potentis alumni:
Læta fero, divina, Deæque oſtenſa tremendæ.
Quare agite, & triſtes animo deponite curas:
Indorum vos regna manent ditiſſima: veſter
Indus erit rutilus gemmis, & flavus arena
Purpurea Ganges, & Thetys gemmea conchis.
Ipſi etiam nitido montes adamante rigentes,
Et virtutes erunt veſtræ tot præmia gentes.
Nunc etenim mihi viſa loqui dea Martia, duris
Quæ bellis regina potens, & præſidet armis:
Erexitque animos, & ſpem præſumere juſſit.
Exin bellaces docuit me diva catervas
Inſtruere ordinibus certis, quibus acriùs hoſtem
Innumerum exciperem: pecudumque è more ruentem
Turmatim in jugulum, miſſoque in pectora ferro,
Bruta velut, cunctos æquali ſorte necarem.
Quare agite, ò lecti juvenes, atque agminis æquam
Jam legem accipite, & monitis parete volentes
Virginis horrendæ. Vix hæc cum lætus ovantum
Exortus clamor, feſtique ad ſydera plauſus:
Atque deam belli dominam gens tota ſalutat.
Circum feſtivo reſponſant murmure colles:
Viſus & ex imis aſſurgere fluctibus Indus.
Hinc Deus accepto pugnaces ordine turmas
Explicat: & ſæva in certamina provocat Indos.
Extemplo magnum tranantes fluminis alveum,
Approperant Indi: mixtimque incondita turba
Arma movent, denſoque accendunt prælia nimbo.
Parrhaſii legem ſervantes ordinis, illos — Pugna committitur, victique Indi.
Excipiunt: cuneoque ruentia pectora rumpunt.
Ordine quo tandem palmam retulere decoram:
Cumque ſuis Indum gemmis, Gangemque ſuperbo,
Et dites Aſiæ populos duxere triumpho.
Sic acies primùm campis inſtructa, cohortes
Explicuit, certo verſu, numeroque locatas.
Et tanti Deus inventi dux primus: & inde

Pyrrhus in occiduis oris, exempla secutus
Magna patris, gentem docuit: nec tempore longo
Ars ignota Patres latuit, plebemque Latinam.
Sed miscenda vocant me prælia: detonat alto
Fulmine Mars; latèque obvelant nubila cœlum.



BEL-



BELLICORUM
LIBER UNDECIMUS.

AST age, bellatrix quando nitet utraque latis
Instructa in campis acies, & quæque superbum
Opperiens hostem stat pugnatura: tremendam
Jamque hastam Bellona quatit, jam detonat ære
Fulmineo, & magna circumtegit ægide pectus.
Ipsaque laurigeris hàc illac desuper alis
Æqua volat, neutrique favens Victoria pendet:
Jam tempus precibus Divam, & virtute mereri.
Ergo ubi jam signum Prætor dedit ære tonanti,
Protinus in terram deflexi, supplice voto,
Numina adesse petant præsentia: semper ab alto
Eventus rerum felix poscendus Olympo est.
Hinc pugnam ordiri Dux imperet: ilicet illi,
Sors quibus est primi tentare pericula Martis,
Agmen in adversum properent, roraria plenis
E pateris postquam de more hausere vetusto.

Ante pugnam fundendæ pro felici eventu preces sunt.

Sunt, qui principio magnis clamoribus hostem
Invadunt, animosque ingenti murmure tollunt.
Vasta feras veluti cùm per deserta petivit,
Rugitu sonat immani vis dira leonum.
Ast alii ferro taciti, non voce lacessunt
Hostiles acies, dubiique in prælia Martis
Irritant animos rauco stridore tubarum.
Hunc nostri morem teneant: clamore fugaces
Astra Scythæ pulsent, & barbarus incola Ponti.
Quamvis ingenti juvat addere voce timorem
Nonnumquam trepidis; nutans horrore pericli,

Magnis clamoribus quidam certamen ineunt.

Alii silentio: sed tubarum sono incitantur.

Ob-

Juvat nonnumquam clamore addere timorem trepidis, Liberi exéplo.

Obruitur tandem mens perturbata tumultu.
Non secus, ut perhibent, Liber Nysæus ad Indum
Attonitas fudit gentes: primusque Gygantes
Altisono conchæ Triton clangore fugavit.
Insuper, adversum properatis passibus hostem
Nonnulli invadunt primi, primique reponunt
Vulnera: at immoti venientes, impete presso,
Excipiunt hostes alii, fessosque trucidant.
Ast illi modico prima in certamina gressu
Succedunt: celerantque gradum, ut Fortuna dedit se.
Et quamquam celeri cursu bellator in hostem
Cùm ruit, audaces animi fervore calescant,
Nec certum videat mens irritata periclum:
At quoniam primus cùm deficit impetus, unà
Lentescit vigor ille animi, viresque labascunt,
Omnis & interdum turbatur Martius ordo;
Idcircò gressu non miles in arma citato,
Neve ruat segni: sed justis passibus hostem
Aggrediatur, agit si rem pedes: arduus alto
At si vectus equo ruit in certamina, fulmen
Excussum de nube velut, prorumpat: equorum
Ignea vis magno fervescit concita motu.
At totis instructa locis si forte, Magister,
Est acies, numeroque potens super ingruat hostis,
Tum bellatores ipsa in statione jubeto
Expectare: locis sic luctabuntur iniquis,
Et simul excipient hostes tua vulnera fessi.
Verùm ubi jam primum sparsit Rorarius imbres
Grandinis horrisonæ, victorque adversa fugavit
Agmina, continuò motis succedere signis
Præcipies aciem pugnæ, Martemque ciere;
Prima tibi dextrum, ni sors contraria poscat,
Incœptet de more Patrum certamina cornu.
Mox & cornipedum sua lævum pectora acutis
Solicitet stimulis, pugnæque, hostique propinquet.
Hinc pedites inter bellacia cornua equorum
Extenti, totis accendant prælia turmis.
Verùm illud cura, Prætor, solerte caveto,
Ne pueri explodant Vulcania tela, priusquam
Intervalla petant; frustra ne concidat ictus,
Atque errore tuo captum te te occupet hostis.
Viceni ut passus, non amplius, inter utramque
Intersunt aciem, tùm tempus ahenea flammas
Concipere, & celeres gremio detrudere glandes.
Ergo ubi jam totis certari viribus, armisque

Moderato gradu in hostem eundum est peditis.

Equiti verò citato cursu.

A dextro cornu incipienda est pugna.

Sclopi non explodendi, nisi intra viginti passus.

Incœptum, dubio eventu, partibusque periclis,
Dux magnum referens animum, mentemque per omnes
Se vertat rerum casus, & singula penset.
Ut si quà vultu tùm se Fortuna benigno
Obtulerit, mora nulla, sequi, & felicibus uti
Auspiciis, ventoque expandere vela secundo.
At contra incipiat si tristior ora videri,
Adversis citus occurrat, damnumque futurum
Consilio avertat præsenti, & fortibus ausis.
Nam licet humanis in rebus plurima possit
Instabili Fortuna rota: tamen æquore Martis
Una regit belli cursus, una omnia versat.
Fulguris in morem, nunc lumine fulget amico,
Spem facit & magnam palmarum: ast ilicet illam
Ni teneas animosus, it & quà Diva, sequaris;
Indignata fugam subitò molitur, & aufert,
Quam dederat tibi, spem. Vultu si forte maligno
Fulserit adversata: minas si pectore duro
Sustineas, placesque Deam conamine forti,
Mutabit placata vices: teque omine dextro
Protinus egregiam in laudem, palmamque vocabit.
Hoc quæ momento ridet Fortuna, sequenti
Se tristem dabit: & momento flexilis uno
Dat palmas, adimitque, & cuncta fugax citò vertit.
Præterea multi casus, inopinaque rerum,
Nec prævisa Duci facies, prodesse merendas
At palmas poterunt, concessis impiger uti
Si valeat, tristi vel tùm se opponere Sorti.
Si secus, illa eadem venient nocitura triumphis.
Panicus invasit si mentes terror, & ingens
Si turbo aversus surgat, si rumor inanis
Spargitur in vulgus: dederis quæ jussa, minister
Si malè percipiens, contraria rettulit: & si
Cæca superstitio tenuit trepidantia corda,
Ingentes poterunt clades afferre, repente
Ni tu consilio occurras, ortuque sub ipso,
Ne crescat latè serpens, confeceris hydram.
Quæ mala principio si castra hostilia turbent
Insperata, nimis poterunt conferre secundis
Successis, Sortem si tu promptissimus, ultrò
Oblatam, accipies, & quà via panditur, instes.
Sæpè levi casu, quem dextra excepit amica,
Ingens solerti victoria parta Magistro est.
At qui despiciens, animo neglexit inerti,
Et tristes ignominias, & funera passus.

Id-

Attendat Prætor ad omnem casum, & si se dedet, occasionem arripiat.

Sin minus, malo fortiter, ac tempestivè occurrat.

Varia fortuna, eique opus, ut se Dux accomodet.

Multi improvisi casus in pugna occurrunt, qui & prodesse, & obesse possunt, prout gnarus, ignarusve fuerit Dux.

Consul prætoria cinctus turma aciem sedulus percurrat.

Idcircò lecta Consul comitante cohorte,
Scipiadæ magni exemplo, stet promptus in omnem
Ire aciem, dubii quò postulat alea Fati,
Consilio, & dextra cunctis succurrere: & arte
Plurimus insudans, nunc hos, nunc temperet illos:
Ast illud te te moneo, creberque monebo,
Ne primo, Prætor, dum jam certamine Mavors
Ardet amans stragis, ferventque, ictusque, necesque,
Palmarum, & nimia laudis dulcedine captus,
Viribus & fidens, te in aperta pericula mittas.
Nam cæso Ductore, cadet spes omnis: & ingens
Tum gentem timor invadet, cædesque sequetur.
Idque mali pariter metuendum, tardus acerbo
Vulnere si pugna decedere cogitur, illo
Dum trepidis opus est, dum perturbata laborant
Agmina, & ingenti jam res casura ruina est.
Ceu moles immensa, gravi quæ nixa columnæ,
Illius solo in fundamine tuta recumbit,
Si casu ruat hæc subito, vitiove fatiscat,
Decidet & moles unà: sibi consulat ergo,
Et pubi Prætor, seque ad meliora reservet.

Non tamen in aperta se pericula inferat.

Proderit, si delecti milites in adversum ducem immittantur: eo enim cæso, relata victoria est.

Proderit (arte viri quoniam bellamur, & astu)
Interdum juvenum fortissima corpora, dulcis
Quos auri cepit, vel honoris amica cupido,
Delegisse, Ducem qui densa per agmina quærant
Hostilem, sævoque inventum vulnere cædant,
Vel captum referant: magnis si faverit ausis
Sors, lætum pugnæ statuens imponere finem.
Nam velut amisso pereunt rectore carinæ:
Sic acies, Duce sublato, dispergitur omnis.

Si duces sibi occurrant, certandum quando duello sit.

At si dum multo fervescit sanguine Mavors,
Permixtæque cadunt equitum, peditumque catervæ,
Obvius occurrens venit adversarius, & te
Provocet, haud illo renuas certare duello,
Par ætate tibi si sit, par viribus; æquo
Ut valeas pugnæ sortem decernere Marte.
Si secus, & lucta sese subducere honestum,
Fas erit occursum tibi tùm vitare: decorum
Si minus id fuerit, famæ, gestisque peractis
Consule, & incertæ vitam committito Sorti.
Teque hic admoneo: cùm decertare paratæ
Stant campis acies, & jam Mars igneus ardet,
Audaces aliquot nonnumquam ex hostibus æquor
In medium armati insiliunt, totidemque tuorum,
Quos laudis tangat stimulus, clamore lacessunt.

Has

Has tu sed luctas, nec conductura duella
Consultò caveas: nam tristia sæpè futuri
Hinc solet auspicia ignavum desumere vulgus:
Eque levi interdum casu certaminis omnem
Arguit eventum, & rerum momenta rependit.
Quin etiam egregii frustrà conflictibus istis
Sæpè cadunt, quorum poterat virtute referri
Rebus in extremis victoria: plurima fortis
Unius quæ sæpè viri conamine parta est.

Cavenda initio pugnæ duella; & cur?

At si de summa rerum certare Tyranni
Forte velint, Martique caput sacrarier unum,
Haud renuo. Quo fonte fluunt mala semina belli,
Atque odia, atque iræ, regnique insana cupido;
Fonte fluat pariter, fas est, ut sanguis eodem.
Authores belli pereant: innoxia turba
Servetur populorum, & pace fruatur amica.

Si tyranni certare de summa duello velint, ipsis permittendum.

Verùm si monitu Superùm, jussuque Deorum,
Dum res accisæ, nec spes jam restat in armis,
Barbarus & victor verbis insultat amaris;
Numine vir plenus sese offerat ire duello
Certatum, & meritas ex hoste resumere pœnas;
Ne prohibe: si Fata vocant, pede Fata secundò
In pugnam venient, palmamque è sydere mittent.
Non uno infracti jam se certamine castris
Abdiderant trepidi Isacidæ, tristique tumultu
Jam certam Patriæ cladem, & sua funera flebant.
Ante Phylistæus stans vallum immanis, & atrox,
Terrorem miseris, nec quidquam audentibus addit,
Horrendum ferro minitans, dictisque superbis.
Quæ vos nunc latebræ, vel quæ spelæa ferarum
Ima tenent, leporum timidissima turba? neque ullus
Vos laudis tangit stimulus? non mortis honestæ
Gloria magnanimis pulsat præcordia curis?
O si fœmineum genus inter, ineptaque Marti
Pectora, vir saltem fuerit generosior unus,
Ilicet in campum mecum certare duello
Descendat, pulchramque petat per funera laudem.
Nam pereat quamvis (neque enim se vincere quisquam
Me speret pugnante) tamen laus, & decus olli
Hac nostra cecidisse manu: sic mole tremenda,
Aspectuque Gygas horrendo, & voce minatur,
Et cùm luce diem fert Sol, conditque relatum.
Hisce minis pulsi colles, vallesque resultant.
Horrendùmque sonans trepidas vox territat aures
Isacidùm, castris qui se, valloque tenentes,

Numinis ductu certare duello interdum expedit.

Davidis exemplo confirmatur: cujus certamen cum Phylistæo accuratè describitur.

Gigas jactans minitando Hebræos provocat.

Supplicibus tantùm votis pia Numina poſcunt.
Hæc cùm Bethlæos paſcens armenta per agros,
Id David indignè ferens ire in barbarum conſtituit. Acciperet paſtor Jeſſcïus (illa citatis
Undique Fama volans jam pervulgaverat alis)
Indignans animo, generoſa incanduit ira:
Atque hæc flammato ſimul ore effatur (& illum
Attonitis audit grex auribus, & ſtupet omnis,
Inſolitam accipiens vocem, impacata canum vis)
Quisne his contemptor Divumque, hominumque ſuperba
Talia qui noſtræ genti, faſtuque Tonanti
Exprobat? an fruſtra Omnipotentis numen adorent
Iſacidæ, fruſtraque aris ſua thura reponant?
Eſt equidem, eſt Deus in nobis, quo fretus in hoſtem,
Bellacem quamvis, vaſtaque in mole timendum,
Ibo alacer, populi vindex, vindexque Deorum.
Haud equidem noſtra factum virtute, ferocem
Quod manus hæc urſum diſcerpſit, quodque leonem
Horrificum, ingentem laceravit: ab æthere vires
Largitus puero Deus eſt: dabit ille ſuperbum
Ante Phyliſthæas acies, ante ora ſuorum,
Hac noſtra pariter dextra ſuperare Gigantem.
Hæc ubi, jam cæſi præcinctus pelle leonis,
Et ſpe plenus in Terebinthi vallem, ubi caſtra ſuorum, & hoſtium erant, progreditur. Et paſtorali armatus, fundaque, pedoque
(Nam non ille gravi galeæ, tunicæque trilici,
Non haſtæ, ferrove, armis nec fidit ahenis,
Sed tantùm Superis) it pugnaturus arenam.
Ut paſtor vallem Terèbinthi venit opacam,
Caſtra Phyliſthæi qua dextra in parte tenebant,
In læva Iſacidæ, magnum, mora nulla, Gygantem
Provocat in campum, ſolumque in prælia poſcit.
Ille ſed immenſa conſurgens mole ſub auras
Altæ inſtar pini, inſtar & aëriæ cypariſſi,
Ingreditur, nubesque ingenti vertice lambit.
Gygas deſcribitur. Prægrandis galeæ, ſolidoque ex ære nitentis,
Palma velut, conus cui fluctuat orbe comanti,
Ingens ambit opus caput ingens: pectora thorax
E calybe inveſtit latiſſima: latus & ipſe,
Et gravis ære, duplex: quem non fregiſſet acuto
Alcides ferro, non Pelias haſta: politæ,
Et grandes ocreæ ſuccingunt grandia crura,
Fulgentique nitent electro, auroque recocto.
Læva tenet clypeum gyro ſeptemplice textum.
Magnus & orbis erat, nitidoque ex ære coruſcus,
Ceu rota Phebæi currus: medioque renidet
Ex auro totus ſolido grandiſſimus umbo.

Im-

Immensam magno gravitantem pondere pinum,
Cui libras centum pendebat ferrea cuspis,
Dextra quatit minitans: ille non impare cingit
Ense latus: clavus quem circùm argenteus ornat
Plurimus, è duroque acies adamante rigescit.

Qui venientem puerum cum funda, & pastorali pera, quasi canem repulsurum, non sine risu contemnit.

His fidens armis, Superosque, hominesque lacessit
Barbarus, & palmæ, infelix! spem pascit inanem.
At verò ut juvenem venientem spectat ab alto
Cum pastorali pera, fundaque, pedoque,
Pastoris ritu armatum, sed cætera inermem;
Hæc inter risum indignans, interque furorem,
Altius intonuit: Quæ te dementia cepit,
Infelix puer, ut mecum certare duello,
Bellatore viro, atque armis tentaveris istis?
An canis ipse, petas quem saxo, aut fuste latrantem?
I puer, i miser, & sanam jam concipe mentem.
Quam tua non meruit præsens insania, vitam
Largior, indignum puero certasse, feroces
Cui solitum domuisse viros. Haud illa meretur
Quæ non de forti venit victoria, laudem.

At puer Deo fidens illum lapide, è funda excusso, prosternit: statimque accurrens suo illi caput acinace obtruncat.

Barbarus hæc: breviter quem sic Jessæius heros
Excipit: Haud equidem tua te sententia fallit.
Ceu rabidus canis oblatras, hominumque, Deûmque
Contemptor: meritis te idcircò, perfide, telis
Aggredior: rumpamque gravi tua tempora saxo.
Hæc simul, & lapidem pera deducit: & illum
Imponit funda: Divisque in vota vocatis,
Prævalido torquet nisu: volat ille per auras.
Excussus funda pernicibus ocyor Euris,
Inque Phylistæi toto ruit impete frontem:
Irrumpitque imam cervicem, hauritque cerebrum.
Protinus, icta velut contorto fulmine pinus,
Aut turris terræmotu concussa repenti,
Procumbit, magnamque trahit clamore ruinam.
Ut decidit, puer insistens Jessæius ensem
Hostili educit vagina, & crine præhenso,

In hostes projicit, eosque in fugam vertit.

Prostrato deforme caput præcidit: & illud
Confestim medios victor demittit in hostes.
Hi trepidi extemplo fugiunt, rectore perempto,
Non benè depositis armis, castrisque relictis.
Instant Isacidæ, & fugientes, undique cædunt.
Unius & pugna cunctis victoria parta est.
Ipse Phylistæum fulgentibus exuit armis
Isacides, quærcuque affigens lætus in alta,
Victori Divo Terebinthi in valle sacravit.

Usque adeo, ductore Deo, felicia bella.
Undique ferventi sed jam se reddere pugnæ
Tempus, & incœptum Martis decurrere campum:
Si hostiles alæ in fugam versæ, in pedites victricibus alis irruendum.
Quare age, cornipedum si cornua belligerantum
Hostiles equitum perturbavere catervas,
Attritas cæde ingenti, longèque fugarint,
Præcipe tunc equitem, conversis ordine signis,
In peditum latus hinc, illinc irrumpere utrumque;
Qui fido sociùm nudati robore equorum,
Et latere è gemino, simul ipsa à fronte petiti,
Haud equidem poterunt non æqui pondera Martis
Sustinuisse diu, quamvis generosa juventus,
Et quamvis toto non justa ad prælia nisu
Consurgat: positis, vel se victoribus, armis,
Confestim dedent, vel retrò signa reflectent,
Præcipitique fuga quæret sibi quisque salutem.
Atque hic solerti cura, Proconsul, oportet
Invigiles, peditum ne dum victricibus alæ
Perturbant armis aciem, pugnamque secundis
Cavendum ne Eques instauratis ordinibus in pugnam redeat.
Conficiunt cœptis, & Sorte utuntur amica,
Instauratum equitem, signisque, animisque repentè
Adversarius acer agat, laxumque tuorum
In latus incurset, turbatoque impete versu,
Profliget, cædemque parem pro cæde reponat.
Idcircò è toto delectas agmine turmas
Bellatorum equitum servato insistere campo
Ordine præcipies; ut si certamina rursus
Instauret, sortemque velit tentare secundò,
Principio depulsus eques, non dispare casu
Extemplo prompti accipiant, iterumque repellant.
Et qua id præstetur cura, atque arte,
Interea reliquæ festinent prælia, & omnem
Nitantur lato peditem prosternere campo.
At si fortè tuæ, numeroque, & viribus alæ
Hostibus æquales non sint, convertier illas
Ordinibus nexis in pugnam præcipe cunctas.
Inque pedes peditem toto conamine surgat.
Ast eques effusis si longè effugit habenis,
Turbatusque omnis distractis versibus ordo,
Et sint cuncta metu, & trepido permixta tumultu;
Numquam certa victoria, ni toto hoste profligato.
Tunc omnem ruere in peditem vim præcipe equorum.
Sed cave, ne cœptis nimium capiare secundis,
Plurima nec teneat tum te fiducia: Numquam
Victori stat certa Duci victoria, tota,
Hoste trucidato, fuerit ni pugna peracta.
Insuper his, cautis etiam ductoribus illud,

Præ-

Prævidiſſe priùs, & præcaviſſe neceſſe eſt:
Ne turbata ruunt dum ſigna hoſtilia, prædas
Se ſuper effundant, verſu, ſigniſque ſolutis,
Agmina: nec cœptam properent decerpere laurum.
Nulla lues damnoſa magis victoribus umquam
Obfuit, in prædas quàm cùm ſolvuntur avari,
Ordinibus latè ruptis, atque impete fracto
Felicis curſus pugnæ, & bellantum animorum.
Sic auſis rerum primis blandita, refugit,
Inque citis alios Victoria decidit alis.
Quæ cùm ſic habeant, vultu, juſſuque ſevero,
Præcipe, ne prædam ſibi quiſquam vindicet, omnis
Delectus campo fuerit ni funditus hoſtis.
Ni faciant, meritas dederint tibi ſanguine pœnas.
Quin ut militibus ſerventur juſſa ſupremi
Conſulis, æquali pœnâ curare Tribuni,
Ductoresque ipſi ſignorum, ipſique Decani,
Atque omnis pariter Subſtes jubeatur, & Aſtes.

Cavendum ne milites in prædam ruant, prius quam ſit plenè abſoluta victoria.

Perge, triumphales ſi jam Victoria lauros
Decrevit, vultu te, Dux, dignata benigno:
Ut pedites duro tandem certamine fracti,
Atque acie victus tota tibi ceſſerit hoſtis
Signa, præcans veniam, rauco tunc ære receptum
Tibicen canat extemplo, quo ſigna reducat
In ſua ſe miles, poſitiſque ferocibus armis,
Exuvias ſibi quiſque petat; quas, hoſte perempto,
Et virtus ſua promeruit cuique, & ſua dextra.
At quoniam (removenda lues hæc altera) ſæpè
Victores inter ſurgunt, rixæque, neceſque,
Arbitrio dum quiſque ſuo non dividit æquè:
Idcircò jubeas, æquata lance Tribunos
Partiri prædam, merito pro munere, cuique.

Cavendum etiam, ne inter colligendas prædas rixæ oriantur.

Præterea juvenes, pugnæ jam fine peracto,
Imperet acciri ſua ſub tentoria Conſul:
Et donis oneret fortes, & laudibus ornet.
Et ſi qui reliquos inter virtute præibunt,
Fortibus & quorum parta eſt victoria factis,
Illos inſigni pariter redimire corona,
More Patrum ſtudeat, tituliſque & torquibus aureis;
Ut virtus, animique, & facta illuſtria poſcunt.
Non tu muneribus parcas, non laudibus: ingens
Creſcit amor belli, donis, & laude relatis.

Laudandi milites pro concione, qui rem benè geſſerint, & donis afficiendi.

His animadverſis, quæ ſunt graviora monebo:
Dum tibi promeritam fera poſt certamina laurum
Fractus eques fugiens adverſo Marte reliquit:

Dum fugiunt hostes, ne terga premas: ne in iram, ac desperationem acti cladem reponant.

Præcipio ne terga premas fugientis: & illum
Extremam in rabiem, desperatamque salutem
Ne violentus agas: sic palmas sæpè feroces
Amisere Duces, manibusque elapsa repentè,
Non justis Fortuna modis corrupta, refugit,
Namque ubi dempta fugæ spes est, & ponitur unis
Tota salus armis, animique, & robora crescunt:
Nec magis effræni, quàm cùm sperare salutem
Non nisi pugnando persuaserit ira, furorque;
Idcircò palmæ quoniam, non funera laudi
Magnanimo dantur victori, amplissima, victus
Dum fugit è campo, pateat via, largus & ultro,
Ne mora, sternatur per te Pons ilicet hosti.
Sint & qui sociis acceptæ nuncia cladis.
Atque tuæ reduces narrent præconia palmæ.
Quin & cùm victi dedunt se, Marte sinistro,
Depositis armis, palmasque ad sidera tollunt,
Orantes veniam, patrio de more subactis

Cum hostes se depositis armis dedunt parcendum, & cur?

Parce pius, dextramque extende precantibus: ultra
Victricem in miseros pubem sævire vetato.
Fortunæ memor humanæ, Sortisque caducæ,
Fac spem supplicibus, verbisque affare benignis.
Nam res nulla magis Heroibus, & magnis Diis
Nos similes facit, & paribus cum laudibus æquat,
Quam legem dare supplicibus, & parcere victis.
Quin etiam tecum reputes (mortalia quando
Cuncta vices sortita suas: nec semper eodem,
Magna licet, Fortuna loco secura quiescit)
Quod modò quam victo veniam concedis, eandem
Victor & ille tibi forsan non tempore longo
Restituet, memor acceptæ. Qui plurimus alta
Mente viget, casusque animis, & fata rependit,
Quam vellet sibi concedi, poscentibus ultrò
Dat veniam. Tibi præterea sit maxima, Prætor,

Saucia pubes omni studio curanda.

Cura, triumphali rorantem sanguine pubem
Pæoniis succis, doctaque Machaonis arte,
(1) Schipaniden seù scitum aliquem, (2) Redumve mederi.
Namque illis tanto te, dux, impensiùs æquum est
Consulere, insignis quantum victoria factis
Illorum egregiis, & fuso sanguine parta est.

Sic

(1) Marius Schipanus insignis Medicus Calaber, omnique disciplinarum genere excultus, (2) Franciscus Redi Medicus Florentinus, & vir planè doctus.

Sic magnas reliqui capient in prælia vires:
Vulnere & obducto, & revocatis viribus, illi
Acriùs in Martem venient, pugnamque subibunt.
Quæ tibi solicito pariter solertia habenda est,
Dum medias inter pugnas fortissima passim
Corpora cæsa cadunt, aut vulnere tarda morantur.
Si secus, illa virûm præstantia robora, bellum
Dum reparare velis, ventura in prælia deerunt.
Hæc impensa tuis, ut jam pia cura, jacentes
In campo pariter hostes curare memento.
Sic Pietas, Patrumque fides sic prisca reposcit.
Quin etiam poteris (neque erit damnabile lucrum)
Hostiles tali populos ratione mereri,
Ut te victorem, & victricia signa sequantur.
His actis, ubi se tandem tentoria palma
Cum parta, & turba Consul stipante recepit,
Numinibus, quorum dono venere triumphi,
Gratia multa pio ritu referatur, & ipsi
More Sacerdotes decantent carmina sacro.
Interea gens tota preces, clamore secundo,
Et tormentorum strepitu comitetur ovanti:
Cornuaque, lituique, & tympana pulsa reclament.
Quæ Superis operosa inter certamina vota
Concepit, patriæ pro re, gentisque salute,
Impiger, & Latio faciens de more resolvat.
Nam sic insigni culti pietate, futuris
Præsentes aderunt pugnis, & amica juvabunt
Agmina: sæpè Duces victores reddidit una
Relligio, & claros Pietas dedit una triumphos.
Atque hæc cùm sacro fuerint tibi reddita ritu,
Insequitur pars major, uti victricibus armis,
Et benè re gesta valeas feliciter uti:
Scilicet obsidio confestim cingere fortes,
Ut properes arces, & propugnacula regni.
Namque tuis armis, & territa clade suorum,
Se facilè arbitrio dedent victoris, & ultrò
Expandent portas venienti, & jussa volentes
Accipient. Armis acceptam sicubi cladem
Instaurare novis hostes conentur, in illos
Signa move: inque ipsis conatibus opprime primis.
Nam si cunctando consumes tempus, inerti
Oppressus luxu, aut nimium felicibus armis
Confisus: primo terror, qui major in ortu
Esse solet, cursu sensim tenuatur; & ipsa
Principiò ingentes retulit quæ Fama triumphos,

Et ipsi hostes captivi vulneribus curandi.

Gratia habenda Superis, & solvēda si quę concepta sunt vota.

Utendum victoria, Urbesque obsidendæ.

Pau-

Paulatim Ducis ingenio, vitioque tepeſcet.
Hinc magis accreſcunt animi, ſociisque vocatis,
Delectuque novo reparatis viribus, hoſtis
Infert ſe campo, & conamine tarda ſupini
Frangere vel potis eſt, vel perturbare Magiſtri.
Dum viret, & juveni fervet Victoria palma,
Proſtratique jacent animis, & viribus hoſtes;
Utere ſorte data, cœptisque inſiſte ſecundis.
Odit enim Fortuna moras, quæ præpete ſemper
Itque, reditque rota, & neſcit conſiſtere eodem.

Nunquam ſegni mora corrumpéda victoria eſt.

Hæc, ut pugna Ducis ſucceſſit proſpera votis,
Palmaque non magno venit ſudata labore:
Nunc cùm difficiles patiuntur prœlia caſus,
Et tibi fata Deûm, & Sors averſata repugnat.
Atque hic adverſis, quæ ſit fiducia rebus,
Ingeniumque, animique, & quantæ Conſulis artes,
Clariùs elucet. Nam ſi fortuna ſecundet
Eventum pugnæ, & facilis Mars annuit auſis,
Quisque valet palmas, ut ſit virtute, mereri.
At verò, ut lævo refugit Victoria vultu,
Et Mars difficilis, nimboque remugit opaco,
Horrendùmque tonat Cœlo non Juppiter æquo:
Audaces inſtant hoſtes, tua ſigna laborant,
Ordinibus verſis, & ſenſim territa inani
Jam referunt terrore pedem, trepida omnia nutant,
Viciſſe, aut certam ſaltem vitaſſe ruinam,
Id Ducis eſt magni, varii cui plurima belli
Cognitio, mens alta, omnique interrita caſu,
Atque animi nunquam frangendi, & pectus ahenum;
Ut ſciat ingenio, poſſitque audacibus auſis
Obvius adverſis properare, & vincere Fata.

Quid Duci agendum ſorte contraria, & quantum tunc illius ingeniũ eluceat.

Non ſecus, ac placido ridet cùm marmore Nereus,
Et lenes ſpirant auræ, curſumque ſecundant,
Quisquis erit rector, moderari puppis habenas,
Et tuto tandem poterit ſuccedere portu.
At cùm turbato fremit imo à gurgite pontus,
Ingentesque ruunt revoluti ad litora fluctus,
Albeſcunt altæ rupes, & pulſa reclamant
Æquora, crebeſcunt nimbique, atræque procellæ,
Et velum diverſa ferunt: ipſique repugnant
Diſcordes intus nautæ, trepidique pavorem
Vectores addunt, ſuntque omnia miſta tumultu:
Qui tantis, cœlique minis, pelagique procellis,
Et clavum verſare, & ſævo occurrere vento:
Et quod majus opus, diſcordes flectere mentes,

Uti Gubernatoris ingenium in tempeſtate.

Ad-

Addere ſpem pavidis, unus non territus ipſe,
Hic eſt magnanimus, hic pollet plurimus arte.
Quare age, difficiles quando Sors invida caſus
Apparat, & multo deſpondet ſanguine palmam,
Ingenio, magnisque animis, & viribus acres
Nutantem in pugnam, & dubii rem Martis eamus.
Si cùm prima ineunt equites certamina, pulſi
Forte fugam capient, actutum occurre labanti
Conflictu; & validas è verſu emitte ſecundo
Suppetias: ſubito quæ, motis ordine ſignis,
Inſultantem hoſtem, & fugientum terga prœmentem,
Denſato frænent cuneo, laxisque vagantem
Ordinibus cædant: & non felicia cœpta
In melius vertant, & Fata obſtantia vincant.

Occurrendum illico hoſti verſus acies inſultanti.

Interea excuſſos trepida formidine dictis
Siſtere magnanimis, ſtimuloque accendere honoris,
Speque animos revocare nova conabere: verſus
Utque iterum celeres inſtauravere Magiſtri,
Præcipe in adverſos ſubitò convertier hoſtes;
Ut damnum pugna acceptum reparare, decusque
Amiſſum certent auſo renovare recenti.

Hæc inter, melior cornu fortuna ſiniſtri
Si fluat, incœptum peragat generoſa juventus,
Dat clarum qua parte decus Sors, & ſua dextra.
Tunc læva ex ala poteris, res proſpera quando,
In dextrum fortes aliquot demittere cornu
Bellatorum equitum turmas, qui pulſa ſuorum
Agmina ſuſtineant, primamque evincere Sortem,
Omnibus adniſi conentur viribus: ala
Sed cave ne intereà nimium tenuata fatiſcat:
Ne qua parte acies abſolvit prælia victrix,
Conſulis ignavi culpa, vincatur eadem.
Præſtat enim ſimili, atque alterna clade mereri
Æqualem pugnæ palmam: totius inani
Quam ſpe deceptum, conceſſam amittere partem,
Quam certam in manibus, cœlo donante, tenebas.

Si ſiniſtri cornu melior fortuna, ex ea parte urgendum.

Præterea æquato pugnant dum Marte cohòrtes,
Quæque obnixa loco non cedere, quæque ferocem,
Luctantemque hoſtem, confertaque ſigna tenentem,
Vi conata loco depellere; non tamen illi,
Non iſti cedunt: Gemini velut aëre venti,
Cùm paribus pugnant animis, & viribus æquis,
Stant ipſi obnixi, ſtant nubila, ſtat mare pulſum.
Illinc cuncta necis metuenda, & cuncta triumphi
Sperandi, pendent quando momenta, Magiſter

Quid cum æquo Marte pugnatur?

Se major super assurgat dextraque, animoque,
Major & ingenio: ut valeat sic vincere Sortem
Æqualis Fati, & palmam extorquere morantem.
Perrumpenda acies rhombo versante.
Idcircò electis juvenum stipatus, in ipsum
Irrumpat latus, effusis, ceù fulmen, habenis
Præcipitans sese rhombo versante supra hostes.
Vel tormentis è colle explosis.
Hoc neque si possit turbatum fundere nimbo
Insistentem hostem statione, atque ære tonantem,
Suggestu ex alto, aut vicino è colle, jubebit,
Contra illum crebrò tormenta explodier ictu.
Et si quà, assiduo laceratus fulmine, cedat,
Ilicet invadant, & quà via strata, subintrent.
Vel Equitum subitu agressu: qui se nova auxilia simulent.
Aut nemore è denso, vel culmine montis opaci
Delectorum Equitum jubeat descendere turmas
Ingenti strepitu, & magno clangore tubarum,
Majorem, ut simulent numerum, viresque recentes.
Sique hostes subita capti formidine, versa
Nutabunt acie: flectentes signa juventus
Confestim cædant, & versus undique turbent.
Insuper adversis, dum pugnant agmina signis:
Et velut alterno pelagus fervescit ab æstu,
Nunc hi, nunc illi veniunt ad litora fluctus,
Obnixique petunt scopulos, fractique retrorsum,
Impete mox presso, nisuque feruntur inani.
Quid duci agendum cum acies per vices premunt, hostes mox premantur.
Sic cùm sanguineis campo Mars æstuat undis,
Hæc modò prorumpens acies ruit, & modò cedit:
Instat & illa premens: mox & propulsa recedit.
Itque, reditque: vices & Mars sortitur easdem:
Et volat incertùm, & nulli Victoria versis
Inclinat sese pennis, tunc maxima, Prætor,
Aurea magnanimum si tangit adorea pectus,
Cura sit, ut retrò majore relabitur æstu
Cum propulsa acies, illam majoribus ipse
Viribus actutum, densaque sequare phalange;
Ut tandem toto fugiens ruat agmine victa.
Non secus ac, magnæ cùm turbavere procellæ
Æquora, & immensi montes voluuntur aquarum,
Spumosæ incolumem tunc puppim advertere ripæ,
Si quis rector amat, vigili stat mente, ruentes
Observans fluctus à gurgite, cùmque recessit
Unda minax, deno post acta volumine, & instat
Non tanto refluens æstu placatior, ipse
Tunc nisu ingenti ruit ocyor, & tenet oram.
Si secus, & segni diverberat æquora remo,
Ilicet à tergo magnus procumbet aquæ mons.

His super (interdum neutri Fortuna secundat)
Tempore si longo pugnatum viribus æquis,
Cladibus æquatæ clades: insignia signis,
Et fuerint paria arma armis amissa relatis:

Si longo tempore æquis viribus certatum, nec spes victoriæ fulgeat, præstat utrisque receptum canere.

Candida spes nulli niteat, nigra immineat nox,
Aut pluvia, aut magno descendat turbine ventus:
Tunc præstat (parti quando Mars æquus utrique est)
Defessam pugna sub castra reducere pubem.
Te, præco, mandante, cavo canat ære receptum;
Ut facto redeat pugnandi fine juventus.
Hic tamen arte, Duces, monitisque cavete severis,
Ne perturbato decedant ordine turmæ,
Versibus & versis, gressuque ad castra citato.

Et si in receptu spes niteat, utendum fortuna.

Ne vigil observans hostis citus ingruat: & quam
Non potis ille sua palmam virtute tulisse,
Spontè tuo tandem concessa errore fruatur.
At si quæ multò vitare incommoda nisu
Invigilas, eadem non prævidisse supinos
Aspicies hostes, quam dat sub fine laborum
Sors laurum, totis confestim amplectere palmis:
Neve piger tantum, Prætor, corrumpe favorem.
Maxima sed semper fuerit tibi cura receptus:
Ardua quandoquidem res est, & plena periclis:
Et magnos petit illa Duces, qui plurima bella
Experti, plures & qui retulere triumphos.
At si principio res inclinata fatiscit:
Ulla nec optatæ spes palmæ fulget; aperto
Sed tutum campo sit se subducere, cauti

Si principio res malè cedat, recipiendus tempestivè miles in castra.

Extemplò celerem vicina in castra receptum
Maturate: velut quando per cœrula rector
Vela dedit, dubiique secat maris æquor: ab alto
Si forte horrendo tempestas turbine surgat,
Naufragium, mortemque minans: nec surgere contra
Arte, manuque valet, rapidosque evincere nimbos:
At verò in portus iterum penetrare relictos
Si datur, extemplo vertit sub litora cursum:
Et durat ventos, tempestatesque sonoras.
Nam juvat interdum longùm differre morando
Fortunam pugnæ, & Sortem superare ferendo.
Nec pudeat campos hosti cessisse superbo;
Tutus enim, docta properatus & arte receptus
Instar erit magna parti cum laude triumphi.
Nec minor extremo cives servasse periclo
Gloria, pugnando quàm sit vicisse. Faventis
Hoc datur arbitrio nonnunquam Sortis: at illud

Properatus arte receptus, est quasi victoria, & Ducis artem cōmendat.

Magnum opus ingenii verſuti, artisque magiſtræ.
Præterea rurſus ſervatis civibus, ire
Pugnatum campo poteris, palmamque referre,
Cùm melior tibi ſpes, occaſio dedita cùm ſit.
Aſt acie victus, ſi gentem amiſeris omnem,
Haud facilis reparare labor: res perdita, & actum eſt
De veteri Patrum imperio, Patriæque ſalute.
Sed te qua pubem campo, quaque arte reducas
Bellica vaſa, animos, mentemque adverte, docebo.
Quæ reliquis equitum veterano robore turmæ
Præcellunt, hoſti opponas, vallumque receptu.
Qui ſtatione data venientem fortiter hoſtem
Obnixi teneant, & longùm prælia ducant.
Interea tormenta rotis impoſta citatis,
In tutum duci jubeas, bellique paratum
Omnem, ſolicitis devectum curribus: & quæ
Militibus variumque cibum, potumque miniſtrant.
Cætera mox ſolers referat ſua vaſa juventus.
At celeres currus, Vulcaniaque æra jubeto
Hinc illinc fortes juvenum ſtipare maniplos.
Sed priùs in clivum, quò tuto caſtra receptu
Deducis, geminas peditum præmitte cohortes,
Quæ teneant collem, & ſi res, tutentur ab hoſte.
Caſtraque metentur: ſubitumque ligonibus omnes
Calones, lixæque altum ſuſtollere vallum
Concertent, circùmque citi munimina ponant.
His actis, ſenſim pedites ſua ſigna reducant;
Inque nova ordinibus nexis ſe caſtra receptent.
Mox equites, pulchro revolutis ordine ſignis,
Nimirum rhombo vèrſante, ſimulque jugante,
Poſtremi è campo decedant, tutaque curſu
Pernici loca, quò ſocii venère priores,
Accipiant tandem, defeſſaque corpora curent.
At ſi quæ fuerint, quæ non ſine ſanguine multo
Martia vaſa locis educat miles iniquis:
Multum cunctando poterunt, & obeſſe, libenter
Deſere: nec tanti tibi ſarcina vilis ematur.
Sæpè levis damni, tenui vel honoris inanem
Jacturam vitare tenax, damnoque, probroque,
Dux majore ſimul palmam, & rem perdidit omnem;
Quin immo, valeant ſi plauſtra relicta morari
Irrumpentem hoſtem, & defendere terga tuorum.
Illa volens hoſti objicias, ultroque relinquas.
Nam tibi materiem, qua belli machina fiat,
Plurima ſylva ferax ſemper præbebit, & æra
Mon-

Qua arte in re tali recipienda in tuta caſtrorum ſit pubes.

Quæ ſervari ſecurè nequeunt, relinquenda, ne damnum ſit lucro majus.

Montis inexhausti submittent viscera: fortes
Non semper juvenes urbes, & rura ministrant.
Verùm si clades hominum manifesta sequatur:
Nec nisi pugnando restat spes ulla salutis,
Assurgas animis major, majore periclo.
Quamque aversa negat Fortuna, tibi tua dextra
Concedat palmam, vel famam mortis honestæ.
Qui dedit effuso generosam sanguine vitam,
Casibus extremis pugnando fortiter, ille
Egregia non laude vacat. Si vincere ferro
Non hostes potuit, sed vicit, & ardua vicit.
Ergo ubi jam fractis Acies antica maniplis
Terga dedit: Mediæ jam casus, & imminet idem.
Cùm tota ad fortes res acta Giraspidas, & cùm
Spem facit ipse sua virtute Triarius unus:
Hos, Prætor, sermone brevi, qui pectora possit
Optatam in palmam, aut mortem inflammare decoram,
Hortatus voce impavida, vultuque sereno,
Hostem in victorem, ritu torrentis aquosi;
Duc ipse ordinibus densis, dextraque saluti
Pande viam forti: quam stratam pone sequantur
Fortuna meliore tui. Casuque repente
Si perculsa pedem referant contraria signa,
Urge, instans armis victricibus: inque labantem,
Incumbant acies hostem, turbentque, necentque,
Magnanimis his sæpè ausis via facta saluti,
Et decus immortale Duci, partique triumphi.
At neque si tantis faveat, factisque, animisque
Invida sors: Fatisque tuis hostilia Fata
Obsistant contra: neque sit revocabile terris
Consilio, virtute, suo quod Juppiter ante,
Prospiciens casus hominum, decrevit Olympo:
Ut spes, utque acies campo prostrata patenti
Tota jacet: cessitque hosti Victoria, cessit
Res omnis, currus, insignia, victaque castra:
Consilio meliore cito, dextroque receptu,
Subtrahe te pugna, & Patriæ ad meliora reserva.
Nec pigeat cessisse, viri cùm cætera fortis
Præstiteris magnis animis, atque arte magistra.
Nam decus egregiæ mortis, per & alta petitæ,
Posthabuisse rei Patriæ, populisque saluti,
Dignum equidem summis est laudibus. Arcis amicæ
Ut muros tandem tenuisti, & viribus artus
Defessos lucta reparasti, & cursibus haustos,
Relliquias omnes pugnæ infelicis in unum

Si recipi miles sine clade nequit, pugnandum.

Breviter hortandi ad pugnam Triarii, inque hostem irrumpendum.

Et si sors faveat urgendum est.

Sin minus receptu sibi ipsi consulat Prætor, seque ad meliora reservet.

Col-

Colligere extemplo cures; ne victor apertos
Per campos latè palantes opprimat hostis.

Colligendæ mox dispersi exercitus reliquæ, ac reparandum est bellū.

Ast ut relliquiæ tuta sunt arce receptæ
(Quod sequitur) bellique novos conare paratus,
Delectus & habere novos: simul undique coges
Auxilia: & multo replebis milite turres,
Victor ne obsidio circumdet, & occupet hostis.
Ast ubi jam vires reparatæ, i rursus in æquor.
Et levibus pugnis, quidnam valeat nova pubes,
Experiare: favens & si Fortuna sequatur,
Ne dubites totis iterum confligere signis.
Acceptas clades, & tristia funera quondam
Pensabit tibi parta nova Victoria palma.

Quicumque accidat casus, nunquam omittenda spes est.

Sed quæcumque fero tempestas Martia nimbo
Te, Dux, verset agens, res & quicumque maligni
In transversa ferant casus, ne tristibus umquam
Successis frangare, aut Fato oppressus acerbo
Desperes: magnas sed magnis concipe semper
Spes animis, & Sorte assurge excelsior omni.
Fata vices patiuntur: habet Fortuna regressum.
Quæ solet adversis in rebus sæpè supremos
Exercere viros, non plectere: quosque periclis
Instruit, ad claros jam destinat illa triumphos.



BEL-



BELLICORUM
LIBER DUODECIMUS.

MAGNANIMÆ quicquid virtutis, quicquid & artis
Bellatricis erat, pugnando explevimus: acri
Nunc est ingenio certandum, astuque sagaci.
Nam quos arte Duci, dextraq; referre, negatum,
Insignes astu fas extorquere triumphos.
Quandoquidem frustrà non junxit viribus altum
Ingenium Natura homini, mentemque capacem:
Nempè dolis etiam, atque instructis fraudibus uti
Posset, & ingenio vires pensare, potentum
Et facilè adversos sic interrumpere nisus.
Quin etiam brutis versutas provida fraudes
Elargita, licet rationis dona negarit.
Ut quæ non vires illis, non arma dedissent,
Commoda seu vitæ vellent perquirere, tutum
Sive hostem contra munimen habere, dolosæ
Sufficerent artes, vafræque astutia mentis.
Nonne vides, mediis ut Progne abscondita dumis,
Accipitrem vitet? densatos frigore rivos
Aspice quærentem properatis cursibus Alcen,
Martius adversum quoties lupus irruit: illa
Sit quamvis animo timidissima, sæva duella
Non renuit secura loco: namque ungue bisulca
Firma gelu insistit: quo non vestigia ponit
Tuta lupus: viden adventantem, ut remige penna
Obverso expectet Falconem interrita rostro
Ardea, quo longa veluti procul arceat hasta?
Culpide & obversa Pelicanus in æthera, somnum

Utendum in bello militari astu, atque ingenio, quo vel bruta prædita sunt.

Quorum aliqui miri astus recensentur.

Car-

Carpit humi; jaceat nimirum tutus, inermem
Neve illum incautum adverſarius occupet, alis
In pugnam ſubitis cùm ſe demittit ab alto.
Aſpice, ut aërio ſub nigra cubilia ſaltu
Inſiliat lepus, intactamque relinquat arenam:
Scilicet ille ſolo ſua ne veſtigia retrò
Deſerat; indicio ne fors ſint illa ſequenti
Arrepti curſus: vafer, inſpice, luſtra ſubintret
Urſus ut averſus veniens: ſicque ille repoſta
Se cavea egreſſum ſimulat: fortiſſimus ipſe
Sæpè leo fraudes adhibet: veſtigia greſſu
Imprimit, & ſubitus diſperſa delet arena.
Ut ſua, verſutus veluti dux, hoſtibus abdat
Conſilia, exploret contra quæque ille peregit.
Sed quid plura; ſuus cunctis animantibus aſtus
Natura conceſſus; agant quo longiùs hoſtem
Prævalidum, vitamque ſibi tutentur amicam.

Quæ cùm ſic habeant ſeſe, te plurimus artes
Priſcorum Ducum ad imitandum celebriores aſtus referuntur.
Arcanas, Prætor, bellorum, & furta docebo.
Et quamquam noſtro complecti ſingula verſu,
Quæ ſua cuique duci mens ſuggeret acris, & ipſa
Per Martis durata dabit prudentia caſus;
Difficilè: & cunctis ratio non gentibus una eſt.
Ingenioſa tamen veterum commenta Magiſtrùm,
Plurima quæque dedit varii experientia belli,
Expediam, quibus ipſe, tibi cùm dedita poſcet
Res, uti valeas: collataque facta rependens,
Perſimiles poſſis, Dux, commentarier aſtus:
Inſignique frui ſine clade, & ſanguine palma.
Nomen, & egregium magna cum laude mereri,
Cuncta triumphali victurum in ſęcula fama.
Diſce igitur doctæ ſimulatam Palladis artem,
Inque imis aſtuta animis inventa repone.

Principio, valida ſi res cùm gente geratur,
Vincere quam vires nequeunt, aſtutia frangat.
Sexti commentum, quo Gabioſ domuit.
Bellaces veluti Gabios verſutia Sexti
Edomuit: multo percuſſum verbere natum
Ire jubet Gabios: habitus hic transfuga genti,
Inque patrem magnis odiis accenſus iniquum.
Ira fidem mentita facit: dat credula turba
Imperium belli puero: ſic illa ſuaſu
Ut facili capta eſt, facili quoque ducta triumpho.
Et Cyri ad ſubigendam Babyloniam.
Non & diſſimili Cyrus Babilone potitus
Conſilio: toto diſciſſum turpiter ore
Fraudis in ignaros dimittit Zopyron hoſtes.

Ut

Ut miserum indecori turpatum vulnere pubes
Aspicit Assyria, & lacrymas, tristesque querelas
Audit in immanem, & gaudentem cæde tyrannum,
Hospitio miserata virum suscepit: & ille
Iram dissimulans, ipsum per tela, per hostes,
Cùm Cyrum adversus peteret; pro talibus ausis,
Proque odio in regem bello præfectus, & urbi.
Quam mox, exutus mentita veste, tyranno
Tradidit, & regnum pariter Babilone receptum est.
Ne faciles hosti, ne credite: nulla adhibenda
Est odiis, iræque fides: latet abditus illis
Sæpè dolus. Credat quis posthac amplius ulli?
Si vel mollis amor dura sub veste furoris
Occulitur: fervetque suis non ignibus ardens.
Præterea non cura minor, Proconsul opima
Adversi Ducis ingenio mercede potiri.
Quod si fortè tibi successerit, aurea laurum
Vis dabit optatam, ferroque, & sanguine parces.
Et ferro, & pubis parcendum sanguine semper.
Hoc astu Pericles, auroque Cleandride capto,
Attiacis olim Megarenses finibus egit.
Ille etenim caussas prætexens fictor, ab illis.
Prætorem hortatus victricia castra movere,
Inque Corinthiacos lætos inducere campos.
At si fortè animus nequeat mollescere donis;
Ut reddas hosti suspectum nitere, magni
Regis ad exemplum Pellei: qui licet armis
Cuncta metu victor Persarum regna repleret,
Non fraude indignum Fortunæ urgere favorem
Duxit: ut oblatis accepit Mæmnona donis
Haud equidem potuisse capi, prædantibus, agris
Parcere Mæmnoniis tantùm præcepit; ut illo
Mæmnona suspectum indicio Darius haberet.
Quid non ingenio, quid non conatus & arte
Villius, ut tota eximeret formidine Romam:
Quæ numquam secura metu, & pacata fuisset,
Annibale incolumi, & rursus nova bella parante?
Ergo Asiæ regi, cui bella suaserat author,
Corruptis procerum primis, auroque coëmptis,
(Nec multum fuit id: factis heroa superbum,
Externumque virum, fretumque favore tyranni
Invidia, atque odiis insectabantur acerbis)
Suspectum facit Antiocho: quia scilicet hosti,
In Pœnos flagrans odio, patriamque, favebat.

Sed properè insequitur versuti Consulis alter

Expedit interdum contrarii Ducis animum dono capere, ut fecit Pericles.

Quod si auro capi nequeat; suspectus Regi reddendus est, ut Alexander, & Villius fecit.

Aſtus, ut ignavum fallat feliciter hoſtem.

Si via obſeſſa ab hoſte, fingere te per alium iturum opus eſt.

Si via, qua pubes caſtris ducenda refixis,
Anguſta, & crebris paſſim ſit rupibus aſpera,
Illius & multo ſtipatæ milite fauces;
Ut vel difficilis, nimioque cruore petenda
Illa tibi, vi ſive ſit impenetrabilis omni;
Tunc quam dextra nequit ferro, mens pandat acuto
Invento: promota viam tua caſtra ſecare
Finge aliam: ſubitus tua cùm conamina ſenſit
Hoſtis, & antiqua venit ſtatione relicta;
Inſeditque, aditus interclufurus; ibi ipſe
Poſtremas acies, converſis ordine ſignis,
Præcipe ſolicito properare ſub ardua greſſu.
Perque vias aſtu miles procedat apertas.
Hæc ſed major erit ſolertia, vallibus altis
Si fors deprehenſum te circumvenerit hoſtis.
Qualem fama refert olim oſtendiſſe Periclen.
Cùm per præruptas, horrenda cacumina, rupes,
Aviaque invitus poſuiſſet confraga caſtra,

Pericles inſigne ſtratagemma refertur.

Undique & adverſo præmeretur milite, foſſam
Ingentem ducit, quo ſe defendere vallo
Diſſimulat: pontesque parat, quibus ilicet illa
Tranſmitti potuiſſet: adit mox æqua, fugamque
Mentitur: celeres illuc ſe protinus hoſtes,
Agmine deducunt denſo, prohibere parati
Vi, feroque viam: ſtratis tunc pontibus ille,
Quà non crediderant inimici, elabitur: & ſe,
Servatosque ſuos tuta in campeſtria ducit.
Quis non exciſos præruptæ in montibus Oetæ,

Et Alexandri.

Pelleo mandante, gradus audivit: & illis
Macedonum totam demiſſam ab rege phalangem,
Talia confieri numquam vi poſſe putantes
Oppreſſiſſe hoſtes, & Theſſala rura petiſſe?
Et cui contextæ ſylveſtri è vite Veſevi,

Et Spartaci.

Qua riget hic ſcopulis, non dictæ in vertice ſcalæ;
Demiſiſſe quibus fugitivum Spartacus agmen
Fertur, & attonitos hoſtes, audacibus auſis,
Eluſiſſe? ferox quæ non audacia, & aſtus
Intentare valent, anguſto & preſſa loco mens.
Præterea, juvat interdum de parte tumultum
Exciri dextra, lituis, atque ære ſonante;
Hoſtis ut accitus veniat quà rumor: & ipſe
Interea è læva populum in ſecura reduces.

Et Hippicratis.

Hunc olim Hippicrates imitandum tradidit aſtum.
Quin etiam de nocte tibi ſi caſtra movenda,

Cùm

Cùm validus premit adversarius, omnia flammis
Illa micent: sintque excubiæ statione frequentes;
Ut vigili cura sciat hostis cuncta teneri.
Interea tacitæ deducant signa cohortes,
Cumque loco miles securo insedit, & ipsa
Vasa simul, currusque leves, tùm denique noscat
Hostis ab incensis castris te tuta petisse.

Perge, minoris erit, Prætor, superare labor is
Quos segnes, vel parta recens victoria fecit,
Sive aliquis felix casus distraxit ab armis.
Est ea quippè hominum, rebus natura secundis,
Sortis ut immemores variæ, immemoresque pericli,
Desidiam facilè in mollem labantur inertes.
Quid, nisi magnificis victoria lata triumphis
Cecropides olim resides, urbemque Minervæ
Perdidit? heu miseras fecerunt gaudia gentes!
Lætitia effusos populos ut vidit, Eoi
Victor Alexander, Peparethi ad litora classem
Apparat, & celerem citat ad Piræea cursum.
Hic fractos luxu populos, & amica putantes
Signa, repentinus victricibus occupat armis.
Astus, & hic fregit Rhodios, Carumque superbam
Servavit magnis cùm laudibus heroinam.
Classibus hæc Rhodiis terra præcincta, marique,
Cumque pari posset non vi sperare salutem,
Fœminea major mente, ingenioque virili,
Martis in arcanas artes confugit, & astus.
Sese quisque supra deprensus surgit in arcto:
Quasque negat natura, dat ipsa angustia vires.
Obsessæ gemini longo discrimine portus
Urbis erant, partesque duæ simul urbis: & illas
Secreta obliquo jungebat tramite fossa,
E geminis alter multa cùm merce relictus
Hostis in arbitrio portus, pars altera & urbis.
Hic deses spoliis inhiat dum victor opimis,
Et trepida fugisse putat formidine Cares,
Egregias juvenum ductans regina cohortes,
Callis erat secretus ubi, prorumpit: & hostes
Intentos spoliis super, & nil tale timentes
Occupat, & victrix ingenti clade trucidat.
Et quoniam cœptis dum Sors audacibus, & res
Annuit, astutum felici insistere cursu
Præstat, & extremam benè cœpti attingere metam;
Classe sua, & captis Rhodiorum navibus, altum
Corripuit pelagus victrix regina: Rhodumque

Segnes vel victoria, vel alia caussa, opprimendi hostes, ut fecit Alexander, Athenis ex improviso captis.

Insignis & astus Artemisiæ, qua Rhodus est capta.

Appellit, curſu præcurrens præpete famam.
Ut tenuit, læti venere ad litora cives
Gratari ſociis victoribus: ipſa ſuorum
Signa dabant mentita; fidem Regina propinquum
Ut litus cepit, confeſtim milite in oram
Navibus expoſito, prima inter prælia inermem
Oppreſſit civem: portuque, atque urbe potita eſt.
Uſque adeò celerant præſentia facta triumphos.

Tum invadendi hoſtes, cum te deſidem, ſopitumque credunt.

Eſt etiam ſecura tibi victoria, Conſul,
Si tùm, cum totis invadas viribus hoſtem,
Cùm te ſopitum, nec pugnas mente, neque arma
Verſantem credit: dedit hæc verſutia regi
Perſarum, Scythica clarum de gente triumphum.

Sic Perſæ Scythas vicerunt.

Militibus paucis, ægriſque ad caſtra relictis,
Pluribus, atque onagris media in ſtatione locatis:
Hi dum raucisonos tollunt de nocte ruditus,
Accenſis illi colluſtrant omnia flammis,
Verſari ludo Perſas, atque otia caſtris
Ducere, non aſtus meditari, & prœlia ſuadent.
Parte alia inſtructis legionibus, ille Scytharum
Aggreditur caſtra, & crudeli funere plectit.

Simulanda interdum victoria, cujus imagine capi hoſtes facilè poſſunt: ſic Claudius victus cum ſe victorem ſimulaſſet, incolumis evaſit cum reliqua claſſe.

Utilis ille etiam ſemper pugnantibus aſtus
Eſſe ſolet; ſeſe commiſſa fingere pugna
Victorem, aut plures quàm ſint prætendere vires:
Infractosque ſuos pacem depoſcere: longæ
Hac nam fraude moræ nectuntur: & Ardua ſæpè
Exigua res parta mora: vitataque magna
Eſt populi clades, urbesque & regna recepta.
Talia majorum ſi forte exempla requires,
Accipe. Navali à Pœnis certamine victus
Claudius, audaci reliquas tutiſſimus aſtu
Adverſo incolumes ſervavit Marte carinas.
Cùm per præſidia intendendus Punica curſus,
Victrici proras juſſit redimire corona,
Et læto juvenes incumbere murmure remis.
Et quia victores cuncti veneramur, eunti,
Quamquam eſſent plures, non auſi occurrere Pœni,
Et ſimul integrum victoris imagine capti
Amiſere decus: ſervatis civibus, ille
Promeritam populo retulit plaudente coronam.
Uſque adeò intrepidi fraus ingenioſa Magiſtri,
Et victis cùm laude poteſt prodeſſe ſaluti.

Perge, triumphato documenta ex hoſte teneto;
Inſigni Patrum fractus virtute Philippus,
Ut ſe cùm reliquis ſervaret, tempus humandis

De-

Defunctis pugna petiit, quo cæde peracta,
Jure dari, poscique potest nil sanctius unquam. —
Se vafer ille pio prætextu, more Pelasgo,
Subduxit campo, & nostros pietate fefellit.
Ne faciles hostis pietati credite, vivis
Consulere est olli studium, non lumine cassis.

Philippi astus refertur, quo cum inducias ad humandum mortuos peteret, evasit.

Ut neque tu pacem credas, fœdusque petenti,
Hæc dabit incautus Siculorum exempla tyrannus:
Vicerat hic Pœnos, cœsoque Magone, superbos
Finibus è Siculis hostes ejecerat: illi
Acturi, inducias poscunt, de pace: frequentes
Dum veniunt, redeuntque, & longùm tempora ducunt;
Classe nova, vires instaurant: bellaque rursus
Indicunt, vincuntque dolo, qui vicerat armis.
Ne tempus speret, cui stat benè tempus agendi.

Quin etiam ad palmas inimica attollere signa
Proderit: alma velut Carum regina solebat.
Sic etenim falsa deceptus imagine signi,
Vitatur tutè adversarius, atque saluti
Consulitur: quin parta dolis his plurima parvo
Sanguine nonnunquam victoria: verus & ille
Haud inimicus erit, qui non se fingit amicum:
Et virtus fraus est, peperit quæ Martia palmam.

Juvat interdum inimica signa attollere, ut faciebat Cariæ Regina.

Prætereà solertis erit Prætoris, opacis
Interdum nebulis uti, fumoque, geluque:
Tempore dum certo densi è tellure vapores
Emergunt, ingensque volat sub sydera fumus,
Accensis latè sylvis deducere pubem
Hoc tectus vallo poterit, vel milite lecto
Tutius insidias ductor molirier hosti.
Non hic ipse tuos sileam, fortissime Cæsar,
Bellaces astus (ars hæc tibi plurima) Gallo
Queis Alpes olim niveæ rubuere cruore.
Vicino quoniam densæ de flumine nubes
Surgebant, Aurora mari cùm surgeret, ille
Has inter tenebras absconditus, ardua multis
Militibus juga conscendens, superimminet hosti.
Hinc magno clamore, cui mox illicet omnes
Vallibus ex imis socii assensere, jacentes
Invadunt hostes, subitum ceu fulmen: ibi acer,
Haud mora, non ferro, sed magno exterritus auso
Gallus terga fugæ dat protinus: & nece victor
Insequitur Cæsar, domitas & præterit Alpes.

Utendum fumo, & nebulis ad fallendum hostem.

Sic Cæsar Gallos ad Alpes vicit.

Sed vos hic Vatem, Musæ, quibus ardua Martis
Prælia sunt cordi, Palmæque, & clara trophæa,

Nu-

Numine defeſſum veſtro, cantuque juvate.
Magna quidem dicenda, ducisque exempla ſupremi
Laudibus æternis ornanda, & carmine ſacro.
Ergo agite, heroo concedite digna cothurno,
Ut cœlo meritis æquetur cantibus heros.

Bellaces inter fraudes, & Martia furta,
Sæpè quibus fortes animis, & mente capaces
Ductores magnis Bellorum in caſibus uſi,
Hæc fuit, egregiis ſed vix tentanda maniplis:
Ardua nimirum conari, & fortia, numquam
Tentari quæ poſſe ſibi perſuadeat hoſtis.

Audaci nonnumquam auſu, & improviſo fallendi hoſtes,

Sic res improviſa, reique ingentis imago
Attonitos reddet, Martisque ad munia ſegnes.
Et quamquam præclara ducum monumenta priorum
Plurima ſint, ævo non deſunt & ſua noſtro,
Tempore quæ quamquam, non ſunt virtute ſecunda.
Non longè, Sicorim propter qua ſurgit Ilerda,
Heſperias urbes inter non ultima, magnus
Dux (1) CANTELMIADES pietate inſignis, & armis,

Quo uſus Andreas Cantelmus, cujus laudes Vates celebrat.

Scottorum ſoboles & præclariſſima regum,
Imparibus quamvis armis (exercitus olli
Millia vix ſeptem numerabat lecta virorum
Corpora, viginti ſed millia Francus habebat)
Arte ſed egregia pugnam commiſerat acrem:
Et magnis animis, magna virtute, minorem
Penſabat numerum, factis & Fata vocabat.
Nec mora turbati convertunt tergora Galli,
Inque fugam effuſi ſeſe dant: protinus ingens
Fit cædes: proſtrata jacent immixta cruentis

Qui victoria invidiā am[illegible]a, ſe in arcem recipit.

Arma viris, Sicorisque tumeſcit flumine major,
Et ſe purpureum ſine more immiſcet Ibero.
Læta triumphali jam ſe victoria lauro
Obtulerat blandita Duci: proh Fata Deorum!
Quam non felicem Fortunam, & proſpera rerum,
Invidia livens animus, cœcoque furore
Percitus, evaluit corrumpere? maxima ſummo
Deturbare poteſt de culmine, lætaque verſo
Ordine fatorum ſubitò mutare ſiniſtris.
Ergo equitum renuens mandata faceſſere ductor,
Invidiæ tetro flagrans livore (ſupremo
Invidet inſignem palmam, laudemque Magiſtro)
E ſtatione data decedit, & hoſtibus æquor,

Con

(1) ANDREAS CANTELMUS Catalauniæ Prætor.

Converſis ultrò ſignis, concedit habendum.
Verſaque ſors pugnæ: invitusque recedere campo
Non hoſtis virtute, mala ſed fraude ſuorum,
Cogitur: & paucis equitum comitatus in arcem
Vicinam recipit ſeſe: mora nulla, feroces
Incumbunt hoſtes, & circùm mœnia cingunt.
Obſidione peti cùm ſe CANTELMUS, & arcem
Aſpicit, ingenti major virtute, animiſque
Se ſuper aſſurgit, magnam & vim concipit armis,
Ac velut incluſum, magna cingente corona,
Cùm leo, venantum, ſe proſpicit, æſtuat ira
Plurimus, horrendùmque fremit, rabieque remugit,
Rauca ſonans, vallo impatiens, armiſque teneri.
Hàc, illac ſeſe verſat: totiſque repentè
Rugitu immani collectis viribus, Euris
Ocyor alatis, irrumpit, & ungue rapaci,
Vique viam, magno venantum ſanguine, pandit.
Non ſecus hoſtili vallo concluſus, in iram
Magnanimam totus ſurgit CANTELMUS, & ingens
Vique, animoque micat, vultuque interritus igneo.
Nunc hac, nunc illac ſe mente, & corpore voluit.
Nil humile, abjectumque nihil, ſed magna, ſed alta,
Et præclara agitat, quæ non felicia pugnæ
Compenſare novis poſſint inſignibus auſis.
Proh dolor! his tandem prorumpit, in æquore victos
Non virtute ſua, ſed proditione meorum,
Mœnibus his Gallus concluſo illudat? adempta
Invidia ſi palma mihi, non mens, animique,
Non hæc dextra potens erepta, & Martius ardor.
Ille ego, qui toties Gallorum ſanguine victor,
Et Batavo toties madui, totieſque Sicambro.
Verſus & ad ſocios ſimul hæc: Fortiſſima bello
Pectora, totque olim magnis experta periclis,
Nunc tempus ſolitis virtutem accendere flammis,
Et decus antiquum, & partos reparare triumphos,
Et cumulare novis: per vos, per fortia facta,
Per ducis & veſtri nomen, devictaque bella,
Fidite ne muris: ferro per caſtra, per hoſtes
Quod minimè rentur, via ſtat rumpenda: pateſcet,
Hoſtibus invitis, virtuti, credite, veſtræ.
Magna quidem, ſocii, vos in diſcrimina rerum,
Hortor, & objicio, fateor, ſunt maxima; vobis
Æqua tamen, ſunt illa duce, & digniſſima veſtro.
Non CANTELMUS ego? non vos CANTELMIA pubes?
Addite, magna petit Mars, & Fortuna: faventque

Cumque obſideretur, cum fortibus ſuorum eruptionem meditatur.

Suos hortatur, portaque illico patefacta erùpit, perque media Gallorum caſtra multis trucidatis, victor evadit.

Nu-

Numine concordi magnis conatibus ambo.
Hæc ubi, dat ſignum, portæ panduntur: & illis
Ceu leo diffracto de carcere, currit apertum
In campum, ſequiturque ducem denſiſſima turba,
Ore omnes igneo, nudo omnes enſe feroces,
Spirantes Martemque animis, & terrificam vim.
Ut procul adventare globum videre ſonori
Fulminis in morem, perculſi protinus hoſtes
Re mira, inſueta, plenaque audacibus auſis,
Attonitis ſtupuere animis: cecidere trementi
Arma manu: nec ſeſe opponere fortibus auſi.
Res nimirum audax, & non præviſa, vel ipſos
Mole ſua fortes exarmat, & opprimit ultrò.
Evictis horrore ſuo, & cedentibus illis
Sponte ſua Gallis aditum, & jam limine fracto
Caſtrorum, antevolat CANTELMUS victor, & aſtu
Magnanimo ſervat ſocios, hoſtique decorum
Eripit è manibus magna cum laude triumphum.

Duce hoſtium attonito, & fatente illud nonniſi à Cantelmo tentari potuiſſe.

Nuncius intereà Franci rectoris ad aures
It ſubitus, trepidaque refert formidine, denſi
CANTELMUS clauſa erumpens vice turbinis arce,
Fregerit ut dextra victor victricia caſtra.
Ille hæc attonitis dum percipit auribus, hæret
Immotus, nec quemquam aggreſſum talia credit.
Mox ſuperata videt dum caſtra, necemque ſuorum
Indoluit, ſimul hæc fatur: Jam credimus, ipſi
Noſtram ingnominiam quando, cædemque videmus.
Aſt unus CANTELMUS erat, qui fortibus armis
Hoc tantum tentaret opus: non æqua ſiniſtri
Vincere, cui Fati arbitria, & meditarier alta
Inſigni virtute datum, laudemque mereri,
Mente acri, magniſque animis, & robore forti.
At quoniam patrui tangit te cura, decoræ
Æmulus, & laudis data per veſtigia Martis
Jam campo graderis pugnator, & ardua niſu

Apoſtrophe ad Reſtainum Cantelmum Vati amiciſſimum.

Ingenti conaris, & adorea plurima cordi eſt,
Huc, (1) CANTELMIADE, propera, præclaraque geſta
Aſpice, quæ valeant magnis accendere flammis
Bellaces animos, & maxima quæque parantes:
Acer enim ſtimulus magnorum facta parentum.
Fors erit, ut tua Partheniæ felicia Muſæ

Bel-

(1) RESTAINUS CANTELMUS Populi Dux, Summus Tormentorum Præfectus.

Bella canant, cantuque almis heroibus æquent.
Intereà Vati bellaces suffice vires,
Instrue & insuetum pugnæ bellator in arma.
Ergo agite, ò Musæ, tanti dum Principis aura
Implet vela favens, per apertum currite campum
Martis, & egregiam pugnando carpite laurum.
Ergo tibi, Prætor, si cum tirone gerendum
Prælia, ne subitum fervens certamen inito.
Sed præstat differre: rudem, insuetumque laborum
Tutius, & plebis fine sanguine frange morando.
Namque ubi defessos æstu, infractosque labore,
Invades, facili poteris devincere pugna.
Sic olim indociles magni juga ferre Quirini,
Samnites Fabius domuit, Gallosque feroces
Submisit: victorque astu Lucullus eodem
Pugnacem fregit Mithridatem, & Pontica signa.
Est etiam fraus illa rei cum laude gerendæ
Opportuna, petas geminis si è partibus hostem.
Qui sentit se fronte peti, tergoque suevit
Turbari facilè, & versis decedere signis.
Id, Mario pugnante, truces didicere Sicambri,
Et magna Cimbri deleti clade, ferique
Theutones: Alpinæ fluxerunt sanguine valles
Barbarico, doctæque suo tot funere gentes
Italiam frustrà tentari viribus, una
Publica cum toti res est, & præsidet unus.
Felicem tamen hanc sortem, quam numine, & acri
Majores virtute sibi peperere, secuti
Non post degeneres illis meruère nepotes.
Tristia quid repeto? sed me ventura levabunt
Fata deùm meliora: vices Fortuna rependet
Mitior. Interdum facili victoria voto
Insequitur, hostes tibi si diversa petantur.
Nam velut ingenti cùm crevit flumine torrens,
Objice si ripæ rupto, violentior una
Parte ruit, magni non est reparare laboris,
Aggere consuto, fluctusque tenere ruentes.
At si multiplici ruptus descendat hiatu,
Difficilis sarcire labor, cursumque morari.
Hàc si fortè tenes, ruit illàc plurimus, & vi
Exsuperat, stragemque satis, campisque minatur.
Non secus armorum pleno cùm flumine in hostem
Irrumpis, diversa petens, nequit ille ruinæ
Impar sufficere, atque omni se opponere parti,
Hanc si forte velit defendere, latius illa

Cum tirone lentiùs agendum, ut facilis victoria: sic Fabius Samnites, Lucullus Ponticos domuit.

Varia è parte petendi hostes, ut faciliùs vincātur: ut Marius cum Cimbris fecit.

Diversis in locis hostes petere, plurimum conducit.

Obruitur victus, ceditque potentibus armis.
Hac nostros olim majores Annibal arte
Aggressus, varias clades, stragesque creavit.
Robur & hac contra Macedùm, regemque Philippum
Quintius edomuit, Græcosque redemit iniquo
Servitio, magna Patrum cum laude; superbos
Quorum hostes domuisse fuit, non æqua petentes:
Et sociùm leges, libertatemque tueri.
At non dissimilis sequitur fraus altera Martis:
Scilicet in patrios cùm fines irruit hostis,
Cuncta igni, ferróque vorans, perdensque rapinis:
Tum Prætor, Curii exemplo dimitte cohortes
Hostilem in terram, quæ flammis omnia vastent,
Atque pares olli strages, & furta reponant.
Italiæ gremio tot victor inhæserat annis,
Excidium Romæ minitans, rebusque Latinis,
Annibal, & spoliis, & nostra clade superbus.
Et neque Consulibus tantis, tantisque repelli
Agminibus poterat: serpens per viscera pestis
Altiùs in fibris radicem fixerat, & jam
Cuncta minabatur fatali evertere casu.
Hæc dum solicita versat cum plebe Senatus,
Et varios diversa tenet sententia Patres,
Confestim media procerum, populique corona
Scipiades surgit, sicque incipit ore profari;
Si quæ dicentis spectatis facta, Quirites,
Haud equidem vestras aures, vestrumque favorem
Promereor: verùm si tot præclara meorum
Aspicere est animus, possem mihi jure, Quirites,
Et vestros, Patres, animos, mentesque mereri.
Quodque magis cupio (patriæ ventura salutis
Spes illo, nec vana quidem, modò Juppiter adsit)
Conciliare fidem dictis: via tutior una
Et brevis, & vestræ patet opportuna saluti:
Africa nimirum vobis, & Punica regna,
Ipsaque Carthago Romana classe petenda.
Nam sic sponte sua nostris è finibus hostis
Discedet, Romamque metu, sociosque levabit.
Ardua & hæc, fateor: verùm via sola saluti est;
Virtutem decet & nostram: Fortissima quando
Et facere, atque pati, Romanum. Dixerat ille:
Et magnam dictis, læto & spem fecerat ore.
Continuò festa plaudentes voce Quirites,
Et Patres unà fremitu assensere secundo.
Decernunt bellum: belli dux ipse creatur.

Sic Annibal Romanos,

Et Quintius Philippum, Grecia servata.

Juvat, cum te domi hostis premit, illum propria in terra petere.

Sic Scipio, habita priùs ad Patres concione fecit, & Annibalem ab Italia victorem in Africam revocavit.

Afri-

Revocatus Annibal ac victus, ac bellum profligatum.

Africa & in votis cunctorum, & Punica regna.
Jam finis belli, jam visus & Annibal omni
Italia infestis Pœnorum excedere signis.
Nec spes falsa fuit, Pœni revocare coacti
Annibalem, victique acie, bellumque peractum est,
Hinc totam belli molem divertere in hostem
Discite, qui patriam cupitis, regnumque tueri.
Vincere prætereà si vis tutissimus hostem,
Qui vallo fidens castris se continet, armis
Finge fugam versis, raptimque abscedere campo,
Bellica vasa tamen nonnulla, & ditia quæque
Hostibus ad prædam, pariterque alimenta relinque.
Nonnullos quoque desertoris imagine mittes,
Teque fugam, celerante metu, cepisse reportent.
His etenim indiciis deceptus, castra relicta
Hostis ut ingreditur sparsim, nullo ordine, & armis
Depositis, spoliisque inhians dispergitur, ipse
Ilicet aggredere, & præda citus opprime onustum,
Hoc olim versuta dolo regina superbum
Vicit Amazonidum tota cùm gente tyrannum
Persarum, & cędem nati tot millibus ulta est.
Quique fugam simulans, armis victricibus, olim
Messagetas domuit, fuit astu victus eodem.
Scilicet incautos interdum perdidit astus,
Qui modò servavit, peperitque ex hoste triumphum.
Hic ego vos moneo: memores mea dicta tenete
Vos cauti sub mente, Duces, fugientibus ultrò
Ne faciles semper, ne credite; non fuga, fraus est.
Qui sua cùm posset tutò deducere, campo
Deseruit, fecisse dolo censendus. Amico,
Sentio, nunc aures mihi numine vellit Apollo:
Ne tu prætereas Lothari præclara trophæa
Admonet, atque novo mentem mihi concitat œstro,
Stat monitis parere Dei, totumque ciere
Parnassum, & cunctas revocare ad carmina Musas.
Post cladem Thracum insignem, socialibus armis
Illatam, rursus reparatis viribus urbem
Barbarus obsidio vallarat: & ærea muros
Machina continuò pulsu perfregerat: & jam
Obsessis erat extremam illatura ruinam.
Egregiam simul ac tali discrimine pubem,
Atque urbem pariter versari accepit amicam,
Accurrit Lotharus, delecto milite, promptam
Conclusis laturus opem. Sed castra teneri
Præsidio ut vidit valido, valloque profundo:

Ficta interdum fuga, vasis ab prædam hosti relictis, victoriam peperit.

Hoc astu victi Persæ ab Amazonum Regina.

Idcircò ultra fugientibus minimè præstanda est fides.

Velle neque his fidentem hoſtem concurrere aperto:
Inſidias meditatur, agi certamine quando,
Vique nequit Fortuna: citis decedere ſignis,
Atque fugam ſimulare ſuos jubet: inque fidelem
Caſtra inimica virum dimittit, cedere qui ſe
Confeſtim trepida captum formidine dicat.

Hoc item aſtu Lotharingiæ Dux Turcas vicit.

Incautus dicto credit dux barbarus, aſtu
Falſus, & è caſtris acies educit, ut hoſtem
Irruat in pavidum, cædatque impunè fugacem.
Vix aciem campo explicuit, cùm Carolus agmen
Verſibus inſtructum paribus jubet ire reflexum:
Et quoniam pugnæ data copia, cominus hoſtem
Fulmine rauciſono, nudoque invadere ferro.
Nec mora, fruſtati voto, ceſſere repentè
Turbati Thraces: poſitiſque inglorius armis,
Ipſe fugam primus dux arripit: almaque ſummo
Deſcendens cœlo nitidis Victoria pennis
Auſtriacos placidè ſuper inclinata recumbit:
Virtuti data dona tuæ, clariſſima regum
Gloria, & Austriadum columen, regnique Latini,
Carole; qui primus docuiſti poſſe ſuperbum
Othomanum vinci, totoque Oriente repelli.
Sed proh Fata Deùm, & numquam ſors certa! repentè

Cujus immaturum obitum Vatem deflet.

Qui te nunc curſu è medio, & felicibus orſis
Eripuit turbo, & tecum ſpes abſtulit omnes?
Quæ varians tantùm rebus Fortuna ſecundis
Invidit, vertitque retrò victricia cœpta?
Te Duce, per populos victor jam Cæſar Eoos
Jura daret, cœptique novi, te Conſule, faſti.
Nam te collegam, populo plaudente, creaſſet,
Et tecum inſignes duxiſſet in urbe triumphos.
Sed quid meſta queror? ſummo jam victor Olympo
Cœleſtes agitas meliori ſorte triumphos.
Et quando majora potes, age ſydere ab alto
Aſpice nos, rebusque favens, precor, annue noſtris:
Et ſi dum terris vitam mortalis agebas,
Austriadum tibi cura fuit, non ultima, cœlo
Dum fidis, tutare domum tibi, divus, amicam.
Sed jam difficiles properata ad bella labores,
Et poſtrema vocant me munera, cùmque doloſo
Milite certandum: levior quæ pugna peractis

Exploratores è caſtris expellendi, & quæ induſtria ad illos dignoſcendos adhibenda ſit.

Haud equidem ducenda. Sagax conaberis ergo,
Explorator uti varius prodatur: & illum
Infami plectes merita pro crimine pœna.
Maxima ſæpè dolis exploratoris iniqui

In-

Interrupta Ducum molimina, versaque retrò
Fortuna, & certi è manibus cecidere triumphi:
Totius & gentis magna cum clade ruina
Unius ob fraudes nonnumquam parta: nocenti
Huic ergo vigil incumbas te opponere pesti.
At verò ut certis occultam agnoscere signis
Contagem valeas, paucis, attende, docebo.
Sedula castrorum servet custodia portas:
Neve ullum sinat elabi, priùs omnia certò
Ni Præfectorum doceat cognomina, & ipsa
Cui scriptus recitet certissima signa cohortis,
Astitis, atque sui nomen: manifesta referre
Quandoquidem quicumque nequit memorata, tibi ille
Explorator erit: castris versutus acerbam
Hoc pepulisse Chares contagem dicitur astu.
Præcipies cunctos etiam ad sua signa reduci,
Et versus explere suos: quicumque vagatur,
Aut superest, suspectus erit. Juvat omnibus unum
Præposuisse virum hospitibus, cui nomina cuncta
Cognita sint juvenum, minioque notata papyro.
Sic intermixtus si qui sit proditor, olli
Notus erit: studioque id cura impensiùs omni,
Cunctaque signa virùm crebrò, & capita omnia cense.
Præterea, caveas, ne creber transfuga ad hostem
Transeat, atque tuæ quæ vires, quæque reportet
Consilia, & noto cùm desertore remissis
Ultrò, citròque scytalis commercia jungat.
Id calles crebrò, & divortia nota viarum
Perlustrans, duce sub fido, custodia quibit
Propulsare malum, scriptasque cavere latebras.
Quin etiam certos homines, Proconsul, habeto,
Qui clam permixti per castra frequentia oberrent:
Et juvenum observent nutus, & singula verba:
Quæ collata dolos poterunt aperire latentes.
Insuper his (præstat cùm fraude occurrere fraudi)
Hos adversa jube per castra errare frequentes;
Ut fraudes hostis retegant, fraudesque tuorum.
Consilii fures, venatoresque dolorum
Ut, Prætor, plures habeas, ne plurimus auro,
Ne parcas: numquam tibi tanti impenditur aurum,
Quàm cùm structa tibi fraus est retegenda, vel ipse
Cùm fraudem instruere incautum meditaris in hostem.
Nonnumquam tanta in bellis momenta retecti
Ferre doli potuere, Duces ut sæpius ipsi,
Atque ipsi interdum mentita veste tyranni

Cavendum, ne plurimi ad hostem transfugiant.

Et qua id cura præstandum sit.

Juvat etiam habere exploratores, qui res hostium vestigent.

Ex-

Reges ipsi interdum exploratum vires hostium profecti.

Exploratum in terram, inimicaque castra profecti.
Rex velut Ægypti perhibetur barbarus olim
Vesperis in fines, Nilo venisse relicto,
Consilia Europæ scrutatum, & robora regum.
Ipsæ & Pannoniæ factis, famaque superbus
Rex, quondam agrestis non dedignatus equiso
Castra sub Othomanum (quis talia crederet?) ipsa
Ordea convectare, per & tentoria circùm
Distrahere, & pretium repetens affarier hostem.
Sic & consilia, & cunctas dignoscere vires,
Castrorumque situm potuit metirier ipsum.
Omnia mox hosti quæ cùm transcriberet, ille
Percussus trepida formidine, castra refigit,
Et palmam insidiis partam concedit, & ausis.

Cum nobilibus fidei suspectis, officiis agendū Marcelli exemplo.

At Proceres inter primos si proditor, illo
Magna ut seditio si post ventura, necato;
Tunc blandis agere officiis, & fingere oportet,
Marcelli ducis exemplo; victricia primus
Agmina qui fregit Pœnorum, & posse ferocem
Annibalem vinci docuit, speque extulit acri
Fortunam Romæ: dignis hic Bactea pœnis
Cùm sine nobilium motu, populique tumultu,
Plectere non posset, simulat pro tempore: & illum
Ad sese jubet acciri, vultuque benigno
Excipit accitum, magnis & laudibus ornat:
Atque fidem pariter multis commendat, & acri
Donat equo, sociumque sibi subsistere castris
Imperat: officiis Marcellus talibus usus
Bactea non solum, verùm sibi quotquot & illo
Nolanos inter cives Pæno ante favebant,
Conciliat. Juvat interdum clementia victrix
In desertorem: quem si punire severo
Supplicio nequeas pro crimine, flecte rebellem
Blanditiis animum, atque oblato munere firma.

Præstat, ut simulati transfugæ plures ad hostes transeant, & cur?

Plurimus, interdum prodest, si perfuga ad hostem
Transeat è castris simulatus, & instruat olli
Callidus insidias, crebròque in prælia ductans
Occultas agat in casses, fraudemque paratam.
Illud & hinc pariter capies, dux, utile; vero
Ut desertori credat non amplius hostis.
Hac vafer in Gallis retinendus usus Amilcar
Est arte, & voto eventus successit. Iniquì
Si desertores multi tua signa relinquant,
Ne desertores illos patiere vocari,
Corpora sed juvenum fortissima, quæ tua jussa

Ex-

Explentes, ficta sub proditione dolosos
Se structuri astus, inimica ad castra tulerunt.
Idque exploratore suo cùm noverit hostis,
Accipiet pro te scelerato à sanguine pœnas.
His super, haud minor adversis constantia rebus,
Quam promptum ducis ingenium confingere fraudes.
Scilicet his valeat tum confirmare suorum
Nutantes animos, sociùmque tenere labantem
Per mentita fidem commenta, instructaque miris
Verba dolis: quæ sæpè cadentem restituunt rem.
Plurima majores præclara exempla dedere
Re super hac, nobis imitanda, reposcerit ipsa
Cùm sors, sivè idem recidens ad prælia casus.
Vejentes mixto dùm jam certamine Tullus
Acrior urget equo, se Albani protinus omnes
Eripiunt pugna, tumulosque feruntur in altos.
Res nova Romulidum turbavit pectora: at ille
Ilicet insigni occurrit promptissimus astu:
Ne, socii, trepidate: meo petiere supremos
Consilio Albani tumulos, quibus, impete facto,
In circumventum descendant ocyus hostem.
Credita res vulgò, & Romanis additus ardor,
Hostibus at timor, & res instaurata repentè est.
Non minus insignis quondam, & felicior astus
Luculli: stabat dum campo instructa patenti
Pugnam acies initura, leves levioribus armis,
Macedones subitò consensu signa relinquunt.
Cominus id Consul tumulo cùm vidit ab alto,
Confestim canere ingenti jubet omnia signum,
Tympanaque, lituosque, & cornua cuncta: citusque
Delecta immittit geminas virtute cohortes,
Quæ desertorum fugientia terga sequantur.
Barbarus, ut pugnæ percepit signa, simulque
Adventare globum prima in certamina vidit;
Macedones contra ruit efferus, atque repentè
Imbre sagittarum denso latè aëra texit.
Ergo ut Macedones se non admittier hoste,
Atque premi post terga vident, meliora capessunt
Consilia; inque hostem, cuneo densante, phalangem
Irrumpunt, deduntque neci, veniamque merentur
Facta per egregia, & palmam virtute relatam.
Cuncta adversa tibi cedent feliciter, acri
Ingenio si, dux, & aheno pectore præstes.
Sed neque si toto descendens numine Phœbus,
In mentem toto pariter se infunderet œstro,

Bel-

Promptum sit Ducis ingenium ad confingendas in adversis causas.

Tulli exemplum.

Et alterum Luculli insigne.

Astus, experientia, & priscorum exemplo, addiscendi.

Bellaces cantu fraudes, & furta valerem
Omnia complecti: seges est amplissima, & ingens
Campus ad insidias hosti cum laude parandas.
Multa dabit quæsita Duci experientia, casus
Per varios belli, perque alternantia Martis
Arbitria: atque acris prænoscere multa sibi mens
Suggeret opportuna: dabunt sed plurima prisci
Annales, quibus acta Ducum descripta priorum.
Idcircò quicumque Ducis cognomina Magni,
Et laudem egregiam, æternumque affectat honorem,
Plurimus assiduè majorum facta parentum
Discat ab antiquis annalibus, atque sub alta
Mente memor, fuerint quæcumque imitanda, reponat.
Nec minor Heroum fortissima facta doceri,
Virtutemque animi insignem, verumque laborem,
Cura duci: vivis expressa coloribus olim
Munere quæ sacro afflati pinxere Poëtæ:
Quatenus illa forent ævo monumenta futuro
Inclyta majorum, stimulique nepotibus acres
Ad similes simili palmas virtute merendas.
Magnus Alexander, lecto sed magnus Homero.
Mœonio quoniam succensus carmine, Achillis
Æmulus evasit: viresque ad fortia, & artes
Heroas belli monstrante accepit ab illo.
Et quamquam multi volventes gesta priorum
Egregii venere duces, tamen omnibus unus
Præ multa Lucullus erit cum laude ferendus.
Qui non in varia Martis pugnator arena,
Nec fremitus inter lituorum, ardentiaque arma,
Sed mutas inter tabulas, & carmina Vatum,
Martia, tranquilla veluti pacatus in umbra,
Felici tantum successu prælia doctus;
Ut regem indomitum, populisque, auroque potentem,
Versatumque dolis bellorum, & fortibus armis,
Ipse sua insigni Mitridatem fregerit arte.
Solertes igitur monumenta ediscite prisca,
Magnanimi Heroes, devotaque pectora laudi,
Difficile, & durum Martis qui curritis æquor.
Vos, & Partheniæ quæ dant præcepta Camœnæ,
Ex adytis Cyrrhæ sacris, Pindique recessu,
Bellorum super arte, animis versate frequentes:
Hac iter ad laudes, immortalesque triumphos.

Idcircò Duces annales assidui evolvant.

Alexander crebro Homerum lectitabat.

Lucullus Romanas historias, ex quibus umbratili velut ex pugna Magnus Dux evasit.

BEL-



BELLICORUM
LIBER DECIMUSTERTIUS.

HACTENUS extento collatis æquore signis,
Certatum cum Thrace; subit nunc altera duri
Pars operis, vallo præcinctas scilicet alto
Expugnare, quibus jam victus clauditur, arces.
Ergo age, quæ propriæ capiendis urbibus artes.
Quàm variæ, & docti solertia quanta Magistri
Molibus objectis, operisque irrumpere muros,
Dicamus. Cœpti pariter hanc aspice partem,
Et mecum obsessas victor quate fulmine turres,
Magnus AQUINIADIS gentis decor, & novus almæ
Euboicæ Sirenis honos, atque inclyta Martis,
Gloria: quæque tuo veniet de munere Vati,
Dùm cantu exercet magnos heroas in armis,
Serpere victricem da per tua tempora laurum.
Teque novo AUSTRIACUS dum Rex dignatur honore,
Inter & Hispanæ Magnates excipit aulæ,
Tu pariter decus adde novum, Vatique, operique.

Apostrophe ad Mæcenatem.

Principiò vallata priùs quàm mœnia cingas,
Illa tibi pensanda, situs si scilicet arcis,
Et si præsidia, atque ea sint munimina muri,
Ut tandem validis cessura assultibus, ante
Quàm regno è toto collectis viribus, hostis
Auxilio properet, teque ipso in fine laborum
Defessum, pube attrita morboque, fameque
Opprimat, aut saltem cogat desistere ab ausis.
Insuper, annonæ si suffectura paratæ
Copia sit genti, Martisque horrenda supellex.

Maturè pensandum antequam obsidione urbem cingamus, si capienda tandem sit.

Et insuper si annona, & apparatus suffectura, si opportuna anni tempestas & quibus de caussis.

Et si è vicinis via tuta ad castra patescat
Urbibus, ut pueri possint vectare recentes
Suppetias, & quæque satis prædantur ab arvis.
Nec minus, obsidio fuerit si commoda cœli
Temperies, annique vices variantis: iniquus
Nam plures aër, quam barbarus abstulit ensis.
Non & subsidia, aut tantùm juvere profundæ
Obsessos fossæ, lunataque cornua, quantùm
Dispersi in vulgus morbi, febresque malignæ.
Et quoniam (juvat hæc crebrò meminisse) sinistra
Unius interdum obsidii Fortuna peracti,
Magnarum subito casu, variantibus astris,
Interrupit iter rerum, famæque secundæ,
Qua sola gentes nonnunquam, & regna subacta:
Idcircò vos cuncta priùs perpendite cauti,
Felici eventu quæ conductura putantur,
Hostiles quàm castra urbes metata coronent.

His animadversis, sequitur labor arduus, arcem
Expugnare: dolos primos adhibere ministros

Adhibendi astus & variis excursibus fallendi sunt hostes.

Ne pudeat: quando simulata tutius arte
Vincitur: idcircò vario tege plurimus astu
Consilium: turres, quas obsessurus, acuti
Sit licet ingenii, nunquam prænoverit hostis.
Hàc iter, atque illac te carpere velle, refixis
Sæpius & finges diversùm excurrere castris:
Ut videare urbes nunc has, nunc tendere ad illas.
Ut vagus ignaro, dubioque illuseris hosti,
Quam non prævidit cingendam, & milite raro
Muniit, actutum signis, atque agmine flexo,
Aggredere, atque suo deceptum errore teneto.
At lento primùm dum gressu castra moventur,
Nonnullas equitum turmas, ductore sagaci,
Præmittes: ferro, & flammis quæ mœnia circùm

Præmittendi Equites, qui circum omnia vastent, terroremque afferant inimicis.

Evertant, quæcumque hosti prodesse videntur,
At nocitura tibi: nam quæ conducere possunt,
Defendes igni, & ferro: semperque caveto,
Ne sacras violes ædes, & templa Deorum.
Illa etenim servata juvant, excisa nocebunt.
Si tamen antiquas præstat subvertere sedes,
Sacratos primùm lapides, & lipsana Divùm
Præcipe solemni pompa, sacroque ministris

Templa tamen servanda.

Transferri de more aliò, & meliora voveto.
Sic illi faciles aderunt, armisque favebunt.

Hæc præcursores ut perfecere, Magister
Delecto juvenum cœtu stipatus, apertum

In campum veniet, latè loca singula, & arcem
Visurus, densis quam circumplectier armis
Apparat: & fossas, & propugnacula, & altam
Aggeris objecti molem, prætentaque muris
Castella observet, cum forcipibus dentatis.

Dux progressus urbem, & ejus munimenta observet.

His jam perspectis, certa metanda figura
Castra tibi, & varia miles statione locandus.
Irriguos circa fontes, & curva secundùm
Flumina bellaces equitum considere turmas
Præcipe, & in pictis herboso gramine campis.
At pedites clivos, & apricos visere colles,
Commoda ubi sedes, loca tuta, patetque benignus
Aër, subjectique patent clementius agri.
Quique magis dorso consurgit, & imminet urbi,
Opportunus erit, primùmque tenendus: at imæ
Non placeant valles, non confraga: fraudibus illa
Objecta, & sedes non apta imponitur inter
Præruptos apices, & per devexa maligna.
Ne tamen hæc fraudi pateant, solertiòr arctas
Delectorum equitum servet custodia fauces.

Castra qua ratione, & loco metanda sint.

Sed quæ metandi ratio, quæ certa, docebo,
Intervalla: tenet centum quæ corpora turma
Belligerorum equitum, biscentum postulat agri
In latus emensi, sed prima in fronte notatos
Septuaginta pedes: spatiis quibus alta ministri
Distincta in quatuor figent tentoria versus.
In mediis stabulentur equi, juvenesque tenebunt
Ultima: lata octo, bis senos singula longa.
Quadrupedumque inter sedes, sedesque virorum
Ampla pedes octo sit semita: fronte sub ipsa
Rectoris statio figenda amplissima; & illam,
Atque inter primo præfixas ordine scenas,
Vicenos latescat iter: post tergora lixæ
Extento varias attollant fune tabernas.
Non secus & reliquæ ponent tentoria turmæ:
Et passus quatuor sese inter singula distent.

Traditur ars, qua metari castra oporteat, & quæ spatia servanda.

At si centuriæ statio ponenda pedestri,
Quinquaginta pedes, & sex frons latior arvi
Dimensi pateat: biscentum excurrat utrumque
Hàc, illac latus: & versu divisa quaterno
Milite pro gemino facies tentoria quadra.
Octonosque pedes latescat semita, & illa.
Ipse tabernaclum primi sub fronte locabit
Centurio, sociusque olli vicina tenebit:
Ultima lixarum capiant ignobile vulgus.

Cuncta ubi multiplici circùm statione reposta
Mœnia gens (rauci sit & extra fulminis ictum
Lecta tibi sedes) docto vallanda magistro
Jam sunt castra, suis & per discrimina certa
Turriculis firmanda; timor si certus ab Euro
Venturum obsessis Thracem succurrere: & altis
Aggeribus circùm, & fossa cingenda profunda.
Si secus, haud tantus labor impendendus: at ipsum
Qua potiore struas vallum ratione, modoque,
Dicamus. Niveo Geometres cortice primùm
Urbem omnem, & muros, & propugnacula plumbo,
Vel minio inscribat: quæque hostica mœnia propter
Circumstant, campi, & valles, collesque supini,
Ædesque, & mediis labentia flumina villis.
Ut descripta locis sua per discrimina certis
Omnia sunt, vallum castrorum signet eodem,
Turriculis firmet rivos, & pontibus illos
Conjungat, longo quos nexis ordine cymbis
Componat: castella struat, quibus æra locentur,
Sulphuraque, rigidæque pilæ, igniferique lebetes.

Urbis ut exemplar, vallique, & cuncta locorum
Intervalla, suis mensuris scripta papyro,
Ipse Duci spectanda ferat, doceatque magister,
Qui situs, & spatia, & valli quæ forma locati.
Hic ego sed vellem, (sic res felicior iret)
Arcis ut hostilis tibi plurima semper imago,
Dux, foret in promptu, certò sic cernere posses
Omnia: nimirùm qua nexis fascibus agger
Vallaris ducendus erit, quà turris, & urbis
Quæ munita minus pars perrumpenda: supremus
Qui primùm armato firmandus milite collis:
Excubet & dubia sub qua custodia valle.

Ast operi ut Tecton faciendo incumbat, & acres
Ad data, jam tempus, fossores jussa reposcat.
Ipse igitur, postquam Patres exempla probarunt,
Figat humi vallos loca per signata, reductum
Perque illos funem extendat, pariterque notatis
Turriculas struat in spatiis. Cumque omnia campo
Descripsit, depicta velut jam cortice, durus
Tùm palis fossor, pannisque ligonibus altam
Excavet assiduè fossam: cui plurimus ipse
Incumbat miles: quin & versare refossam
Laurigeris terram manibus non Maximus ipse
Dictator, Patres non dedignentur & ipsi.
Crescit amor operis: vulgi vis æmula crescit,

Modus traditur vallandi castra.

Et primum in papyro singula delineanda sunt.

Urbis, & castrorum semper imago præ oculis Duci habenda est.

Modus describitur, vallandi urbem juxta exemplar jam positum. Operi omnes incumbant, vel & ipsi Duces.

In-

Inclyta dùm primi præbent exempla magiſtri.
Effoſſo è ſabulo deducitur agger: & altus
Quinque pedes extra, ſex intùs, largus & octo:
Interiore gradus ſub calce adnectitur: illum
Sclopifer aſcendet, glandem miſſurus in hoſtem.
Firmior utque agger conſiſtat, vimine torto,
Structa vel arboreo prætexes mœnia faſce.
Ac veluti obliquo ductu præcingimus arces,
Et rectas facies, & propugnacula acuta,
Interdùm, & portæ parmam prætendimus, ipſa
Sic & caſtrorum moles facienda: profundæ
Quam propter, lato ducantur tramite foſſæ.
Aſt obvallatis ſi plurima turribus inſint
Præſidia, ut crebris poſſint inſultibus ipſas
In juvenum ſedes, & aperta irrumpere caſtra,
Altera vallaris ducenda eſt linea, contrà
Quæ muros objecta, ruentes arceat hoſtes.

Duplex agger, ſeu vallaris linea ducenda.

Ergo age, ſunt gemino poſtquam circundata vallo
Caſtra, nec inſultus utraque ex parte timendi,
Tempus ut accingas operi te, Prætor, agendo.
Concilio tamen in medio priùs ipſe require,
Expugnanda fame ſi ſint, aut mœnia ferro.
Nam licet hoc ævo non arx, validiſſima quamquam,
Quæ poſſit ſecura diu conſiſtere: muros,
Muniti quamvis ſint arte, ſituque, nocendo
Ingenioſa nimis hominum ſolertia rumpit.
Attamen interdùm prærupto in vertice turres
Impoſitæ, cinctæque mari, non fulmine aheno,
Non & vi facili ſuperantur; tutius illas
Idcircò obſidione, fameque domabis acuta.
Ergò omnem impendes operam, te opponere victu:
Nimirùm obſeſſas ne quid vectetur ad urbes.
Aſt exercitibus magnis ſi victor aperto,
Hoſte procul pulſo, dominaris in æquore, turres
Has largo obſidio potius, nulloque labore,
Expugnabis, hyems rigido dùm plurima nimbo
Contriſtat cœlum, & victum negat arida tellus.
Urbes, quidquid adhùc populatis reſtat in arvis
Hoſtiles circùm, ferro vaſtetur, & igni.
Atque vias omnes, quæ inimica ad mœnia ducunt,
Et cæcos aditus, & latos occupet amnes
Plurimus in telis ſtipatus miles: & acres
Circùm excurſores latè loca ſingula curſent,
Ne quà ſubſidia occluſas mittantur ad arces.
Sic Thrax amiſit Regalem barbarus Albam,

Videndum mox an fame, an vero vi urbs ſit expugnanda.

Si fame, curandum ne quid annonæ in arcem inferatur.

Facilè hyeme larga obſidione expugnari arces poſſunt.

Sic

Sic & inacceſſis circùm præcincta lacunis,
Dedita Cæſareis Caniſia, & invia ſtagno
Ingenti circùm Sigethia, dedita colle
Agria in abrupto, & prætentis ardua muris.
Aſt age, tormentis ſi viſum evertere turres,
Quæ tibi principio pars oppugnanda, teneto.
Saxeus obſeſſæ minus eſt qui firmior agger,
Scilicet obliquus quoniam, vel acutior exit,
Nec firmatus humo, nec tectus ab objice parmæ,
Ille tibi tentandus erit. Cognoſcere primùm
Id Tecton poterit; forti ſi milite ſeptus,
Urbis ad hoſtilis ſpeculatum mœnia pergat,
Intentoque animo proſpectet ſingula: quæque
Tuta minus ſunt viſa, petat. Samniticus olim
Ceu lupus, ingenti ſtimulo irritatus edendi,
Per caulas agilis decurrit, & omnia luſtrat:
Et ſi quà ſepem minus altam proſpicit, illàc
Cominus irrumpit, vi facta, hædisque potitur.
At priùs obliquo repetas quàm mœnia ductu,
Inſtrumenta tibi, quæ, Tecton, ante paranda,
Præmoneo. Si molle ſolum, ſit plurima pala,
Prælongique ſimul vectes, curvique ligones.
At ſi dura ſilex, contexto è vimine ciſtæ,
Suffertique una ſacci, faſceſque parentur.
Lignea præterea tibi ſint farcimina, arena
Et dolia ingeſta, corbeſque, & mobile ſeptum,
Cui Batavus primùm inventor cognomina fecit.
His, terræ varia pro conditione, repoſtis,
Tempus opus tentare: at non quæ patribus olim
Machina, nunc eadem ſubigendis arcibus; idem
Non modus idcircò, non ars manet: altera major,
Et præclara petunt doctos inventa magiſtros.
Ilicet in muros protecti corpora ſcuto,
Denſo irrumpebant cuneo, propiùſque ferebant
Tormenta, & ſubter denſa teſtudine tuti
Ariete ferrato, vel prævalidis baliſtis,
Mœnia vertebant iterato exilia pulſu.
Turribus interdum quernis, multoque rotarum
Ordine transvectis, inſtabant cominus urbi,
Plurima deque Phalis contorta phalarica, cives
Spiculaque, radiique, & grandia ſaxa necabant.
Quin, & demiſſo nonnunquam ponte, ſuprema
E turri in clauſas intrabant deſuper arces.
Nunc quoniam ſolidos defendunt ignea muros
Tormenta, & flammas, & ferrea fulmina vibrant;

Quæ pars urbis priùs oppugnanda.

Quæ inſtrumenta paranda ad expugnationem.

Quibus machinis veteres arces expugnabant.

Quæ-

Quæque Phalas licet ingentes, licet ærea ſcuta,
Diſtringunt violenta, viroſque ad ſidera jactant.
Altera quapropter hac tempeſtate tenenda,
Et diverſa quidem nobis via: tramite tecto
Præſtat ad hoſtiles paulatim accedere turres,
Pulſibus & crates, mollemque opponere arenam.
Sic etenim, cedente ſolo, cadit irritus æris
Ictus fulminei: retrò diſcrimine parvo
Vimineæ ſepis, ſtat foſſor, & aggeris altum
Securus molitur opus, ſeque urget ad arcem.

Præſenti ævo novis tormentis repertis, altera tenenda eſt via.

Et primùm ſit cura locum captare, ſtruendi
Aggeris incipiant quo duci exordia: jactum
Sit pyrobaliſtæ ſitus extra; ut tuta juventus
Ocyus inſiſtat cœpto, & ſine ſanguine: ahena
Si majora operi poterunt exploſa nocere,
Tunc pubes longè incipiat majoris ab ictu
Tormenti, vallum caſtrenſe aperire: juvabit
Ordiri pariter, quà moles, quàve ruinæ,
Aut ſepes: his namque tegit ſua corpora miles,
Ut ſedes delecta, operis primordia ponant
Foſſores furva ſub nocte (accommoda vallo
Ducendo ſemper nox eſt; nàm cuncta tenebris
Tunc obducta latent, ictuſque incertus oberrat)
In genua acclines foſſam deducere ductu
Obliquo incipiant (ſic rauco emiſſa metallo
Fulmina vitabunt) deſcendat quinque ſub imum,
Bis denos ſit larga pedes: quæque inde ligone
Eggeritur tellus, congeſta crepidine in ipſa
Anteriore, citò vallum factura, locetur.
Sic vario acceſſus dùm ſerpit itu, redituque,
Paulatim veniet præcincta ad mœnia: & unà
Succedet pubes vallare ſub aggere tecta.
At tellus ſi dura, graves longo ordine corbes,
Seù dolia, aut denſo ſuffertæ pulvere telæ,
Extendantur: erit mox, jam calonibus agger
Impoſitus, circùm aggeſta firmandus arena.

Ex quo loco, & qua arte obſidionales acceſſus ducendi, quo ad mœnia arcis perventum ſit.

Per noctem vallo dùm foſſor plurimus inſtat,
Illum lecta cohors juxtà conſiſtat equorum,
Defenſura, manus ſi fors ruat hoſtica ab urbe,
Latè opus, occiſis, interruptura, miniſtris.

At minor, ut labor, & citiùs vallaris ad arcem
Agger eat, crebrò nè ſerpat tramite: rectus
Attamen ille nimis fac ne procurrat; acuto
Ne pateant igni juvenes. Arcere ruentes
E vallo ut valeas hoſtes, diſcrimine certo

Ut citiùs opus perficiatur, acceſſus non ſint nimis obliqui.

Tur-

Turriculæ per intervalla faciendæ,

Turriculas facies texto de vimine quadras:
Arbuteo & fepto, & foffa præcinge cavata,
Vel crate: & tanto diftent difcrimine, quantùm
Sat vifum, ut fibi opem poffint per mutua ferre
Auxilia. At propior quia mœnibus imminet agger;
Suggeftu actutum ftructo, tormenta locemus.

Quotuplex fit pulforia machina.

Eft autem triplex pulforia (1) machina: prima
Alta ftat in tumulis, & munimenta fupernè
Fulminat: hæc fimplex cognomine dicta, fub ipfa
Aptatur tellure humilis: Depreffior imam
Tertia fubter humum ftruitur: noftrique Sepultam
Idcircò vocitant: infultus utraque frænat
Hoftis, & æra rotis deturbat, & aggere ab alto
Murorum expellit juvenes, atque omnia nudat.
Si fimplex facienda tibi, communior ufus
Cujus in obfidio, biscentum affibus arce
Obfeffa procul, & ducti poft tergora valli,
Turriculam propter ftatues: pila torta metallo

Et qua arte conftruenda.

Aggeris objecti loricam rumpet, & æra
Hoftica diffringet: fi longiùs illa repofta,
Tum globus immenfo volitans per inania tractu;
Impete confumpto, deperdet fulmineam vim.
Utque loco certo data machina, protinus illùc
Clàm, tacitique ferant foffores vimina texta,
Et quidquid vifum eft operis caftrenfibus aptum.
Utque hoftem lateant calones finge tumultum
Parte alia, vertat quò fe citus hoftis: & illùc
Explodat tormenta, affultum & tentet inanem.
Intereà pueris fabricatur machina, tantùm
Longa, fibi quantùm venientia plauftra requirunt.
Viginti, binosque pedes fibi fingula pofcunt,
Armamenta: decem palmos latefcat hiatus
Per quem flammivomum tonat æs, murumque laceffit.
Et magis ille extra pateat, minus intus; in arcem
Ut facile hàc, illac verfetur machina, & ipfe
Tutior adverfo maneat librator ab ictu.
Quadrato poftquàm præcincta eft aggere, in illam
Suffultus vectentur equis: ponantur & ipfa
Oftiola ut contra profpectent ora metalli.
Non fecus in tumulis, & aprico machina colle
Inftruitur: quæ tuta loco, minus indiget arte.
Sic & fuggeftus facies tellure fepultos:

Æra-

(1) *Batteria* Italis audit.

Æraque diſtabunt ſeſe inter paſſibus jiſdem.
Aſt agger tormenta tegens, erit ipſe refoſſi
Finitor campi. Geminæ ſi forte locandæ
Machinæ in adverſæ duo propugnacula turris,
Tùm foſſa acceſſus inter caſtrenſis agenda,
Mutua quæ pubis commercia jungat: & illa
Eſt etiam turri firmanda, aut forcipe acuta.
Nàm ſic ſclopiferi poterunt ſibi ferre viciſſim
Auxilia, è clauſis cùm mœnibus emicat hoſtis.

Si plures faciendæ, agger eas conjungat, ut ſe mutuò tueantur.

Ergo ubi tormentis munita eſt machina, muros
Verberet aſſiduè, & violento diruat ictu.
Suggeſtu in medio pariter mortaria pones
Ignea: protuſi quibus in ſublime ferantur
Pyroboli, obſeſſis tempeſtas urbibus horrida.
Hoc pyrio cives nimbo, ardentique procella,
Oppreſſi, fractique animo cogentur, ut arcem,
Et ſeſe arbitrio tradant victoris. At ictu
Intereà aſſiduo dùm detonat ignis, & ore
Vulcanum toto revomunt, ceu Vesbius, æra,
Stat prætenturas, ſi fors præcingitur illis
Arx inimica, manu delecta invadere; muros
Ut facilè, his primùm captis, perrumpere poſſis:
Nàm ſecus incaſſum conaberis. At priùs illas
Quo ſubito ſuperare queas conamine, dicam.

Suggeſtro jam inſtructo, & tormentis in eo locatis muri diruendi.

Intereà prætenturæ ſunt invadendæ, quo faciliùs ſuperari mœnia poſſint.

In cuneata tonent alto de pegmate ahena
Propugnacla, globoque intus latus undique quaſſent;
Illo ut diffracto, cædes non una feratur.
Hæc inter, lecti juvenes, quibus ardua rerum
Prætentare datum, ſuccincti pectora lævi
Lorica, galeaque caput, dextramque coruſco
Armati ferro: quos centum pone ſequantur
Qui bolides jaciant in ſaxea ſepta: ſed ante
Incedant ſcalas alii poſt terga ferentes.
In foſſam hi primi inſiliant, gradibusque repentè
Admotis muro, ſcandant: nudoque feroces
Enſe petant, auſi quotquot ſe opponere: mala
Exarſura alii ſub vallum ignea jactent;
Donec ſigna ferant victricia. Milite parma
Plurima ſi turri, aut portæ prætenta, tenetur:
Quique ferox Vulcanum ipſum, Martemque laceſſat,
Tunc opere inſtructo pubes frangenda ſuperba.
Eſt igitur recto vallaris linea ductu
In munimentum celeri ducenda miniſtro.
Ut verò valeat ſe à tempeſtate tueri
Grandinis ignivomæ, tunicas vallantibus aptas,

Qui, & quibus armis armati juvenes lunata munimenta aggredi debent.

Quod ſi plurimo præſidio teneantur, ducendus priùs agger, ut tutiùs invadant.

Objectam aut cratem lateri prætendat, & ori.
Ut tali acceſſu fuerit via tecta ſubacta,
Inque ipſam ventum eſt foſſam, Vulcania ſubter
Mœnia continuò tibi machina ritè paretur.
Atque ubi ſuccenſus murum in ſublime cuniclus
Projecit, per ſaxa, patet quà largus hiatus,
Exanimes tonitru, & correptos ignibus hoſtes
Cominus aggredere, & cornu potiere revulſo.

Cavendum, ne capto munimento, in latentes ſubter ignes milites incidant.

At tibi victori cùm ceſſit parma, periclum
Arcendum eſt illud, cæco nè fortè camino
(Struxit in extremos quem caſus providus hoſtis)
Flammeus in cœlum erumpens Vulcanus apertum
Horrendam pubi ſtragem ſubito igne reponat.
Idcircò, ut magnis inimicus viribus alta
Cornua propugnavit, agens; cædemque, necemque,
Deſerit extemplò, ſimulatque recedere, cautus
Ne credas: latet aſtus: amat te ferre paratas
Inſidias inter, celerique abſumere flamma.
Ergò ubi jam cornu fueris lunare potitus,
Ne lætus dulci palma reſequare fugacem,
Ni conſternatus ſubitò terrore refugit.
Sed tantùm primo ſubſiſte in limine, quantùm
Sat cæcæ ut pateant, ſuccenſo fomite, fraudes.

Aggere muniendi milites in capto munimento. Et ſi paratæ ab igne fraudes, effoſſa terra retegantur.

Faſcibus aggeſtis, acie tollatur acuta
Intereà vallus, quo miles, utrimque tegatur.
Ignea nec pueri ceſſent immittere chytra;
Ut tota tandem convulſa è parte coronæ
Decedant hoſtes: ſimul ipſi cuſpide in illa
(Qui locus occulto ſolet eſſe immunis ab igne)
Sclopiferi actutum multo ſe vimine certent
Obſepire, ſimulque tubis explodere glandes.
At ſi compertum ſulphur tellure latere,
Munimenta tenent qui primi, protinus illud
Effoſſo retegant ſabulo, vitentque ruinam.
At ſi errore ſuo falſus, vel ſortis iniquæ
Arbitrio, fraudem miles non vidit: & illum
Abripuit cita flamma, ferens tumulumque, necemque:
Præcipe tùm lectos juvenes, qui prima ſequuntur
Signa, ſub abruptum ſuccedere, & enſe coruſco,
Fiſtula, & adverſos arcere; atque aggere facto,
Tuta loco capta ſtatio figatur in arce.

Prævidendum etiam Duci, ne hoſtis ab arce, improviſus erumpens; opus interturbet, & juvenes trucidat.

Verùm hæc difficili poſtquàm ſuperata labore,
Altera ſubſequitur, nec erit minus ardua cura:
Nempè erumpentem ſubitis inſultibus hoſtem
Frenare, inſtructiſque operis defendere flammam.

Ac-

Accessus igitur vallares undique propter,
Inque locis, imposta quibus stat machina, & urbem
Fulminat, egregiæ solers custodia pubis
Excubet: occursans quæ fortibus ilicet ausis
Accipiat venientem inimicum, & funere plectat.
Interea ut signum custos dedit ære, cohortes
Sors quibus auxilium sociis deferre, citato
Approperent cursu, atque instaurent prælia fortes:
Avertantque citi violenta incendia vallo.
Et quoniam (juvat hæc olim meminisse) sinister
Unius interdum insultus successus ademit
Spes omnes subito casu, indecoresque coegit
Prætores operi tandem desistere cœpto:
Idcircò magno semper conabere nisu,
Impete ab hostili vallum, pubemque tueri.
Id verò ut facilè obtineas, consistere in armis
Præcipe continuò, vigilemque sub aggere turmam,
Inque ipsos oculos, animosque intendere muros,
Si fortè obsessi veniant: quæ maxima habenda est
Cura tibi, juvenum cùm magno occlusa tenentur
Oppida præsidio, qui crebrò erumpere aperto,
Pluribus & valeant evertere viribus omnia.

Idque seriò cavendum: nam unius eruptionis felix exitus obsidentium res omnes evertit.

Insuper his, quoniam per amica silentia Lunæ
Vigilia mos est prima, seù vertice Olympi
Cùm paribus libratur equis Sol altus, ab arce
Tentari insultus, his ergò pervigil horis
Queis valli commissa, viri, custodia, cursent.
Ast ubi nequidquam tantis aggressibus hostis
Obstitit incœpto, & fossæ confinia ventum est,
Protinus (1) acclini figenda crepidine sedes.
Illius exterior mox & lorica, nocente
(2) Porticus à plumbo quà circum tuta recursat
Confestim magno nisu superanda. Sed artem
Accipe: labra tenet gens ut declivia, rectus
Extendatur (3) obex; sese fossore tegente
Subter crate, rotis sensim versantibus acta.
Hinc ut promotus, structusque in margine clivi
Agger erit: latere hac illàc consurgat utroque,
Inque crucem sepes vallaris cespite facta.
Miles ubi tectus stationem figat: & illic

Prætentoris superatis in crepidine fossæ locanda sedes: & mox tecta via superanda.

(1) *La spianata*, dicunt Itali. (2) *La strada coverta della contrascarpa*, iisdem audit.
(3) *Trinciera*, ò *traversa*.

Si locus, & celeri patitur res facta labore,
Turriculam statues: ex qua pulsoria muros
Machina, & obsessos iterato fulmine pulset.

Qui modus superandæ loricæ traditur.

Atque hæc eventu cum successere secundo,
Loricata tibi tentanda est semita, pubi
Si fidis, longumque piget consumere tempus.
Ut subitò assultu mavis declivia fossæ
Exsuperare, virûm tibi corpora delige lecta.
Qui cuncti telis brevioribus ilicet ut se
Munivere, citi, & fossores fascibus adstant:
Cùmque alii fœtis audaces ignibus ollis,
Ipse & scissuram ramalia septa securim
Carpentarius acer agit, tùm luce corusca
Da signum pugnæ: conferti protinus omnes
Invadant hostem, ferroque, & sulphure edaci
Et loricato vi pellant tramite: vallum
Discindant, flammis dent cuncta: & cominus ipsi
Fossores certent pubem palare, ligone
Effossa actutum tellure, & fasce reposto.

Lorica capta in fossam irrumpendum.

Ut jàm loricam fera post certamina fossæ
Victor habes, statio juvenum, mora nulla, locanda.
Altus & agger ea de parte attollitur, ala
E tecta adversæ stridet quà machina, turris.
Tutius ut miles se contegat. Ast opus ingens
Jàm properè insequitur, fossam superare profundam.
Pergamus, quocumque vocant Mavortia cœpta,
Et trahit effulgens nitidæ spes æmula palmæ.

Quæ pars urbis primùm petenda traditur, quo facilius res cedat.

At priùs obsessæ dicam, quæ pars erit urbis
Invadenda, virûm minor ut jactura sequatur.
Inter protentam duo propugnacula muri
Ne faciem oppugnes; quoniam manifesta juventæ,
Magnaque nex veniet: nam sic latus inter utrumque
Præcinctæ turris gens interposta, nocentem
Hinc, indè accipiet glandem, nec pectore tuta est.
Nec propugnacli frontem tentabis: utroque
Adverso frons est lateri subjecta, patetque
Ictibus adversis, quamquam longissima distet.
Non alam; rapido petitur nàm plurima plumbo.
Idcircò facies, qua saxeus eminet agger,

Scilicet propugnaculi facies.

Sola tibi est igni, ferroque petenda: retorto
Nàm parte ex una tantùm vexatur ab ære.
Illius & partem, quæ in frontem vergit acutam,
Aggrediere: minus tormentis illa resistit:
Et lateri adverso minus est obnoxia pubes.

His animadversis, instat descensus in altam

Ten-

Tentandus fossam: quæ si sit flumine sicca,
Hac poteris multa sinè cæde potirier arte.
Et primùm, ut juvenes descendant tutius, ipso
In loricato statues tormenta recessu,
Queis munimenti facies adversa petatur.
Sic etiam assiduo pulsu reseratur hiatus:
Ut labor hinc facilis fossoribus ire cavatum,
Effossa tellure, focum, quo Vesta locetur.
Exterior mox vecte tibi lorica redunco
Disrumpenda; solumque illinc murale refossum
Accumulet juxta calo; descensus ab alto,
Nàm sic in fossam per & æqua, & mollia fiet.
At verò, ut primùm descenderis, agger in illa
Transversus struitur: faciemque excurrat in ipsam,
Quæ petitur muri, pedibus sex latus, & altus
Quattuor: ille suo sic, obteget objice pubem.
Ast ea cura tibi major succedit, ab igne
Desuper injecto juvenes defendere: propter
Aggeris erecti molem tibi vinea fiet,
Aut pluteus, devexa quibus sint tecta, rigentis
Inque innexa vicem ferri quæ plurima lamna
Vestiat, aut cespes, vel quidquid posse furenti
Est visum flammæ, piceoque obsistere nimbo.
Verùm majus opus, replent si flumina fossam,
Surget: at evincat quo tandem industria nisu,
Expediam paucis: Stagnat si Nais, aperto,
Vicinum in campum tibi deducenda, canali.
Ast ut constructo de tramite profluat, ipso
Sit ductus valli fundo declivior: agger
Inde, ut præscriptum, puteusque imponitur olli.
At si terra luto sit lubrica, tùm tibi longo
Reticulo faciendus obex, si flumine vivo
Mœnia torrentes præterlabantur, aquosum
Tunc opera pueros multa divertere rivum,
Præcipites, aliò ut perfosso defluat alveo.
Et quanquam videatur opus conatibus impar:
Est tamen eventu facilis, si plurimus olli
Incumbat fossor, nec dedignentur honestum
Egregii cum pube duces properare laborem.
Nàm nil difficile, & non exsuperabile, quando
Unanimi veniunt consensu ad munia dextræ.
Ast age, per latos fontem diffundere campos
Arduum, & è fundo semper multa emicet unda:
Tum pubem in sylvas, & lustra horrentia mitte:
Quæ valida truncos, & robora dura securi

Plu-

Qua arte sicca fossa potiri facilè possis.

Et qua arte ab emisso desuper igni tueantur.

Ars præscribitur, qua fossa evacuanda, ut facilè transmittatur.

Quid cum nova semper emicat aqua?

Plurima succidat: crebro gemat arbutus ictu;
Fagique, plataníque, altæque in móntibus orni.
Mox cæsos truncos; prædamque in castra virentem,
Vimineosque ferat fasces, & cespite ab imo
Abreptas sepes, ramosque, & quidquid hiantem
Demissum in fossam, poterit replere lacunam.
Cunctaque sub vallum quæ cùm devecta, profundis
Immittantur aquis: longo quibus aggere facto,
Ponte velut strato, ruat alta in mœnia pubes.
Intereà rivum dùm pertransire juventus
Conatur, tecto stationem in tramite miles
Qui tenet, adversùm plumbatis fulminet hostem,
Assiduè; & laceros non cessent ignea muros
Diruere, & juvenes è vallo arcere metalla.
At rate si properent obsessi rumpere pontem,
Fragmine multiplici fartum, plumboque minuto;
Majus in hostiles tormentum explode carinas.
Ipse cavis etiam lembis invectus in hostem
Irrumpes, totoque ferox prohibebis ab alveo.
At vero è summis immissa incendia muris
Vitabis, si strata super sit vinea ponte,
Quæ flammis superesse queat, picibusque liquatis.

Dum opus peragitur, continuò tormentis hostis, ne se opponat, petendus est.

Nulla quibus juvenum cura est, gaudentque feroces
Sanguine: quæque suis possunt obsistere cœptis,
Indociles perferre moras; ubi tuta subacta
Porticus, in fossam subitò descendere pubem
Præcipiunt, magnisque animis succedere muro.
Utque glandifero valeat latus imbre tueri,
Desuper & caput injectis defendere ab ollis,
Vallari obducunt tunica, vel ductile crate.
Utque hæ Vulcano possint superesse rapaci,
Candenti, tenuique obtexunt ultima ferro.
Verùm hos promeritæ juventutis funere ovantes,
Non ego Prætores ornarim laudibus: ipsi
Nec poterunt laudare Patres, mitesque Quirites.
Præstat sera magis fuso sine sanguine palma,
Quam cita, sed multo juvenum properata cruore.
Vincere cùm possis servato milite, durum est
Perdere momento, quem vix tibi quinque dederunt
Lustra virum; semper præstantior illa Magistri
Gloria, perdomitos hostes, arcesque receptas
Incolumi cùm pube. magisque irrumpere muros
Ingenio potuisse suo: quàm sanguine, quàm vi.
Præterea miles Prætorem semper amabit,
Olli si charam præsenserit esse salutem

Audaciores Duces, ut capta tecta via est, militem in assultum mittunt tunicis munitum.

Sed minimè laudandi; & cur?

Ipse

Ipse suam: vilem contra si novit haberi,
Despiciet, ne jussa libens violenta facesset.
Barbaricus mos ille fuit, quem dira tyranni
Invexit rabies, Scythica qui primus ab ursa,
Ardua per juga Riphæorum, & Caspia claustra,
Victor agens agmen Furiarum, Orcique ministros,
Europen, Asiamque omnem vastavit, & urbem
Excidit, Eoo leges quæ mille per annos
Dixerat, & prolem cum Cæsare sustulit omnem.
Hic immanis, atrox bello captiva sub arces
Assultu in primo mittebat corpora: & illis
Turmatim occisis, fossas æquabat: & inde
Ponte cadaveribus constrato, armisque suorum,
Mœnia per faciles aditus inimica petebat.
Barbare, quæ primùm Stygiis eduxit ab antris
Te Furias inter Furiarum maxima? quæ te
Bellua progenitum lactavit? ab angue venenum,
Credo equidem, Eumenidum suxisti, perfide, non lac.
Humanum pietas animum, crudele ferinam
Arguit ingenium naturam. Dite sub imo
I nunc, & Furias inter fruere, impie, pœnis
Cæde tua partis, proprio & te sanguine pasce.
Dum supera nos luce tuum execramur, in que,
Morem atrum, & Diris nomen, famamque sacramus.

Mahometes Turcarum Rex captivos in fossam primus mittebat, ut illis occisis sui per struem cadaverum in muros vadarent, quam Vates barbariem Diris prosequitur.

Sed quis me furor in pallentia duxit Averni
Tartara, & æterna damnatas nocte latebras?
Non hæc est Vatum sedes: non aurea Tempe
Hic sunt Æmoniæ, fortunatique recessus
Parnassi, dulces non Pimplæ, aut flumina Cyrrhæ.
Sed circum loca nigra, nemusque informe, Stygisque,
Et mæsti Phlegetontis aquæ, turpesque paludes.
Sed non me casu sedes vexere profundas
Numina: nosco omen; Vulcania machina, turres
Impete flammarum quæ diruat, inque supremum
Aëra cum sonitu ingenti, vastaque ruina
Mœnia de penitis vibret eruta fundamentis,
Nunc mihi Tartareis est educenda cavernis.
Sed quæ tanta hominum cœcas dementia mentes
Corripuit, sua ut immites in viscera Manes
Verteret, & terras laxato Dite moveret?
Scilicet impatiens iræ, irritatus & acri
Vindictæ stimulo, Venerisque cupidine captus,
Non sibi sufficiens animus, sub Tartara Diras
Horrendas adiit, totumque; Acheronte recluso,
Perniciem in mundi movit de sedibus Orcum.

Pœnitet Vatem, quod se Diris miscuerit.

Sumit hinc occasionem lepidæ fabellæ de cuniculi inventione.

At mihi vos, divæ, sacrum genus, ire per omnes
Musas in re difficili invocat.
Concessum quibus est aditus, perque intima terræ
Viscera, & arcanas Erebi penetrare letebras,
Dicite, quisnam hominum tàm barbara pectora primus
Induit, ut rupta terras compage cieret,
Et nitidum cœca tegeret caligine cœlum?

Tempestate illa, qua gens Maurusia apricos
Trinacriæ colles, fæcundaque rura tenebat:
Servitium horrendum, sed gente, & moribus ævi
Illius dignum: quo cuncta impune licebant;
Aurea virgo fuit, regno, quæ læta paterno
Fabulam orditur in gratiam Nicolai Cajetani Comitis Alliphanum, viri Vatis amici, & eruditi.
Euboicos placida populos in pace regebat.
Una Pelasgiadum cunctas formosa puellas
Inter erat: flavi crines, gena concolor ostro:
Candida colla nivis ritu, placidissima labri
Gratia cui rosei; vis & mollissima fandi,
Et placidi gressus: sed servantissima tantùm
Justitiæ, quantùm pulcherrima: claraque regum
Connubia, & dulces Veneris despexerat artes:
Quamvis illa foret plenis jàm nubilis annis.
Certa pudicitiam nunquàm deponere, nunquam
Virginei niveos animi corrumpere flores.
Caieta, ut memorant, virgo cognomine dicta;
Cajetanæ, ex qua duxere exordia gentes.
Et tu (1) Nicoleos generis non ultima tanti
Gloria, quo Musæ gaudent, quo Phœbus alumno.
Et seù Nicates venantem vallibus altis,
Alliphæve tenent regnata per arva: ferocem
Seù tu cornipedem cursu, stimuloque fatigas,
Et claros imitatus avos, proludis ad arma,
Hùc adsis, quidquid sit & id, ne despice, munus.
Virginis egregia forma, pulchraque juventa,
Captus rex Arabum, Siculumque, ardebat Jasbes.
Jasbas Rex Arabum Cajetæ Virginis nuptias petit.
Ergò oratores Campana ad litora mittit,
Regia qui poscant connubia, quique decoræ
Dona Pelasgiadum reginæ plurima portent,
Et domini genus edoceant, atque inclyta facta.

Inter Erythræi fluctus, & Persidos undas
Eoum longo tractu prorumpit in æquor
Ingens terra: suo quàm flumine claudit ab Ortu
Euphrates, vastis palmetis finit Idume

Car-

(1) Nicolaus Caietanus Aragonius Laurenzani Ducis, Comitisque Allipharum filius.

Cardine ab occiduo, Libanusque coërcet ab Arcto;
Arabias dixere: patet quæ lata sub Ortum
Inque Syrùm campos, amnemque excurrit aquosum,
Planitie immensa, solis squalescit arenis,
Ac deserta siti regio: quæ vergit Idumes
Arva in palmiferæ, prærupitis ardua surgit
Montibus, & Rubri despectat regna profundi.
Tertia felices campi, collesque beati,
Quos geminique sinus, vastaque amplectitur unda
Oceanus, felix cognomine; quippe deorum
Sacratis adolere focis dat odoriferum thus:
Cinnamaque, & truncis sudantia balsama gignit,
Gemmiferasque imo Thetis educat æquore conchas.
Desertos terræ tractus, montanaque circùm
Barbara gens habitat, Saraceni nomine, dicti.
Qui Nomadum ritu sparsim per sola vagantur,
Camporum spatia, atque greges, & plurima equorum
Armenta, atque larem secum, tectumque ferentes.
Hi scenas, sua regna, virens quà rarus arenas
Pinguia desertas inter dat pascua campus,
Oblitus & limo puteus se pandit aquarum,
Defigunt, subitasque casas, urbesque reponunt.
Ast ubi jàm pastæ viduarunt prata capellæ,
Et jàm siccati potu, pecudumque, hominumque,
Defecere lacus, scenis tellure refixis,
Extemplò vaga castra movent, nova regna petentes.
At dùm grata greges villosi pascua tondent,
Sparsaque fœminei servant tentoria cœtus,
Ipsi tùm Scythico turmatim more pererrant,
Et latos Syriæ campos prædantur, & arva
Læta Palæstinæ, desertaque forte per alta
Quotquot in Ægyptum merces, vel Persida vectant.
Hoc olim infami Saracenùm è sanguine cretus
Vir fuit, & patrio Mahometes nomine dictus.
Mostrum, horrendum, atrox, quo non crudelior Orco
Erupit pestis, nec erit post dirior ulla,
Ni quæ sub finem mundi ventura supremum
Certa manet divûm oraclis, monituque Sybillæ.
Invisum Superis caput, & mortalibus ipsis:
Cujus erat præcursor Arabs: qui corpore grandi,
Atque sagax fuit ingenio, robustus, & acer,
Inventu solers, versutas fingere fraudes
Doctus: & ire novos semper promptissimus astus;
Mentiri facilis, confidentissimus, audax.
Sed placidos hominum mores, mentemque benignam,

Triplex Arabia describitur.

Saracenorum gens, & mores describuntur.

Ex his ortus Mahometes, & quis hic fuerit!

Atque gravem interdùm ſimulatæ conſcius artis
Fingebat greſſum, majeſtatemque decoram.
Impubes prima celeres ætate camelos,
Per deſerta vagus duxit: mox aſpera circùm
Arabiæ furiis cœpit genialibus actus
Prædari: & dux impoſitus prædonibus ipſe.

Se Prophetam ſimulat, & novam ſectam vafer impoſtor inducit, aſſeclas colligit, brevique per Arabiam & vicina circum loca peſtem diffundit.

Hoc neque contentus, majorem affectat honorem;
Mentiturque Dei juſſu ſe ſydere ab alto
Demiſſum, nova qui populis arcana referret,
Et nova ſacra: quibus mundo felicior omni
Lux parta, & toti data lex mitiſſima genti.
Capta dolis Arabum aſſentit vaniſſima turba.
Nec ſimulata fidem facerent quæ, plurima deerant
Portenta, & fictis mentita inſomnia viſis.
Nec mora, fit hominum rex idem, idemque ſacerdos.
Ut ſolio ſedit, trabea ſpectandus, & oſtro,
Infula & infames ut crines texit, Avernis,
Everſura omnem pietatem, omnemque pudorem,
Et ſacris Divûm æternis contraria ſacra
Eduxit latè in gentem, infecitque veneno.
Ignarum capitur vulgus novitate, ſoluto
Cui fræno mos ire; novoſque licentia ritus
Conciliat circùm momento effuſa per omnes
Dira ſuperſtitio populos, vimque arma dedere.
Utque lues Arabum tractus pervaſit, in ipſam

Mox & remotas Regiones.

Ægyptum diffuſa, Syrûmque ampliſſima regna.
Hinc Libyam latè in magnam, Getulaque rura,
Et Numidum campos, & Atlantis ad uſque nivoſi,
Manibus infernis, Furiis & agentibus ipſis,
Culmina pervenit: perque ardua tuta recurrens,
Hactenus innocuos contage invaſit averna
Æthiopes, Raptique oras, Garamantiaque arva.
Parte alia bigis Erebi furialibus acta,
Auroræ populos, quos hinc rapidiſſimus ambit
Euphrates, illinc Ganges nitidiſſimus auro,
Præruptiſque jugis diſcludit ſummus ab Arcto
Caucaſus, atra lues oppreſſit: & ilicet ipſa
Montis inacceſſi perrupit culmina: & omnes
Axis Hyperborei gentes, Tanaimque nivalem
Corripuit: ſecura fuit non ipſa veneno
Europe: tanta immani vis indita peſti!

Hinc Res Arabum plurimùm diffuſa, Romana ſenſim labante.

Principiis iſtis totum diffuſa per Orbem
Res Arabum, cœpitque retrò Romana relabi.
Nempè Deus ſic ipſe ſuo decreverat axe,
Ut lapſum imperii morem, luxumque nefaſque

Illa-

Illatum ſacris, puniret, vindice Mauro.
Diſcite virtutem, & ritus ſervare Deorum,
Si gentes amor incolumes, & regna tenere.
Sextus ab infami Mahomete creatus Jasbes,
Afrorum terras, ubi jam Carthaginis altæ
Imperium ſtetit, & Numidas ditione premebat.
Hinc laudis ſtudio incenſus nova bella Sicanis
Intulit, & magna contritos clade ſubegit.

Ex hoc Jasbes progenitus in Africa regnabat, Siculis ſubactis, èque bello in amorem conversus Oratores mittit, qui Cajetam petant.

Sæpiùs Auſoniam fruſtra tentavit, iniqua
Ter victus pugna, paucis vix ipſe carinis
Servatus rediit, magnisque invitus ab auſis
Deſtitit: atque armis tandem belloque relicto,
In Venerem, mollesque animum transduxit amores.
Et jàm præmiſſi Reginæ ad limina centum,
Pacem Oratores aderant, & dona ferentes,
Dummodò ſe regi dignetur jungere Jasbæ.
Cajeta, ut Maurum prætenſit amore teneri,
Cui ne conjugio ſocietur ſacra, pudorque
Obſtabant, animum referens generoſa virilem,
His Oratores dictis affatur: In oras
Ite iterùm Siculas, regique hæc dicite veſtro:
Conjugio tali Reginam jungier olli

Cajeta conjugium reſpuit.

Virgineus pudor, & ſuperi intemerata Tonantis
Jura vetant: mihi quæ miſit, ſua dona, remitto.
At pacem accipio, ſi pacis vincula poſſunt
Servari ſine connubio: ſi ſecius, arma
Expediat: noſtras defendent numina ſedes.
Dixerat, in fines illi rediere Sicanos.
Et quæ virgo dedit, referunt reſponſa tyranno.
Ille iræ impatiens, poſtquàm connubia ſenſit
Regia deſpexiſſe, retrò & miſiſſe ſuperbam
Munera Reginam, parat arma: novoque furore

Iasbes repulſa impatiens bellum Virgini infert.

Percitus, ac veteri, totam ad ſua ſigna reducit
Trinacriam, Libyamque ſimul: mox claſſe parata,
Litus in Auſonium tendit, campanaque rura.
Intercà in Megaræ Virgo confugerat arcem,
Præſidio ſecura loci, & virtute juventæ.
At magis illa Dei (ſemper ſpes certa) potenti
Auxilio confiſa, cui pia vota, pudorque
Virgineus cordi: ſummoque aſpectat Olympo
Tutaturque pios. Sed jam Mauruſia circùm
Caſtra fremunt muros: obſeſſaque cœrula claſſes
Cuncta tenent. Verùm terra præcincta, marique
Arx media aſſurgit, prærupta in rupe repoſta,
Quàm fruſtrà crebrò pulſoria verberat ictu

Eamque Megaræ in arce fruſtra obſidet.

Machina: præcisæ quando latera ardua rupis
Mœnia sunt, duris eluctatura metallis.
Nec vallum lunata audet transmittere pubes:
Usque adeò obnixi turrito in vertice saxi
Urgent Cajetani aditum prohibere sonanti
Grandinis imbre: pluunt latè toto aëre glandes
Lethiferæ, & nigræ tot sunt, quot vulnera mortes.
Barbarus hæc summo, dùm culmine cernit Jasbes,
Infremit, indignans animo: magnoque furore
Exagitur miser, & spumas vomit ore cruento:
Atque hæc è tumido mox pectore ructat: In uno
Una mihi saxo illudit confisa puella?
Anne unum in scopulum tot cursibus usa secundis
Impiget Fortuna? erit hic victoris Jasbæ
Palmarum limes? cui non Garamantes, & Afri,
Getulusque ferox, Numidùmque effrena juventus:
Non ausi Siculi, & Sardoa obsistere pubes,
Una hæc audebit se nunc opponere virgo?
O genitor, pariterque Deus, Mahomete, supremo
Aspicis hæc cœlo, & pateris tua numina temni
Christiadis? an te nostri jàm nulla fatigat
Cura? Deos nequo si flectere, cuncta ciebo
Tartara: sic fatus vocem vix ore repressit
Igneo. Forte fuit Siculo de sanguine cretus
Auletes senior, qui relligionis avitæ
Desertor, Stygiis dederat sua nomina sacris.
Hic noctu vana scrutari Sydera cura,
Fulgura quid cœli, quid avis portenderet alis,
Aut cantu; quid visa agerent insomnia doctus,
Quin & Thessalicas artes, herbasque nocentes
Noverat, & nigro Manes revocabat ab Orco.
Illum ad se jubet actutum properare tyrannus.
Ut venit: flammante seni sic ore locutus:
Quid cessas, segnesque sinis requiescere Manes?
Infernos i, posce Deos: Cocytia monstra,
Eumenidesque cie, totumque Acheronta moveto;
Tantùm ut præruptum fas illud scandere saxum.
Barbarus hæc: Senior sacris feralibus aras
Pronus adit, adoletque umbris pia thura nefandis.
Et Stygium Ditem, Noctemque, Erebumque profundum
Consulit: excussa subitò tellure cavernæ
Horrendùm sonuere, tetroque fluentibus undis,
Ingemuere vada: & cœlum obtexere tenebræ.
Ilicet ex Orco vox hæc pallente remissa
Mugiit, & dubias rerum perterruit aures:

Iratus Jasbes, quod arcem superare nequiret, ad magicas artes confugit.

Favet Regi Siculus in magicis artibus versatissimus.

Ditem consulit: à quo doctus cuniculi extruendi ad evertendas arces artem doctus.

Sub.

Subter erit ſcindenda tibi duriſſima ferro
Rupes, & cœcos reſerandus calle cuniclus.
Cùmque ſub obſeſſæ, variùm ſerpente meatu,
Mœnia turris erit tandèm deductus, in orbem
Formabis caveam: pyrio quæ pulvere plena,
Ut mox immiſſam nitrato è fomite flammam
Hauriet, extemplò convulſa è ſedibus imis
Arx tota in cœlum exiliet, ſonitumque tremendum
Conciet, atque uno ſecum trahet omnia caſu.

Hæc ubi Tartarei Manes reſponſa dedere,
Conticuit Phlegethon, ſubitoque occluſa vorago eſt.





BELLICORUM
LIB. DECIMUSQUARTUS.

AT Stygiis licet inventis nova machina mundo
Tradita, cœpta tamen juvat illa absolvere: & armis
Ni se confestim dedant victricibus, igne
Fulmineo abrepti pereant cum mœnibus hostes.
Ergò ubi promoto transmissa est agere fossa,
Propugnacla tenes & jàm declivia, subter
Præcipe fossorem cœcos aperire meatus.
At primùm potior, quæ crebrò venit ab usu,
Ars olli nostro tradenda est carmine: terris
Et quoniam diversa subest natura, videndum
An tophus, vel dura silex, argillave mollis, — *Ars, modusque effo-*
Glareave, sabulumque insit si mobile: vel si — *diendi cuniculi traditur.*
Stagnet aqua, effossique latescant ante cunicli.
Vulcani quibus incassum succensa cadat vis.
Hæc simul ac perspecta, patent quà rupta metallis
Munimenta, solum subter tibi semita agenda est
Stricta, obliqua, humilis: facili quam ducere nisu
Ut valeas, genua inflexus molire laborem.
Pariete de duro si propugnacula, acuto
Uteris cuneo, saxis & vecte ruendis,
Sivè unco in rectum transverso, sivè securi.
Instrumenta tibi pariter sunt hæc adhibenda,
Si rigeat prædura silex: si mollis arena, — *Et quæ sint pro soli*
Glarea vel levior, pala: si densa, ligone — *conditione instrumenta.*
Illa tibi removenda; cavis quam plurima pubes
Egerat in cistis: rumpenda & mœnia propter
Accumulet; sit pronus uti conscensus in arcem.

Et

Et quamvis iter in rectum producere, multus
Non labor, obliquùm quàm cùm ſerpente meatu;
Tutius at quoniàm varios per itus, reditusque,
Et voto reſpondet opus, tibi ſemita ſenos
Obliquanda pedes: atque his ambagibus errans,
Ut Mæander aquis reſluentibus herbida currit,
In certum ducenda locum, Vulcania poni
Semina ubi viſum, ſolidoſque evertere muros.
Quò cùm perventum, ſupereſt incidere ſaxo
Fornice curvato cellam: totque altior illa,
Et tot lata pedes, quot copia poſtulat atri
Pulveris, accenſus qui turrim emittat in altum.
Si terra in molli ſtruitur, ceu teſſera, fiat
Cella: juvat ſupra nonnunquàm incidere conos,
Ut via Vulcano pateat non una tonanti;
At prædura ſilex ſi non conſentit ad ictus,
Aut uno ſi Veſta foco ſuccenſa, ſub aſtra
Haud multum muri ſit projectura, caverna
Plurima tùm rigida foſſori in rupe cavanda;
At ſi durities nullo ſudore domari,
Non ferro poterit, ſerpentes marmore venas,
Mitior ipſa minus quà cautes icta reſiſtit,
Incides, largoſque magis protende canales:
Sparſa quibus rapidi concludes ſemina nitri.
Materieſque cadis, ſaccove ingeſta, cuniclo
Clauditur; & pyriam ſic juxtà apponere reſtim
Curato; flammas ut cùm conceperit, omnes
Corripiat ſimul illa cados, & totus in illis
Momento pariter ſal temporis ardeat uno.
Sulphuris at molem, quæ ſuffectura ruendis
Mœnibus, haud noſtro facilè eſt deſcribere verſu.
Illud enim foſſoris erit decernere: & uſus
Plurimus, & rerum varia experimenta docebunt.
Hæc, tamen accipito: ſi vaſta à ſede movenda
Ingens turris erit, vix nitri mille tonantis
Sufficient libræ: ſi prætentura, vel agger
Vertendus minor eſt, tercentum impone. Paratum
Poſtquàm opus, & poſito jàm jàm de fomite flamma
Eruptura; jube fecialem ad mœnia primùm
Pergere, ut obſeſſis prænunciet omnia flammis
Corripienda, Duci dedant ni cominus urbem.
Si moniti renuant, confeſtim accendere ſulphur
Præcipe foſſores: avulſi protinus imo
Cardine proſiliant ipſo cum milite muri.
Legibus humanis, & relligione teneri

Qua ratione cuniculus ducendus ſit.

Et quæ inſtruendæ cellæ ars.

Quæ pulveris moles in cella ſit locanda.

Ubi inſtructus jam eſt cuniculus, fecialis mittendus ad obſeſſos, ut ſe dedant, ni flammis ardere velint.

Hunc

Hunc tibi præcipio morem. Pietate gerendum
Semper erit bellum: sed jam flagrante camino,
Ingenti sonitu, ceù cùm strepit aëre fulmen
Excussum, & magno cœlum tonat omne fragore,
Ilicet erumpit vis ignea, lataque multo
Mœnia subvertit, nisu: rapit omnia magno
Turbine flammarum, fumoque involuit opaco.
Ceù cùm materiam sub vastis Ætna cavernis
Tempore concessit longo, calefactaque flammas
Concepit, rupto confestim viscere montis,
Immensam jacit in cœlum succensa ruinam,
Et tegit horrifica sub tempestate: propinqua
Tùm Catane concussa tremit, tremit omnis ab imo
Cardine Trinacria, & circùm Thetis acta remugit.
Ut tandem cecidit fragor, excussusque resedit
Pulvis, & ipsa suo facies jam reddita cœlo est,
Præcipe in avulsos descendere Tectona muros:
(1) Fragmina qui vigil, & totum rimetur hiatum.
Nimirum pateat via si scandentibus æqua,
Sit ne capax aditus: surgat si desuper agger
Qui cœptum valeat bellantum sistere cursum.
An lateri adversæ pateant obnoxia turris
Fragmina, suggestu vel si pulsentur ab alto.

Incenso cuniculo, si dedere se renuant, videndum si per murorum fragmina, æqua scandentibus via pateat.

His & prospectis, redeat prætoria: & ipsi
Observata duci referat, cunctoque senatu.
Si facilem convulsa aditum dant mœnia, & amplum,
Tempus in assultum generosam immittere pubem.
Ardua si nimis, angustoque patescat hiatu
Semita facta, novo foveam properare labore
Alteram in alterius stat fragmine; larga sub arcem
Majori ut tandem pateat via strata ruina.
At si difficilis tantùm conscensus, ahena
Præcipe continuò tormenta explodier: ictu
Sic æquata dabunt mollem tibi saxa recursum.
At propugnacli si denudata patescant
Jactibus, aut muri sugestu objecta fatiscant,
Vimineo tum fasce latus tege, tela priusquàm
Induat insignis hostem aggressura juventus.
Et quoniam nex magna virùm ventura, revulsæ
Mœnia cùm turris contecta è parte flagellant
Æra, & lethiferi grando volat horrida plumbi.
Idcircò in media, structo priùs aggere, fossa,

Sin minus alter parandus est cuniculus minor.

Et complanari etiam tormentorum ictu fragmen poterit.

Po-

(1) *La breccia* dicunt Itali.

Ponantur tormenta: illorum & verbere crebrò
Dejicere è plaustris primùm conabere fractis,
E latere objecto stridentia turris ahena.
Interea, dùm consilium de rebus habetur;
Ille cui commissa operis custodia, curet
Ne vallo super instructo se muniat hostis.
Id verò efficiet, si crebrò machina pulsu
Interturbet opus: sique illum missile plumbo
Turricula ex alta juvenes, feriantque, necentque.
At si consilio visum perrumpere in arcem,
Expedienda priùs tibi tela, virique legendi.
Quos igitur juvenes superandi gloria muri
Victores manet, & muralis dona coronæ,
Loricaque gravi, galeaque armabis, & ense,
Et pilo majore, & raucisona catapulta.
Ast illi, quibus est valli commissa struendi
Cura, ferant fasces, ferroque bicuspide vectes,
Vallares tunicas, pellesque, & vimina texta.
Verùm alii, quibus ut sociis via tuta patescat,
Palique, tribulique, & Frisius asper. ephyppio
Evertendus equus, quæque invia plurima sternunt
Aspera, dura, dolis hostes fallacibus usi,
Ferrea rastra ferant, radios fractura, refertos
Pulvere vel saccos, rigidis quibus horrida rostris
Spicula sparsa tegant, & lethiferam tribuli vim.
Sintque manus inter unci, bifidæque secures:
His enim Ericius, & pali scindentur acuti.
Quæ cùm præstiteris, bellantum delige florem,
Attollant qui signa super victricia turres.
At quoniam primis sese objectare periclis,
Inque arcem primum assultum tentare, decorum
Ducitur, & tali quisquis se dignat honore;
Ardua res igitur Prætori incumbit, ab omni
Emeritos tantùm juvenes decerpere cœtu.
Id verò ut præstet, præcellat plurimus æquo
Judicio, & vultus sit majestate severus:
Illo promeritos ad munera destinat, ista
Continet haud gratam passi qui ritè repulsam.
Quapropter, devicta quibus sunt plurima bella,
Elige: sortiri primum muralis honorem
Hos ferti decet: egregii quos inde sequantur,
Proxima quique tenent factis, famaque secundi.
At primos inter majorum more memento,
Prætor, eos censere, die quibus aggeris illo
Vallaris fuit, & custodia credita parmæ.

Curandum ne hostis evulso in muro se muniat.

Quæ tela gerenda iis, qui in muros aggressuri hostes vadunt.

Flos juvenum deligendus, ut in assultum eat: quod sanè perdifficile: idcircò hac in re prudens sit Prætor, & æquus.

Qui deligendi.

Ut juvenum ſelecta tibi ſunt corpora, cunctos
In ternas, quatuorve manus partire, priori
Quadraginta viri ſe ſiſtant ordine: ductor
Quos Legatus agat, quos Signifer, & duo fortes
Unà inſtructores dextrà, lævàque ſequantur.
Hoc major numero ſuccedat ponè ſecunda,
Quæque animis primam, & præſenti robore firmet.
Inde manus reliquæ veniant, ſtructo agmine, lectæ.

Delecti in tres manus dividendi.

Præterea juvat hos inter (quæ maxima pugnæ
Semper erunt ducenda tibi momenta) decoros
Nobilitate viros, & avito faſce ſuperbos
Adlegiſſe, ſacri quos non ad prælia Martis
Lucra trahunt, pulchri ſed provocat ardor honoris.
His ſæpè eventu res eſt confecta ſecundo.
Acrior eſt virtus, claræ cùm pabula laudes
Sufficiunt, quàm cùm merces plebeja miniſtrat.

Inter hos Nobiles viri mittendi, quos non merces, ſed gloriæ ſtimulus acriùs agit.

Atque hic nobilibus, ducibusque ad prælia lectis,
Præcipio ne ſe nitidis in veſtibus ornent,
Auratosve ferant torques, vel gemmea texta.
Vulgari induti tunica, vulgaribus armis
In pugnam properent. Heroas Martia virtus,
Non gemmæ, aut rutilum à vulgo diſcriminat aurum.
Illud enim perſæpè malum deforme timendum,
Ne ſi forte cadant lethali vulnere pulſi,
Gemmarum turpi miles correptus amore,
Conficiat: proh grande ſcelus, vix pectore dignum
Barbarico, Stygiiſque ipſis damnabile monſtris!
Sed quò non avidam per atrocia, & impia mentem
Ducit avarities? licet ipſo in crimine ſæpè
Deprenſus rapto vitam fur ponat in auro.

Hi vulgaribus veſtibus incedant, & cur?

Verùm ſi pietas (virtus in milite rara)
Curandos pugna ſubduci ſuaſerit: iſte
Dum pius officio, campo ſe ſubtrahit, ille
Diſtractus prædis inhiat, certaminis acer
Defervet calor, & paulatim pugna labaſcit.
Ut tandem turbata retrò det terga juventus.
Idcircò pœna capitali præcipe; primis
Ne quis dùm Mavors fervescit cædibus, & dùm
Utrimque in dubio nutans victoria pendet,
Vulnere languentem, quicumque eſt ille, reducat
Ex acie, aut ſpoliis denudet lumine caſſos.
Aſt ubi res confecta, pio tum munere ſciſſos
Miſſilibus proceres curatum in caſtra reportent.
Et ſpoliis, quem dura fames tenet, exaturet ſe.

Dum calet pugna, ne pio quidem prætextu, acie excedat.

His jàm præmonitis, ſupereſt tibi cura, feroces

Præ-

Præclaris animos bellantum accendere dictis.
Sed breviter, subitis noceant ne plurima cœptis.
Magnanimos, quos altus honor, quos gloria tangit,
Sic hortare: Patet, juvenes, via strata sub arcem
Jamdudùm vobis, & votis mille petita,
Egregia stat ubi laurum virtute mereri.
Quàm dabit, & præsens Deus, & sua dextera cuique,
Vestraque jàm video (lætum mens augurat, omen
Et manifesta Dei per somnum visa dedere)
Tempora promerito cingi victricia serto.
Sed frustra currentis equi calcaribus armos
Solicitamus: agunt dum latè incendia flammæ,
Nutrimenta damus frustra: satis impetus ipse
Urget equum: satis ipsa ferunt sua robora flammas.
Ite igitur, quò raptat amor, quò gloria: & alta
Arce super capta victricia figite signa.
At reliquam plebem sociorum, & vulgus avarum,
Quò trahitur, multo inflamma mercedis amore,
Talibus ingressus: Perrupit machina muros,
Qui tot divitias argenti, aurique corusci.
Tantaque vallabant, concestaque tempore longo
Omnibus ex agris Bacchi, & Cerealia dona,
Velligerosque greges, armentaque plurima equorum,
Debita virtuti, & sudori præmia vestro.
Ergò agite, & magno quà stat via facta labore,
Ite alacres, tantis & finem imponite cœptis.
Nec teneam vos ipse: trahit sua quemque cupido:
Et certa in manibus vires jàm præda ministrat.
Hæc sublimis equo cùm fecit verba Magister,
Majestate gravis, bellaci & flammeus ore
(Ut gestu juvenes ipso, pariterque minaci
Accendat vultu, Martemque inspiret, & arma)
Signa dari jubeat manifesta: dabuntque minaces,
Pyrobolo accenso, flammæ, vel ahena: sed acres
Assultus tentare decet, quo tempore, dicam.
Hostiles noctu caveas invadere muros.
Difficiles sunt nocte viæ per dura, labantque
Saxa per, & tribulos vestigia: nocte latescunt
Insidiæ, & facilè à sociorum insternier ictu.
Luce palàm jubeo generosam ad prælia pubem
Mittere te: fraudes quando, & via luce patescit.
Prætereà, lucente die, micat æmula virtus:
Excitat, & pigros vis æmula: & acritèr urget
Testis in arma animos, magni laudator & ausi.
Plurima sed contra in tenebris ignavia crescit;

Omnes stimulis, & qualibus irritandi; quique sint: Nobiles honoris, & gloriæ.

Plebeii mercedis, & lucri.

Concione habita, det vadendi signum.

Quo tempore insultus tentandi.

Atque fugæ indecores, & inertia facta teguntur.

Festinandum in assultu, & cur?

Lucem, Prætor, ama. Valido sed lucida bombo
Fax micat: irrumpunt juvenes: Mars, undique fervet:
Magnanimos urgete, duces: certamina quando
Ista petunt celeres ausus & præcipitem vim.
Nàm si dura tibi per fragmina scandere primo
Non datur assultu, trepidaque potirier urbe,
Haud equidem, perstes licet, assequerere secundo.

Et variis in partibus tentandus.

Idcircò felix succedat ut impetus, arcem
Multiplici tentare loco conabere: ruptus
Non solùm quà murus hiat, sed quà integer, altis
Admotis te velle simul conscendere scalis,
Fingito: sic variis distractus partibus impar
Hostis erit, verus quà fortiter impetus urget.
Imò ubi neglectum servat custodia murum
Rara, stat interdùm perrumpere, vique tenere.

Capta urbe victores spoliis potiantur.

Sic sæpè insignis parta est victoria. Cœptis
Si favit Fortuna tuis, primoque repulsi
Aggressu cessere hostes, & mœnia capta:
Quod superest, multa spoliis mercede paratis,
Se gens exornet victrix: sed cura secundis
Non minor in rebus tibi tunc adhibenda; juventam

Continendi à luxurie milites, & fanis Divorum.

Luxurie effrenem turpi, necibusque pudendis,
Ære simul prohibere sacro, fanisque Deorum.
Idcircò in civem nè quis deseviat ultra,
Nè vim virginibus, vel matribus inferat: auro,
Communi simul abstineat, templisque, jubeto:

Certum direptioni tempus statuendum.

Quin imò; ut nimias prædas, & stupra, necesque
Tutius amoveas, certum decernere tempus
Te moneo: quicumque ultrà vi colligit, illum
Plectito: sic miti discent parere volentes
Victori cives victi: juvat usque mereri.
Devictorum animos, laudemque ex hoste referre.
Integra quin etiam, servato cive, nitebit
Urbs, & servatæ major, quàm gloria captæ.

Victoria relata, Divis sacro more grates persolvendæ.

Supplice sed voto Superis persolvere grates
Jàm tempus, meritosque aris incendere honores,
Balsamino succo, & Nabathæo thure calentes,
Majorum de more. Dei delubra Latini
Intrabis magna procerum stipante corona.
Cernuus hic cœli venerabile pignus adora,
Virginis & sacræ numen, divosque, deasque,
Sunt urbes, sunt regna quibus commissa: triumphi
Et quorum auspicio veniunt, palmæque decoræ.
Votaque deinde memor persolves, plurima in altis

Fi-

Figens dona tholis: perfecto lætus honore,
Victricem pubem in victricia castra reduces.
Hactenus aggressu cùm res confecta secundo.
At propugnacli si te superare cacumen
Subnixi prohibent hostes, tum figere in ipsa
Præcipies stationem acie, subitoque parato
Aggere muniri, glandesque arcere, juventæ.
Quin tu cautus, eam non ultrà ascendere partem
Primùm erumpentem jubeas sub mœnia, muris
Dùm manus in summis stat plurima. Tutius arces,
Promoto sensim vallo, per lenta domantur
Obsidia. Insultu nàm si contraria primo
Sors fuit, & juvenum lectissimus occubuit flos,
Solvere tunc decet obsidium, & sine laude reverti.
At si forte fame, & perituram labe juventam,
Atque fuga, certo indicio prævideris, aut si
Non longùm obsessis laturum noveris hostem
Auxilia, assultus non tum tentare negabo
Fortunam primi pariter, pariterque secundi.
Marte perire viros spe palmæ præstat, inerti
Quàm lue consumi sine lucro, & laude decora.
Insuper, obsidii quando fortuna secundi
Pendet ab imposita, & servata in fragmine sede;
Idcircò totis tutari viribus illam
Nitere: delectæ nec pubi parce: struendo
Insistas, operique vigil: nàm non locus ullus
Insultu pateat, aut magis est obnoxius igni.
Hinc jubeas (jactis flammas depellere flammis
Fas quando) assiduè juvenes demittere in hostem
Pyrobolos, ignesque sacros, liquidumque bitumen,
At sibi flammiferos defendere tutius ictus
Ut valeant, dura vallum testudine cingant,
Æratisque simul tunicis sese undique vallent.
Ut statio munita tibi, firmataque forti
Præsidio, decet extemplò superare receptum,
Quem propugnacli integra in parte locavit
Hostis, & effossa subitus sepivit arena.
Inde alium, retrò si fidentissimus illum,
Indomitusque struat; magnas cùm credula vires
Et spes subsidii, numerusque, situsque ministrat.
Quantùm ille objecto spem ponit in aggere, tantùm
Nitere tu contrà perrumpere. Turre sub alta
Quæ vexilla nitent undanti candida lino?
Anne hostes fracti victori tradere muros,
Seque velint? sic est: pacem, veniamque precantes
Audio

Si non datur in urbem vadere, figenda statio in capta propugnaculi acie, & munienda; lentèque festinandum.

Quod si ventura ad hostes auxilia prævideantur, iterum ire in assultum præstat.

Omnis adhibendus conatus, ut posita in fragmine statio servetur.

Exin superare turriculam, in quam se obsessi receperunt actutum præstat.

Cum se dedere hostes volunt, excipiendi.

Audio: securos populorum jure venire
Præcipe legatos sancitum fœdus: eburno
Tu solio, trabeaque illos insignis, & ostro
Excipies, populi pro majestate Latini:
At reliqui hinc, illinc teneant subsellia primi
Densa duces, auroque ipsi, gemmisque nitentes.

Quæ dedentibus imponendæ leges sint.

Utque Oratores tentoria celsa subintrant,
Victrices Aquilas venerentur, & arma Quirini.
Mox humiles, ubi professi se dedere, & arcem,
Tu legem victis impone, & fœdera sanci.
At varia est populis lex perscribenda subactis.
Mitior illa novis, sed dura rebellibus: isti
Sic meritas solvent pœnas, iterùmque cavebunt
Detrectare jugum: placidis sed moribus illi
Accepti in sortem sociorum, nostra volentes
Sub juga descendent, & ovantes jussa capessent.
Verùm quisquis erit, Latiis qui deditur armis,
Sentiat ingenium Romæ, moremque benignum,
Quæ gremio accepit victos, civesque vocavit.

Numquam duræ leges dandæ, ne acriùs ferociant.

Edomitis legem, Consul, ne durus iniquam
Gentibus imponas: ne fortè ferocius illæ
Rursus in arma ruant: nimium velut ictus acutis
Sævit equus stimulis vehementiùs, & tumet ira.
Corpora certa mori, queis desperatio vires
Sufficit, & solis fiducia restat in armis,
Altus in accessus, nec vi superabilis agger.
Nonnunquàm rigidi vitio Prætoris ademptæ.
Jam pene è manibus turres, & regna fuere,

Sed honestæ, & quæ illæ sint.

Ingenti sumptu quæsita, & sanguine multo.
At si præsidio regum, queis bella geruntur
Pro sacris, sociisque, urbes firmentur, honestæ
Deditionis erunt leges: ut scilicet urbe
Excedant juvenes armis, vexillaque pansa,
Accensasque ferant restes, & tympana pulsent:
Et secum tormenta aliquot, suaque omnia vectent,
Ac defensa abeant per fragmina, & ordine Martio.

Has quamquam leges mos sit dedentibus urbes
Præscribi: tamen una potest non omnibus esse

Et quam variç conditione hominum, ac temporis.

Conditio: mihi nec cunctas decernere promptum est.
Nàm sine more tibi si obluctavere feroces,
Connixi rerum tentare extrema, merentur
Vix equidem veniam: verùm clementia prosit
Romula: permixtim sine fasce, armisque recedant.
At si parva manus nullo munimine tuta,
Ausa sit armorum felices sistere cursus,

Præ-

Præcipe captivos se tradere: solus & uno
Præcinctus ferro liber Præfectus abito.
Indignus tali ni forsan visus honore
Audacem ob fastum: fortem experiantur eandem,
Qui geminæ amisso turris munimine, & omni
Subsidii spe, victori concedere captam
Jàm fermè in manibus turrim noluere, superbis
Tantùm animis fisi, seque in postrema malorum
Dejecere: pati dignum sibi condita dextra
Fata sua. Quæcumque tamen lex dicta subactis,
Inque vicem firmata, patrum de more, simulque
Tradita jàm portæ custodia, & obses utrimque,
Castra per, & turris commercia mutua sunto:
Insidiæque, dolique mali, & simul omnia cessent
Hostica: sed vigilum tum sit solertia major,
Ne tendat fraudes hostis, fictaque latescant
Deditione doli: tibi semper ab hoste cavendum est.
Impendenda etiam quæ cura, ubi cæde peracta,
Inducias poscunt inimici, & tempus humandis.
Quas pius & concede illis, & posce vicissim.
Hic cassis debetur honos: tumulata quiescant
Pectora, quæ duris mortem oppetiere sub armis.
Mortua non equidem sævire in corpora fas est.
Intereà cautus, dux, observare memento,
Prætextu ne forte pio se muniat ille.
Qui tibi si fraudis fuerit suspectus, amicas
Nec petito inducias, nec tu concede petenti.
Quidquid enim tum peccatur, peccatur ab hoste.
Sed quid cunctamur segnes? stat dedita supra
Mœnia victrices Aquilas attollere: pacta
Phœbus ut optatos devexit luce triumphos,
Præcipe uti campis legio veterana cohortes,
Hinc illinc geminas equitatus & explicet alas.
Ipse sed heroa præcinctus tempora lauro,
Inque alto sublimis equo stes ordine primo.
Et ponè insistat nitidis prætoria in armis
Interfusa cohors: juvenumque insignior omnis
Officiosa manus geminum latus ambiat, artes,
Te duce, qui belli varias, & prælia discunt.
Ut signum mox ære datum, sic urbe subactæ
Prodibunt gentes: Equites procedere primi
Incipiant, currusque graves, ægrique sequantur.
Hinc pedites humero gestantes æra quaterni,
Accensasque manu restes, & pelle sonante,
Agmen agant: sua dein insignia signifer auris

Præscriptis legibus, ac datis obsidibus, mutua sint commercia, dolique mali absint.

Non tamen negligenda custodia est.

Induciæ pro sepeliendis mortuis concedendæ; sed cautè.

Pacta die, qua urbs victori tradenda; quo ordine præsidiarii excedant describitur.

Ex-

Explicet: haſtati tandem longiſſima pila
More ferant: tales pactæ ſi fœdera leges.
Si ſecus, hi terris demiſſa haſtilia retrò
Lenta trahant, curvis illi ſuppoſta lacertis
Æra minora humiles geſtent: collectaque ſigna
Vexillarius ater agat, lituique ſileſcant.
Poſt gravibus devecta rotis tormenta trahantur:
Quæ gemini armati ſtipent hinc, indè manipli.
Poſtremum ſubvectus equo complectitur agmen
Præfectus virga inſignis, armiſque decorus.
Hic propè victorem cùm jam proſpexit, ab alto
Acer equo exiliens, pronus veneretur: & arcis
Tradat ei claves: forti quas reddere pulchrum eſt.

Secura cuſtodia deducendum ad pactum locùm præſidium eſt.

Aſt ut præſidio pateat via tuta, jubeto
Delectas illud comitari ponè catervas:
Ne ſtruat inſidias, ne vim quiſquam inferat olli:
Utque hoſtis vacua tandem diſceſſit ab urbe,
Tum victor, dux, ingredere, & delecta juventus
Te comitetur ovans: & læto murmure plauſus
Ingeminent tutis exploſa timoribus æra.

Si adverſo Marte ſolvenda obſidio ſit; qua arte, ſolertiaque præſtandum id ſit, traditur.

Sed non ſucceſſu ſemper fortuna ſecundo
Affulget: nàm ſæpè lues, febresque malignæ,
Peſtifer & vapor, & duri inclementia cœli,
Incœptiſque hyemes properæ felicibus obſtant.
Ardua ſæpè loci munimina, & ipſa juventus
Effera, conatum celerem, aggreſſumque morantur;
Solvere ut obſidium Prætores ſæpè coacti.
Interdùm totis collectis viribus hoſtis,
Obſeſſam venit auxilia immiſſurus in urbem.
Quare age, quid tibi tum vario diſcrimine agendum
Expediam: tu dicta memor ſub mente reconde.
Si pubes tenuata truci contage, labori
Impar, nec numero fuerit par illa tuendis
Aggeribus tantis, latèque ferociat atra
Contago: properent hyemes, imbresque ſonantes,
Suppetiæque novæ nullæ mittantur ab urbe:
Nec quidquam afferri populatis ampliùs arvis:
Tum, quoniàm ſic Fata ferunt humana: neque illa
Unquam mortali conceſſum evincere cuiquam;
Cede volens ſorti, cœptoque abſiſte ſiniſtro.
Verùm caſtra tibi qua tum ratione movenda,
Accipe. Gentem omnem in ternas divide partes:
Prima, minor numero, faſces, & cætera ſecum
Vaſa ferens præeat: lixæ comitentur & illam,
Et quotquot triſti morbo, vel vulnere tardi.

Al-

Altera pars major ſuccedat, & ænea vectet
Tormenta, & pyrio miſtas cum pulvere glandes,
Quæ poſtrema venit pars maxima, robur in illa
Pubis erit, totum veterano è milite lectum.

Cavendum ne hoſtis erumpens poſtremam aciem carpat.

Hi caſtris igni correptis, ordine certo
Decedant ex arce, cui non terga, ſed altam
Oſtentent frontem, ne fors audacior hoſtis
Erumpens, celeri aſſultu ſigna ultima carpat.
Sed non parva licet ſit ſummi ea cura Magiſtri,
Maxima quæ ſequitur, magnam mentemque, animumque
Atque uſus belli varios, artemque requirit.
Scilicet obſeſſæ cùm barbarus appetit urbi
Suppetias multis ſtipatus ferre catervis.
Quid tibi tum potius pro re ſit, Conſul, agendum,
Da mentem ſolers, res eſt operoſa, docebo.
Si circum fundens magnis ſe viribus hoſtis

Quid agendum cum hoſtis ad ferendum obſeſſis auxilium cum magnis copiis properat.

Approperet: pubes tibi contra attrita frequenti
Aſſultu, & morbo pariter malè ſana fatiſcat,
Nec ſpes certa brevi ceſſuram aggreſſibus arcem,
Solvere tum decet obſidium, tutumque receptum
Accelerare: ducis quæ non laus ultima magni eſt.
At ſi florentes numeroſa ad ſigna phalanges
Cogis adhuc, paribusque potes certare periclis,
Urgendum obſidium, veniens & barbarus Ortu
Expectandus. At intereà tu conſule primos
Ductores, totis ſi pubem educere caſtris

Conſulendi Proceres, expertique Duces.

Conveniat, latis pugnam & committere campis:
Tutari an potius vallum, atque arcere ruentes.
Sed quæ concilio procerum diſcrimine tali
Evaleat melior ſententia, carmine noſtro
Expediam, & magni ſuperaddam exempla Magiſtri.
Si duplex valido firmet munimine caſtra
Agger, & impoſitæ ſua per diſcrimina turres,
Foſſarumque moræ latæ, pariterque profundæ,

Quæ melior tum ſit ſententia, à Vate præſcribitur.

Et faveat ſitus, & camporum commoda ſedes,
Contineas vallo juvenes, hoſtemque repelle.
Tutior in dubiis præſtat ſententia: foſſæ
Si minus extentæ, nec ſit firmiſſimus agger,
Caſtrorum ſitus obliquus, ſtatioque maligno
Structa loco, multis caſtella & paſſibus abſint:
Tum tibi, tum ducibus potior ſententia primis
Hæc ſedeat: latum nimirùm erumpere in arvum,
Atque ultrò pugnam venienti offerre tyranno.
Concluſi intereà ne quid molirier arce
Obſeſſa tentent, vallare ſub aggere pubem

Et quæ præcautiones habendæ.

Egregiam duce cum forti, claroque relinque,
Servet ut acceſſus, & fragmina, pulſet & hoſtem
Arce erumpentem, ſociosque juvare parantem.
Sed ne te falſa capiat ſub imagine pugnæ
Barbarus, ut campos acies educta patentes
Cùm tenet, & ſua bellator quisque expedit arma,
Per cœcos ipſe, incuſtoditosque receſſus,
Furtim ſubſidia obſeſſam ſubmittat in urbem.
Sique auſis faveat Fortuna, haud amplius ille
Sortis ad arbitrium pugnam committet: & ipſe
Siſtere ab incœpto, falſus cogeris ab aſtu.
Idcircò cœcos multo cuſtode receſſus,
Aviaque, latosque amnes, vallesque tuere:
Ne qua dolo pateat via cœca. Quis occupat aures
Feſtinus rumor? clari quæ fama triumphi
Perque urbes Italum, perque arva ſonantia Tibri
Invehitur, niveisque volat delata quadrigis?

Confirmat exemplo Ducis Lotharingiæ Sicambriam obſidentis.

Audio magnanimum Lotharo de ſanguine cretum
Victoremque heroa canit, meritisque ſub aſtra
Laudibus attollit, divisque potentibus æquat.
Cujus virtute effectum, promittere nemo
Quod ſibi dux, quamquàm confidentiſſimus, auſus.
Arduum, inacceſſum regni munimen Eoi,
Scilicet Auſtriacis aſſerta Sicambria ſignis.
Vos mihi, vos Muſæ, quæ fortia facta ſoletis
Pieria proferre tuba, totumque per Orbem
Heroum inſignes cantu celebrare triumphos,

Muſas in re grandi invocat.

Huc agite: umbroſos Pindi liquiſſe receſſus
Pauliſper juvet, & Pimplæi gaudia fontis,
Et tacitas ſedes, & amica ſilentia ſylvæ.
Caſtra ſequi placeat, turbasque, & prælia regum,
Et celebres plauſus populorum, & ovantia ſigna.
Sic poſt bellaces fremitus, Martisque tumultus,
Et vobis rivi, & nemorum ſit gratior umbra.
Nec minus, ò magni ductores, inclyta facta
Si vobis conari animus, nitidamque mereri
Laurum, & perpetuum ſeclis tranſmittere nomen,
Huc faciles animos advertite, claraque magni
Accipite hæc exempla ducis, linguisque favete
Unanimes: ſic par contiget gloria vobis
Sorte pari partis poſt Martia geſta trophæis.
Quarta recurrebat bellis felicibus æſtas,
Magnanimos & in arma Duces, pubemque vocabat,

Senatus à Cæſare habetur, in quo de bello agitur.

Cùm Cæſar Patrum cogi de more Senatum
Aulai in medium, primos & adeſſe magiſtros

Con-

Concilium in magnum ſummis de rebus habendum,
Imperat: acciti replent ſubſellia Patres,
Atque duces clari bello. Sedet ipſe ſecundus
Carolus, Auguſto dictus cum Cæſare Conſul:
Sub quibus inſigni palma, nitidoque triumpho
Annus erat faſtis, Roma plaudente, notandus.
Hinc ubi conſedere, rogat, ſententia, Cæſar,
Quæ ſit cuique ducum de rebus viſa futuris.
His aperit mentem LOTHARUS, primusque profatur:
Eventu quamquàm fuerit tentata ſiniſtro
Pannonici ſedes regni, tamen illa Latinis
Eſt armis repetenda iterùm: cadet alta tyranni
Turris, inacceſſique patebunt denique muri.
Spem facit & præſens Deus, & flos iſte juventæ;
Carolus hæc: reliqui Rectores, Cæſar & ipſe
Aſſenſere: Viro tantum ſtat pondus in uno.

Ex Lothari ſententia. Sicambriæ obſidio decernitur.

Nec mora, concilium dimittitur; atque potentes
Signa duces cogunt: totisque Sicambria caſtris
Murmure feſtivo reſonat, atque omine læto.
Namque ſub Auroram viſum tranſcurrere fulgur
Cardine ab occiduo, latèque ardeſcere cœlum.
Quo viſo, Eoo portendi funera regno,
Prædixit Vates, animisque inſedit amicum
Omen; & ingenti jam ſpe ſua caſtra movebant.
Prævertuntque fuga ventos, & vota ſuorum.
Mox ubi ſub medio libratus cardine Titan
Conſtitit, excelſo de colle Sicambria viſa eſt.
Ut conſpecta, citi tollunt ad ſydera voces
Lætitia effuſi juvenes, urbemque ſalutant,
Urbem exoptatam, votis & mille petitam.
Caſtra locant, vallo præcingunt, turribus agger
Munitur, vaſtus, conſtratis pontibus, Iſter
Jungitur: acceſſus vallares mœnia contra
Succedunt: tormenta fremunt, validique labaſcunt
Aſſiduè rauco quaſſati fulmine muri:
Fragminaque, plenæque aditum dant, undique foſſæ.
Itur in aggreſſum: ſuperatur parmula, cæſis
Hoſtibus, obnixis quamquàm non cedere, quamquàm
Torquerent vi multa, animisque ferocibus arma.
Fortibus edomiti fortes: ſuperavit & ingens
Auſtriadum virtus audacia pectora Thracum.

Felici omine caſtra movent, urbemque obſident.

Et tormentis continuè petitur.

Et lunatum propugnaculum magna virtute ſuperatur.

Virtuti ut palmam devicta ſuperbia ceſſit,
Undique Cæſareis, & prætentura tenetur,
Viribus obnixam ſub propugnacula totis
Ire jubet pubem Conſul, foſſaque potiri.

 In-

Intereà magnus reſonare à vertice clamor
Incipit, & latè exaudiri claſsica mille.
Continuò ſubitus rumor per caſtra vagatur,

Turcæ ad ferenda auxilia magnis copiis advolant.

Subſidio properare Scythas, totumque teneri
Præſidio collem, turmasque inſtare ſequaces:
Millia multa virùm, toto quæ barbarus Euro,
Et Tanai è toto, totoque acciverat Auſtro.
At non Cæſareis tanto timor ullus ab hoſte
Illatus, lauri nec ſpes concepta pependit.
Quisque micat fidens oculis, quisque expedit arma:
Ingeminantque animos, & bella ferocia poſcunt.
At varians inter proceres ſententia primos
Viſa eſt: in caſtris, ipſoque ſub aggere valli
Expectare hoſtem pars hæc cenſebat: at illa
Actutum in campos animoſam educere pubem,
Viribus & totis confligere. Conſul ab alto
Tum ſublimis equo tali ſermone juventam
Alloquitur: Sit veſtra licet mihi cognita virtus
Tot pugnis, ut certa queam ſpondere trophæa,

Lotharus ſuos intra caſtra continet, eosque erumpere geſtientes admonet tutius tueri caſtra ſitu valida, ac vallo.

Et Deus hanc certo pariter ſpem numine firmet:
Attamen hæc potior mihi nunc ſententia menti,
Et jam maturata ſedet, defendere caſtra
Tuta ſitu valido, & duplici circumdata vallo.
Urbis, & obſidium ſimul omni urgere operum vi:
Et dabitur ſuperare, ſuis dum militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica Divi.
Et quod majus erit, dabitur ſuperare, tyranno
Threiciùm tantis coràm ſpectante catervis.
Qui citus Aurora venit, mihi credite, ut eſſet
Virtutis veſtræ teſtis, veſtrique triumphi

Ipſique gloriæ futurum quod validam urbem, coram hoſtili exercitu expugnaſſent.

Spectator. Præſignis amat victoria teſtes.
Spectatore nitent & pulchrius hoſte triumphi.
Nullo ſuppetias urbi, obſeſſisque ferente,
Expugnaſſe, quidem, fateor, non ultima palma:
At verò, innumeris cum viribus hoſte propinquo,
Et faciente animos, & opem ſpondente, feroces
Edomuiſſe viros, & perrupiſſe ſub arcem,
Hoc equidem ſublime decus, hæc gloria ſumma eſt:
Conſul ut hæc, omnes fremitu aſſenſere ſecundo
Auſtriaci, viſumque olli ſedet omnibus, ulla
Nec mora, Dux vallum victricia ſigna ſub ipſum
Explicat, opperiens, ſi fortè irrumperet, hoſtis.
Interea peditum lectas virtute cohortes
Sors quibus aggreſſum tentare, & fortia facta
Obvenit, tali breviter ſermone profatus,

Ac.

Accendit ſtimulis: Hæc eſt, fortiſſima pubes,
Illa dies, veſtrum quæ tollet in æthera nomen:
Laudibus & ſummis ventura in ſęcula mittet.
Quod paucis Fortuna dedit, (quis crederet?) ultro
Contigit en vobis: veſtræ virtutis ut eſſet
Teſtis & ipſe, ſuis & tot cum millibus hoſtis.
Et tacito quamquàm vobis applauderet ore,
Robore ſe veſtro vinci potuiſſe: decoras
Ite igitur forti palmas decerpere dextra;
Quæ vos perpetuis, quæ Romam laudibus ornent.
His flos delectus juvenum ſuccenſus, in arma
Irruit, & muri per fragmen adire ſub arcem
Conatur: magno contra luctamine Thraces
Obſiſtunt, certi non cedere: denſus utrimque
Funera dura ferens torquetur ferreus imber.
Threiciique cadunt paſſim, miſtique Latini.
Fortis Aladinus labat ictus, & acer Alaſtor,
Ductores Thracum primi: queis tempora glande
Aſtiades gemina fregit, miſitque ſub Orcum.
Aſtiaden contra, divùmque, hominumque Ramartes
Contemptor, cædit, per ſtrata cadavera muros
Scandere conantem, turrimque ſubire parantem.
Lata venenato perfringens pectora telo.
At tanta Medicæus ovantem cæde Ramartem
In latum intorta trajecit glande: ſimulque
Occupat objecti latus aggeris: atque ruentem
Vi magna Arminem deturbat. Opertus Alymum
Enſe petit, mediumque inter præcordia condit:
Et victor muro ſeſe infert: ah! precor, auſis
Ne tantum, juvenis: plumbi latè obrutus imbri
Decidit, & ſecum patriæ ſpes abſtulit omnes.
Parte alia turmas inter ſupereminet almus
Marſorum Dux, egregio qui clarus avorum
Nomine, & inſigni titulorum faſce ſuperbus,
Majorum virtute ſua affectabat honorem.
At non æqua viro favit Fortuna: ferocem
Niſſea dum ferro cædit, dum cædit Orontem,
Et ſuper incumbens durum Cidona trucidat,
Plurima qui dederat fortiſſima corpora letho,
Fragmine ſubnixus medio, latus ignea rumpit
Glans olli, ſiphone cavo quam durus Haleſus
Intorſit: tamen ille, leo ceu pulſus, in hoſtem
Vertitur, & valido diſcindit Memnona ferro
Per medium: celeres quem non juvere ſagittæ,
Non tunicæ auro ſqualentes, atque ærea ſcuta.

Mox copias intra vallum explicat, ſuosque ad pugnam acribus ſtimulis urget.

Urbs interea invaditur.

Certamen deſcribitur, in quo plurimi viciſſim cadunt.

Marſorum Dux Piccolomineus laudatur, & illius mors refertur.

Sed

Sed jam labentem multo præ sanguine dextra
Accipiunt famuli, & sua sub tentoria ducunt.
Hic duros inter stimulos, sævosque dolores
Magnanimus mortem oppetiit: dux inclyte, quantam
Spem tecum rapis: ah! tristi te Fucinus unda,
Te patrii flevere lacus, mœstæque Napææ:
Atque ipsi in Marsis fleverunt montibus ursi.
Sed non impunem passus Mormilis Halesum
Ire diu: subitis congressus passibus illum
Occupat, & valido transverberat ilia pilo.
Mactat & hinc Rœsum, & fulgentibus exuit armis.

Aliique viri fortes celebrantur, inter quos Paulus Carafa.

Quem manus Odrysium telis stipata coruscis
Ilicet aggreditur, crebros, & duplicat ictus.
Ille ferox, vultuque hostes interritus omnes
Sustinet: ac ferrum rotat indefessus: & arte
Vique ictus vitat cunctos, tectusque tenet se.
Donec bello acer dubia in certamina Paulus
Carafidis præclarus avis, gestisque superbus,
Occurrit: cuneumque inter se fervidus infert.
Fistula & Oromedum primò confodit ahena
Ductorem Thracum, sociumque intercipit Hæbron:
Mox ferus eductum vagina assurgit in ensem,
Diffinditque humeros spontè occursantis Arini:
Addit & huic Steropen, cujus discissa cerebrum
Tempora diffundunt: sequiturque hunc proximus Arcon,
Cui latus ingenti connixus robore findit.
His cæsis, valido portæ ceu limine fracto,
Hostiles aperit cuneos, seque urget ad arcem.
Quem ponè insequitur victor Mormilis: uterque
Calcidicæ Sirenis honos, & gloria Martis.
Hæc dùm perfracta murorum in parte geruntur,

Barbarus interea per occultam vallem submittere auxilium aggreditur.

Barbarus auxilium sociis submittere, tali
Conatu aggreditur: cœco conclusa recessu
Vallis erat, firmo valli non aggere cincta,
Non turri, raris & custodita maniplis.
Ille hàc suppetias delectas ferre cohortes,
Imperat, & valido turmarum robore firmat.
Jam mediam tacito penetrarant agmine vallem
Threicii, & primo vigilum custode necato,
Jam jam disrupto properabant aggere in arcem.

Accurrit Lotharus, & hostes intercipit, & magna clade repellit.

Tum Consul magno accitus clamore suorum,
Accurrit, lectasque trahens ad prælia turmas,
Cominus Odrysios intercipit: & simul acrem
Ductorem petit Orcanem, cui pectora glande
Fistula ab ærata displosa trajicit: alto

Pro-

Pronus equo labat ille, animamque reducit in Orcum.
Hinc ensem gemmis intextum, auroque nitentem
Gemmata pariter vagina educit, & Ælon
Audacem, ingentem transverberat: ilicet ille
Guttura transfixus toto vomit ore cruorem.
Mox ferit Achmetem, ferit Hilon, Hippodamumque:
Horrendasque ciet strages, & funera miscet.
Non secus ac saltus cum perrupere feroces
Getuli, & parvos rapuere ex ubere natos,
Ira agitata fremens, toto furit ore Leæna:
Audacemque domat primum, domat inde secundum:
Dentibus & latè clades, atque unguibus edit.
Despumatque atro venantum sanguine arena.
Confestim versi fugiunt, spectante supremo
E tumulo ductore, Scythæ: fremit ille suorum
Aspiciens stragem: sed non toto agmine belli
Fortunam tentare ausus. Quid, barbare, cessas?
Tum Consul longè increpitans: non dura tuorum
Funera, casuræque tuæ non urbis acerba
Fata movent? nullusne animum tibi tangit honoris,
Vel famæ stimulus? potius decumbere toto
Agmine præstaret, tali quàm vivere probro.
An forsan juvenum tot millibus usque reposto
Ex Euro venisti, ut certior inde tyranno
Nuncius acceptæ cladis, captæque redires
Urbis? habes tua vota: refer spectata tyranno.
Consul ut hæc victor Rectori objecit Eoo,
Arcis ad obsessæ muros se vertit, ovanti
Agmine stipatus sociorum, & talibus orsus:
Vicimus, ò socii: castrorum ex aggere pulsus
Thrax abiit: clausis nec spes manet ampliùs ulla.
Obnixi licet obsistant, licet omnia tentent,
Corporaque objectent pro vallo interrita, tandem
Virtuti cedent vestræ sua mœnia victi.
Ergo agite, & magna cœptos virtute triumphos
Perficite: ipse adero dux vobis, agmine primo.
Hæc ubi, prorumpit sub fragmina: sed citus alto
Ab Jove demissus nitido descendit Olympo
Ales, & ætherio protexit corpora scuto
Consulis, alato ne plumbo objecta paterent.
Cujus erat nimium magno dilecta Tonanti
Vita, triumphales starent quo sospite fasces,
Sanctaque Religio Patrum, ritusque Latini.
Protinus hinc illinc sclopis displosus ahenis
Plumbeus, & latè densus volat horridus imber,

Ceu Leæna in catulorum raptores irrumpit.

Mox ignaviam Odrysiæ Duci objicit, eumque provocat.

Inde ad suos redit, eosque magnis dictis animat, ut tandem in arcem irrumpant.

Et primus ipse hostem aggreditur, & ne lædatur, divinitùs tegitur: sicque acerrima pugna.

Mil-

Mille ferens ſecum mortes, & funera mille.
Exultat multo Mars ſanguine: nec datur ullum
Ictibus effugium: ceu cùm denſata repentè
Turbine de cœlo crepitanti murmure grando
Præcipitat ſeſe in campos; ſata protinus omnia
Icta cadunt, culmique cadunt, excuſſaque paſſim
Poma jacent: laceroque jacet ſtrata uva racemo.
Actutum percuſſa pilis ſternuntur utrimque
Fortia quæque virùm bellantum corpora: cædes
Vulneraque, luctusque, & plurimus undique ſanguis:
Inque oculis terror verſatur, & horrificum mors.
Ignivomi poſtquàm cecidit fragor æris, & acer
Egregium pubis florem demeſſuit imber,
Cominus arma armis occurſant, atque viro vir
Congreditur, deduntque neci, danturque viciſſim.
Arduus ipſe ſuper muri ſtat fragmine ductor
Threiciùm, pulſusque patet immotus ad omnes.
Exemploque ſuos, dictisque accendit: & unus

Thracum ductor contra audaciſſimè pugnat, unusque ipſe omnes ſubſtinet: non ſecus ac quercus, luctante Borea.

Suſtinet adverſas acies, & cominus enſem
Fulmineum rotat impavidum, ſtragemque Latinis
Magnam infert: magnus circumſtat cædis acervus
Illius ante pedes, multoque it ſanguine rivus.
Non illum tormenta movent Vulcania, bombis
Exploſa horrificis, non plumbi lethifer imber;
Non fumi globus ater, & igne immixta procella.
Atque ſui quamvis ſe circum turbine tanto
Concuſſi nutent, ſtat ſed firmiſſimus ipſe:
Nec cedens retrò pugnacia pectora flectit.
Non ſecus, ac corylos inter validiſſima quercus
Cùm Borea concuſſa fremunt maria alta: flagello
Aërio coryli pulſæ flectuntur: at ingens
Stat quercus ventis, ſtat deluctata procellis,
Mole ſua immota, & radice innixa profunda.
Magnum equidem, Scythico quamvis in pectore robur.

Laudatur uti fortis, ac magnanimus.

O utinam Latia natus de ſtirpe fuiſſes:
Quàm pulchra ornatus laude, & virtutibus ires.
At quoniam inſignes animi laudantur in hoſte,
Non ego te tacitum quocumque hoc carmine linquam:
Noſtra hæc dum relegent ventura in ſecla nepotes,
Fragmine te ſuper obnixum, ferroque tonantem
Victorum multa cecidiſſe, à cæde ſuperbum,
Laudabunt, plauſuque ferent in ſæcula nomen.
At Conſul tanta Thracis virtute triumphos
Differri impatiens, volat obvius: & jacit ære
Fulmineo glandem: ruit illa excuſſa per auras

Ful-

Fulminis in morem, pulsuque irrumpit acuto
Trans thoraca latus, cordique infixa resedit.
Confestim torvo Thrax nictu lumina torquens,
Multa minans, bellumque ferens descendit ad Orcum.
Haud mora, vi tandem, velut aggere flumen aperto
In campos ruit, & victor latè occupat arva,
Urbem in devictam fertur pleno agmine miles,
Cuncta ferox terrore replens, & funere acerbo.

Tandem ab ipso Consule occiditur, ipsoque cæso, urbs capta.

Sic demum imperio superata Sicambria nostro,
Accessit, domitique Avares, Hunnique rebelles,
Egregia LOTHARI virtute, & mente sagaci.
Æternum meritos statuet cui Roma triumphos,
Perque omnes referens ætates fama superstes,
Illius & palmas, & dignos dicet honores.





BELLICORUM

LIB. DECIMUSQUINTUS.

AT quoniam certo Fatorum ex odine sæpè
Alternat Fortuna vices, & fortior armis
Hostis aperta tenet, structisque invadere turres
Molibus, & raucis parat oppugnare metallis:
Idcircò obsessos, quæ tum solertia muros
Tutari, & validos operarum evincere nisus:
Machina quæ contra sit agenda, & difficilem artem,
Expediam. Vati Sirenes, numine vestro,
Dum vestrum Elysium vetus hospes, & aurea Tempe
Lætus habet, placidaque sedet sub pace, favete,
Atque olli vires tantorum in fine laborum
Instaurate novas, numerosque adjungite vestros.
Nàm velut à bellis procul, & civilibus armis,
Tota quibus furiis Europa immanibus acta,
Ferv et, agens latè luctus, & funera mille,
Felic i recubans hac tranquillissimus ora,
Et Musas inter Vates, docet ardua fortes
Bella duces, insuetamque ad certamina pubem
Instruit, instructamque tuba simul excitat acri:
Sic pacata licet sint vobis otia cordi,
Et choreas unà, & cantum exercetis ovantes
Antra per, & scopulos, & saxa virentia musco:
Attamen, ò Divæ, bellacia carmina, & œstrum
Fulmineum, & pugnas, Martemque afflare potestis,
Quare agite, è vitrea spumosæ Tethyos aula
Huc ò præsentes, Acheloides, usque venite:

Sirenes invocat, easq; hortatur, ut in fine laborum novum œstrum inspirent.

Inque operis tanti partem properate ministræ.
Inque tuo, Colomeli, sinu si dulcia Vates
Otia Musarum, secretaque gaudia captat
Autumno pingui, procul urbe, forique tumultu,
In primis tu dextra veni, placidique foveto
Temperie cœli læta, & felicibus auris.
Munitas cui cura arces commissa tueri,
Plurimus invigilet, nitidis ut semper in armis
Excubet, assiduoque labore exercita pubes:
Desidia ne forte pigra deferveat ardor
Martius: atque minus pugnæ, minus apta labori
Illa sit, horrendo resonant cùm classica cantu.
Cura neque hæc tantùm tibi, dux, adhibenda, subortum
Cùm bellum populis, atque armis omnia fervent:
Verùm etiam quando compostis fœdere rebus,
Cuncta fluunt tranquilla: viget sic vivida virtus:
Sic operi intentam non frangit inertia pubem.
Quin etiam (secura diù pax nulla) repente
Exoritur casu bellum, & versutior hostis
Improvisus adest armis, nulloque cruore
Protinus incustoditas intercipit arces.
Sive igitur bellum, sint pacta, aut fœdera, semper
Est hominum suspecta fides, quos fervida mutat
Ira, vel imperii nunquam saturanda libido.

Arcium custodia numquam negligenda, sive pacis, sive belli tempus sit.

His actis, sequitur labor alter, scilicet urbis
Omnia sint instructa, diu superesse ferendo
Obsidio ut valeant, & spes frustarier hostis.
Ordine sit longo vallis munita refixis,
Aggere & objecto via loricata, profundæ
Sint vacuæ pariter fossæ, sint mœnia firma.
Sint armata suis & propugnacula ahenis
Tormentis, semperque pilas torquere paratis.
Si secus, haud longùm poterit neglecta teneri
Arx, habeat quamvis intus fortissima in armis
Præsidia, & multum victus, bellique paratum.
Rebus in his pigri rectoris inertia sæpè
Prævalidas positu, & munimine perdidit arces.

Arces semper instructæ sint omni apparatu: quo sine defendi diu non possunt.

Solerti simul, illa duci stet cura, propinquis
Plurima nimirùm è campis vectare sub urbem
Suffectura sibi geminos alimenta per annos.
Nàm licet hoc ævo, quatimus quo fulmine turres,
Ignibus & rapidis, non urbs, firmissima quamvis,
Ceu Troja, in decimum quæ hostes differat annum.
(Altera vix illam inveniet nitidissima Luna.)
At munita tamen quia sæpius oppida largo

Plurima item sit asservata in cellis annona.

Obsidio cinguntur, amat cùm mitior hostis
Expugnare fame validissima mœnia, non vi:
Quin etiam steriles agri opportuna negabunt
Nonnunquàm victu, cùm circumfundimur armis;
Et cætera ad victum necessaria.
Idcircò semper frumentis horrea plena,
Sint cellæ Baccho, nec equis sua pabula desint.
Plurima præthereà simul his servetur oryza,
Et cicer, & faba, lens, & castaneæ hirsutæ.
Sint carnes sale conditæ, sint & quoque pisces
Siccati ad Solem: nec copia desit aselli,
Anglia quem mittit, nec quem Trinacria, Thynni.
Sit quoque vi Vestæ de puro expressus Jaccho
Igneus humor: agit quo non præsentius ullum
Torporem procul è membris, frigusque malignum.
Ut benè consultum victu, seges horrida Martis
Sufficiens servanda tibi in certamina longa.
Tormenta in primis sint plurima: sint & ad usum
Et item, quæ ad tolerandam obsidionem opportuna sunt.
Armamenta, sit & pyrii quoque pulveris ingens
Copia: sintque pilæ, glandesque, & flammea chytra:
Sed neque sylvarum desit vis multa, ruinam
Qua structo possit vallo, farciri er arcis:
Quaque alimenta igni dentur, victuque parando.
Insuper indumenta tibi sint plurima: miles
Ne lacero in pugnas unquàm descendat amictu.
Nil etenim magnos animos demittit, & altam
Virtutem juvenum, quàm scissa, & sordida læna.
At nitidæ vires tunicæ, ardoremque ministrant.
Scilicet his fastum induimus: quo præpete cursu
In pulchram ferimur laudem, palmamque meremur.

Hactenus illa, priùs quæ sunt peragenda, propinquus
Mœnia quàm circùm sedeat legionibus hostis.
Tempore nunc verò tali quæcumque gerenda,
Præcipiam. Sit prima igitur cognoscere cura,
Vires hostium indagandæ, & situs item castrorum.
Hostica quot teneant bellantes castra, quot æra
Pulsatura tuas habeant muralia turres.
Et quem quæque locum statio fixa occupet, & quot
Præfixæ: & primi quæ sit ducis, ampla, supremo
Vertice cui roseo niteant vexilla sub ostro.

His animadversis, primus conatus ahena
Ictibus assiduis explodere: & undique signa
Hostica lethifero flammarum evertere nimbo.
Ac velut horrificus cùm vasta per æquora turbo
Sicut navis Rector in tempestate sedulus invigilat, inque omni parte præsens est.
Rectorem navis comprendit, aquosus & æstu
Arietat in puppim magno Neptunus, & acres
Flatibus adversis discerpunt lintea venti:

Tùm

Tùm tempeſtati ſeſe ille opponit, & undis
Impiger: ingentes dant ipſa pericula vires.
Ergo hos in proram juvenes ſuccedere, & illos
Præcipit in puppim: latus his committit utrumque:
Turgida vela aliis, dare nunc cùm juſſerit, & nunc
Contrahere, & rapidi vires eludere Cauri.
Hos patulas mandat rimas ſarcire, fatiſcat
Si fors navigium: bibit & quos ante dehiſcens,
Egerat hic fluctus, æquorque remittat in æquor.
Ipſe ſed aſſiſtens clavo monituque, manuque
Cuncta regit, ſurgitque animo par omnibus unus.
Quodque ſui poſtquam perfecit muneris, ipſi
Cætera Fortunæ committit. Non ſecus arcis
Obſeſſæ Præfectus aget, cùm ſæva procella
Incubuit, magnoque fremit Bellona tonitru.
Virtute aſſurgens major, majore periclo,
Præſenti ocurrat fato generoſus, & illos
Robore præſtantes in propugnacula mittat:
Explorata fides quorum eſt, cuſtodia portæ,
Loricata aliis via ſit commiſſa: ruentem
Qui primi excipiant hoſtem, teliſque morentur
Fulmineis: vaſtas illos reparare ruinas
Murorum jubeat, ſubitumque attollere vallum,
Faſcibus aggeſtis: alios erumpere, & omnia
Eruere, in muros quæ jam deduxerit hoſtis.
Arcis at ipſe tenens conceſſæ fortis habenas,
Conſilio cuncta, & dextra moderabitur acri.
Quæque ſuo complevit ubi pro munere, quidquid
Venturum manet indè, ſinat decernere Fata.
Quidquid erit, quod Fata velint, virtute ferendum eſt.

Sic faciat Dux in obſidione opus eſt: idque ubi perſtiterit, fortunæ cætera committenda.

Te verùm impensè moneo, tu dicta revolve
Aſſiduè, dulci correptus laudis amore,
Ne te confeſtim, ſub aperta pericula mittas:
Præcipuè dubius cùm primo in limine rerum
Mars pendet: ſperare datur felicia quando,
Præfecto incolumi, ſociamque in prælia pubem
Exemplo, magnoque auſu, & ſermone vocante.
Si verò intereat, ſpes occidet omnis, & urbem
Certa manent tùm Fata: velut rectore revulſo,
It vaga naufragium pelago factura carina.
Quin etiam obſeſſæ præfecto turris adempto,
Diſſidia interdùm (peſtis creberrima primos
Orta duces inter, cùm de moderamine certant;
Quæ palmas ſæpè, & munitas perdidit arces)
Naſcuntur, trepidis multum contraria rebus.

Cavendum ne Rector ſe periculo exponat, nam ſicuti, navis Gubernatore ſublato, illa fluctuat, ita Duce occiſo, amiſſa arcis ſervandæ ſpes eſt.

Hanc

Hanc arcere luem poterit priùs ipse Senatus,
Rectorem statuens, casso qui lumine primo
Urbis in imperium veniat, bellique gerendi.
Sed quoniam premit insultans inimicus, & æra
Collucent flammis, quæ sunt propriora sequamur.
Et primùm, ratio quæ sit per mœnia pubem,
Per prætenturas partiri, ubi machina muros
Jàm petit, instructoque hostes stant agmine, dicam:
Si propugnaclis arx quinque incingitur, illa
Corpora lecta virùm tercentum singula poscunt.
Quinquaginta alios, si sex non ampliùs, adde.
Si septem fuerint, tum quadrigenta locato.
Sunt, bellatores qui tot voluere sub arce,
Loricata pedes via quot complectitur: una
Non tamen est cunctis ratio communis, uti una
Non est conditio: situs hanc tutatur, & amnis;
Pluribus idcircò non indiget: illa fatiscit
Si veteri munita modo, majora requirit
Præsidia: immensis si barbarus irruat undis,
Millia multa decet te tum submittere in urbem:

Qua ratione per propugnacula, ac muros distribuenda sit pubes.

At cuneata tuos si munimenta recessus
Aggeribus saxorum altis, prætentave portæ
Præcingant, cives qui vincla jugalia non dùm
Experti (reliqui non apti ad prælia) turris
Interiora sinas tutari septa: sed extra
Quæ muros instructa, hostisque objecta furori
Prima patent, jubeas veterana pube teneri.
Viribus electis semper primùm excipe robur
Hostis, ut evaleas illi superesse: furentum
Unda velut pulsu ventorum agitata frequenti,
Si primùm in scopulos porrectos incidat, illi
Frangitur: inque sinum vi mox contusa minori
Irrumpet: sic hostis ubi fuit impete fractus
In primo, veniet mox segnior. Altera Vatem
Sed jàm cura subit custodia scilicet arcis
In propriis figenda locis, & tempore certo,
Assiduè muros, & propugnacula servent
Excubiæ: & fraudes, si forte parentur ab hoste,
Aut intestino si desertore, reportent.
Vestibulo in primo juvenis versutus in armis
Excubet in specula: verùm si longior, ipsa
Quàm lex æqua petat, muri frons plana recurrat,
Illius im medio miles præfigitur alter.
Aggeris inque vigil statuatur cuspide. At horam,
Qua varianda tibi fuerit custodia turris,

Si prætenturis præcincta sit urbs, in his pubes locanda: cives urbem servent.

Quibus in locis vigiles locandi sint.

Accipe: cùm decima ab nocturno cardine rauco,
Postque diem medium cùm redditur ære secunda,
Tum custoditum procedat mœnia miles.
Nam tum exiguas Sol excelsissimus umbras
Cùm faciat, lorica viæ, fossæque patescunt;
Hostes fraude mala, ne forte abdantur in illis.
Tunc etenim occultam cùm fraudem protegit umbra,
Intercepta dolo nonnumquàm mœnia: cautè
Idcircò mutandus erit speculator. At urbis
Si qua minus pars tuta tibi prævisa, frequentes,
Et fidos illa excubitores parte repone.
At verò excubiæ ne sint in munere segnes,
Sint aliæque vagæ, quæ circùm singula lustrent:
Sique sua, observent, vigiles statione residant,
An somno oppressi jaceant: an hostibus ultrò
Dent aditum, fraudemque malam meditentur in urbem.
Qui sparsi circùm speculatum mœnia cursant,
Sint gemini, quorum seniori tessera detur:
Nocte facem cornu conclusam deferat alter.
Quale ministerium non dedignentur & ipsi
Interdùm primi proceres, Consulque subire.
Et quoscumque gravi somno, vinove jacentes
Inveniunt, tanto capitis pro crimine pœna
Confestim plecti jubeant: dignissimus illa
Communem in populi peccat quicumque salutem.
Austriadæ magni exemplo, qui primus Ibero,
Primus & Augusto præfulsit clarus in ostro.
Ille etenim noctu muros cùm viseret, alto
Demersum somno vigilem videt, ilicet illum
Præcipitem summo in fossam de vertice mittit:
Inque suos conversus, Erat jam mortuus, inquit.
Sed quibus instantem valeat expellere somnum,
Fallere longa moræ vel tædia, protinus addam.
Principio statione juvat cursare frequenter:
Non facilè irrepit, cùm quisque perambulat ater
Somnus: & Ammericæ fumantem frondis odorem
Fictile de calamo confert haurire libenter:
Siccat enim nimium humorem, somnumque repellit.
Prætereà Bacchi, quo non præsentius ullum
Torporem excutere, & solitum revocare vigorem,
Stillatum epotet laticem, populique saluti
Propinet: crebroque sonum ciat ære canoro;
Quò se tum doceat vigilare. Sed ilicet ipso
Ab Duce danda aliis qua sit ratione ministris
Tessera, præscribam: roseus cùm mergitur undis

Quibus horis per certas vices permutandæ custodiæ.

Statuendæ etiam vagæ custodiæ, quæ, aliorum studia, ne solertiam explorent: idque munus ipsi Duces subeant.

Carolus V. cum sopitum vigilem deprêdisset, in fossam præcipitavit.

Qua industria vigiles se à somno liberent.

Quando tessera danda à Duce, & quibus.

Sol

Sol Tartessiacis, currumque inflectit ad Indos,
Præfectum, ut signum poscat, Legatus adhibit.
Quodque velit tacitus ferat hic illius in aures:
Ne qui forte datum accipiant, hostique reportent.
Hinc accepit ubi Legatus, & ipse sub aures
Omnibus acceptum Instructoribus inferat: illi
Turmarum ducibus referant, primisque tribunis.
Tessera, Rector, erit, Divi cognomen amici,
Seu Divæ, quorum est turris custodia curæ.
At ne sæpè eadem repetatur: & altera præter
Militibus primam si fors tradatur, ad arma
Si conclamari subito rumore necesse est,
Instrumenta tibi faciant tum bellica nomen.

Varianda identidem.

Verùm spargendus quando sit rumor, ut arma
Expediant juvenes, nostro jàm carmine dicam.
Terrorem è vallo cùm tu meditaris inanem
Hostibus inferre, ut subita formidine capti,
Ex operis fugiant actutùm, sede relicta.
Insuper, ingenti varius si civis in urbe
Suspectus tibi sit, faveat quia forsitan hosti,
Tum conclamari, sed cautè præcipe: iniquo
Sic animo quotquot fuerint prodentur, & ipse
Promeritam sumes infido à sanguine pœnam.
Et quamvis quocumque cieri tempore possit
Clamor in arma, tamen nox est accomoda fraudi
Concubia: è falso vèrum discernere opacis
Non datur in tenebris, crescitque per horrida terror.

Quando ficto clamore ad arma conclamandum, & quibus ex causis.

Sed non externo minus ab rumore periclum
Esse solet, quod tu poteris sic ante cavere:
Continuò solers ultra custodia fossam
Excubet, adproperantem hostem cæsura, tumultus
Cum fiunt: crebrò mutetur & utraque signi
Tessera; ne qua nigra possit fraus nocte parari.
Si verò vigiles capti formidine inani
Clamavere, luant pœnas. Sed durior urget
Cura, per accessus obliquo tramite ductos
Sub murum tacitis venientem gressibus hostem
Aggredi, & assiduis insultibus exturbare.
Ast erumpendi quæ tempora, qui modus, addam:
Plurimus obsessa fuerit si miles in urbe,
Fiat in hostiles eruptio crebra catervas.
Si secus, illa tibi sit rara, feroxque fatiga,
Dux, hostes, ut posse datur: sic sæpè moramur
Obsidium; quod ubi in seros procedere menses
Incœpit, validum minus est: & segnior hostis

Quomodò ab hostili clamore cavendum sit.

Ars traditur eruptionis faciẽdæ ad hostium opera, aggeresque exturbandas; ut longè à muris arceatur.

Con-

Concepta sensim spe decidit: acrior artus
Lethifer invasit veluti cùm morbus, & ægra
Paulatim membra insultans depascitur: arte
Si quis Pæonia, fretusque salubribus herbis,
Fallere tum pestem poterit, lentèque domare:
Spes erit & vitæ misero: violenta remittunt
Paulatim sese, & longo post tempore cedunt.

Insuper, insultus quando meditaris in hostes,
Ante dies aliquot clamari præcipe sæpè.
Fraude fatigatus tali lentescet, inani
Conclamata ruens inimicus ad arma labore,
Atque opus inceptum linquet: verùm ipse caveto
Ne quis fortè stata erumpendi tempora noscat.
Hæc etenim, celeri ferventia prælia nimbo,
Improvisa valent hostem superare latenter.
Non secùs, ac segnes nocturno sydere nautas
Cùm subitus turbo comprenderit, ilicet alto
Absorbere potest: at si præviderit, astra
Observans cœlo cautus de puppe magister,
Excussitque suos, misitque in vela, pedesque,
Haud equidem tanto tempestas impete pinum
Excutiet: prævisa cadit vis effera venti.

Ante dies aliquot quam erumpas, fac ut ad arma conclametur, curandumque ne quis tempus erũpendi prænoscat.

At quot ab obsessa prorumpant arce, tuorum
Pro numero, objectique situ muniminis ipse
Decernas: sed prima tibi sit cura videre,
Mœnia præsidio ne fors tenuata relinquas.
Rectorem pubi egregium, bellique peritum
Præfice: tu nunquàm commissa exhibis ab urbe.
Ipse gubernator ceu nunquàm à puppe recedit,
Nec sibi commissas, alii concredit habenas:
Qui tibi delecti, brevibus stipentur in armis:
Funditor inter eat quos plurimus, ignea dextra
Mala ferens, fascesque, ollasque bitumine fœtas.
Sint & fossores vecte, incurvoque ligone,
Ut cœpta incendant opera, exturbentque, ruantque.

Qui ad eruptionem destinandi, & quibus muniendi armis sint.

Accipe & insultus quæ tempora: corpora postquam
Curavere hostes, media jam parte diei
Exacta; longos post prandia sæpè solemus
Cùm tenui somno fessi diffindere Soles,
Atque cibo oppressi nimio torpemus, & æstu.
Interdum de nocte juvat, ceu fulgur, in hostem
Turbine bellaci descendere: plurimus umbris
Augetur timor in furvis, crescitque periclum.
Quarta igitur cœlo noctis cùm labitur hora,
Vel cùm jam primo festinat Lucifer ortu,

Quo tempore eruptiones ab arce in hostes faciendæ.

Egrediere: dies ubi dicta effulserit, alto
Ponte super, cymbave, fluat si rivus, ovantes
Transmittant turmæ fossam mox dirige & illas
Largum ubi castellum valli procurrit in æquor.
Verùm hic est illud solertius antè videndum:
Ne forte, incœptis si non Fortuna secundet,
Dum pulsus retrò ruit in secura, solutis
Ordinibus miles, tum terga impunè secutus,
Intermistus agat sese simul hostis in arcem.
Signa igitur ponas, queis discernatur ab illo.
Nimirùm labaro niteat si pileus albo,
Cærula sive illum circumdet tænia, vel si
(Interdum ludicra juvant) indusia tergo
Extabunt educta. Quid ò tardamus? apertum
En campum tenet adversarius; imminet & jam
Marginibus fossæ victor, minitatur & urbi.
Ergò agite, ò juvenes, nunc vi, nunc tempus & arte
Tutari parmas, valloque arcere profundo
Adventantem hostem: nam si pervenerit ipsa
Mœnia sub turris, spes nostra labascet: ut ægro,
Atra lues nigro serpens cùm forte veneno
Oppressit miserum, penitusque irrupit, & imas
Acrior in fibras pervadens corripuit cor.
Tunc ea Pergameum distentum cura Magistrum
Sollicitat, penitus subeat ne noxia venas
Contago: at primis teneuetur partibus humor.
Sic docti Rectoris erit solertia, longè
Instantem retinere hostem, atque expellere vallo.
Nam si sub muris dabitur se figere, Mavors
Cor petit insultans, & spes vix ulla saluti est.
Margine sed victor si jam consedit, & ære
Verberat assiduè parmas: quas scandere summis
E latere adverso conatur viribus; illum
Tu contra prohibe stationem imponere fossæ
Castello, aut ipsa perstare crepidine: sed qua
Arte queas hostem vallo defendere, tuta
Ab telis circùm quà loricata recurrit
Porticus, expediam. Medió stet tramite fossæ
Lecta manus juvenum, latus omne intecta, sub ipsam
Quæ crebrò adversam stationem fulminet ictu.
Prætereà spissos subter tellure caminos
Succendes; dimota ruat queis terra sub astra.
Ignes intereà jaciat, sulphurque juventus,
Agger, & insistens illo incendatur uti hostis.
At si non igni, fœdoque bitumine pulsus,

Cavendum ne si recedere coacti juvenes unà cum ipsis hostis in arcem ingrediatur: idcircò certis notis milites signandi.

Hostis longè à fossa arcendus, non secus ac morbus ab intimis fibris.

Cum hostis in fossæ margine stationem posuit, illicò pellendus. & qua industria, & conatu.

Mis-

Missile nec plumbo, præfixa sede movetur
Adversarius acer, & ignibus ipse, globisque
Perfurit; amissam tum turris distrahe partem,
Aggere confestim sabulo, vel vimine structo.
Ulcere ceu diro cùm tota putrescere cœpit
Dextra, nec evaluit Marsis in montibus herba
Quæsita, & succi Medorum, & balsama pestem
Pellere, per reliquum serpens ne se cita corpus
Contago insinuet, docta tum nobilis arte
Continuò dextram Celsus secat; atque salutem
Optatam, per acerba licet, dat protinus ægro
Parmula si fuerit, ducis qua forte receptum,
Angulus intus eat protentus cuspide acuta:
In campum excurrat, si cornua, sivè coronæ.
Fascibus & vallum attolles, seu vimine: & illud
Plurimus aggesta firmabit fossor arena.

Quod si pelli nequeat, illa pars, quâ occupavit, ab reliquis abscindenda: aggere illicò extructo.

At priùs abjegno facies de robore capsas,
In quibus ignivomas concludes plurimus ollas,
Et lapides, unàque æris fragmenta minuti.
Quas mox subter humum sicco cum fomite miles
Occulat: utque hostes jam conscendere, minister
Det flammas: accensa sinu cùm Vesta tonabit,
Dissilient cum tota illi statione perusti.
Ast abjegna tibi si non dant robora sylvæ,
Exiguos ipsa puteos sub sede cavato:
Inque illos sacco inclusum jace fulmineum sal.
Indè trabes, lapidesque simul transversa locato,
Et quidquid magnam natum est inferre ruinam.
Restis & occulitur, quæ mox exsuscitet ignem.

Subter etiam putei, vel cuniculi extruendi; qui mox accensi hostem perdant.

Sed superat quoniam adversarius, inque profunda
Consedit fossa, gressumque ad mœnia victor
Intendit, numero pauci cedamus: at olli
Non equidem fasces, non submittemus inulti.
Sed multa certum est virtute, atque arte magistra
Tutari fossam, spes & præsumere palmæ.
Quæ si sicca diù, defendi aptissima; quando
Plurimus agger ea seu tum, sivè ante parari
Transversus poterit: variumque crepidine, & intus
Fas opus attolli, longùm quod distrahat hostem.
At si stagnanti scateat, vel Najade viva.
Haud equidem multo servatur tempore; raræ,
Namque operæ in medio fabricari flumine possunt.
Arcibus idcircò semper siccata tuendis
Aptior est, riguo quàm quæ præcingitur amni.
At si fortè velis cùm fossam implere fluentis,

Cum obsessores in fossam descendere, qua ratione ea defendi possit.

Sicca faciliùs servatur, quam aquis stagnans; & cur?

Objice disclufo, valeas præstare, feroci,
Commoda præ reliquis ducenda est illa Gradivo.
Quæque etiam grandi fluvio labente rigatur.
Ardua sed quamvis hosti magis apta videri
Possit, humo in sicca quoniam procedere longis
Aggeribus fas est; verùm quia tota patescit,
Ignibus, obsessi jaciunt quos semper ab arce;
His igitur siccata favet, favet humida & olli.
At quibus arentem valeas defendere, paucis
Expediam, quando premit hostis, & explicuit se.

Principiò conare operis castrensibus ignem
Occlusum jaculari, inimicum & perdere: fossam
Idcircò totam juvat ante canalibus arctis
Obliquùm fodisse, graves qui sulphure quibunt
Hostem insultantem magna depellere clade.
Ad Cretam ut Venetos fama est fecisse; ubi omnis
Concava subter erat tellus perfossa caminis.
Mox quibus incensis, Orco tot millia Thracum
Demissa, & rapidis bis sunt data pabula flammis.

Fossa cuniculis ante cavata facilè servatur.

Prætereà vallum tutari tempore longo
Agger transversus poterit, scissuraque crebra.
Quà propugnacli latus extat, & aspicit æquor,
Loricam aggesto transversam cespite tolle:
Missilibus petat unde ferox hostilia pubes
Agmina; distineatque diù, ne fragmina muri
Conscendant, & signa illis victricia figant.
Quam si forte, ruens delecto flore juventæ,
Occupet hostis; ages mediis è mœnibus ipse
Tunc aliam, quò se pubes generosa reducat:
Indomitamque aciem virtute, atque arte fatiget.

Servatur item aggere transverso, ex quò obsessi missilibus hostem petant.

Verùm age, si fuerit stagnanti plena palude,
Vel scateat refluente, quibus tutaberis illam
Artibus, accipito. Cymbis invectus ab urbe
Egredere, & telis inimicum cede retortis:
Atque ollis, summo murorum ex aggere jactis,
Imbribus & stygiis, & grandine contere ferrea.
Verùm hostilis uti disrumpi vinea possit,
Qua rivum certant illi transmittere, tecto
E latere, assiduo pulsu, tormenta reclament.

Si aquis abbundet, cymbis armato milite plenis teneri poterit, ollisque è muro jactis, & crebrò tormento icta.

Sed quid jacti ignes, quid fœda bitumina, & imbres
Tartarei valuere? quid & vibrata metallis
Fulmina terrificis, totiesque ruentibus agger
Objectus? quando sors æmula, cæcus & hostes
Præcipitat furor, & medios immittit in ignes:
Accenditque animos, & vires sufficit acres.

Vin-

Vindictæ ſtimulus, laudisque immenſa cupido,
Nec minor his, regni ſpes affectata tyranno.
Quin etiam ingenium nobis magis acre nocendo,
Nosmet tutando quam ſit; quia ſcilicet ira
Fervidior calet, & vehementior urget amore.
Ergò ubi perrupit per fulmina crebra, per ignes
Adverſarius acer, ovatque in ſanguine victor,
Et vacuæ dominus foſſæ jam mœnia rumpit;
Tu ne cede malis, ſed ſpem, dux, concipe certam,
Tempore non longo, magna ſtipante caterva,
Adfore, ſuppetias ſociæ qui deferat urbi.
Quin etiam tabulas interdum fingere refert
Accepiſſe, quibus jam jam ventura referri
Auxilia, inque omnem rumorem ſpargere vulgum.
Qui ſi vera, an falſa, ignara è plebe requirat?
Credere quæ facilis, rerumque ab imagine duci.
Quin etiam cuncti quidquid ſperamus amantes,
Intuimur præſens, certumque tenere putamus.
Et falſi quamvis, hac ſpe lactamur inani,
Concipimusque animos, perque ardua tendimus ultro.
Rebus in humanis ea ſtat, quam concipis ipſe:
Et concepta trahit tua te ſententia, non res.

Actiùs in nocendo ingenium, quam in defendendo, & nocentior ira, quam amor fervet.

In ultimis rebus numquam amittenda ſpes: imò vana etiam lactandi ſpe militum animi.

Hac arte erectis animis, foſſore cavari
Noveris ut muros (poterit mercede referre
Transfuga, vel crebro reſonantia mœnia pulſu)
Extemplò jubeas calones intus acuto
Vecte movere ſolum, factoque per intima ductu,
Occurſare hoſti venienti, & perdere ferro.
Quique latet cœco concluſus fornice pulvis
Cominus extrahitur: ſed primùm reſte remota,
Ne Veſtam inſinuet: quam ſi removere negatur,
Infundantur aquæ ſuper ilicet: ire cavanti
Obvius ut valeas certò, & diſſlare cuniclum,
Stat varios hinc, inde cavos aperire meatus,
Serpere & obliquùm primæ de fornice cellæ.
Semper ubi ſolers nitidis cuſtodia telis
Excubet, interiora petat ne ſubdolus hoſtis.
Alta ſit hæc tantùm, vir quantùm ſurgit in auras.
Ramos quinque pedes, non amplius, erige: & unum
In latum accipiant hominem: rectaque cavandi,
Quà murum bombarda quatit: ſic certiùs ipſe
Invenies, quos ille ſtruit. Qui conſulit ante
Providus, ut primùm ſe tollit ſaxeus agger
Artifici factus dextra, tunc ille canales
Molitur, mediamque incurvat fornice cryptam;

Cum hoſtis cuniculos ducere, cognitum, illi, aliis occurrendum, atque opus exturbandum; & quà id arte perficiendum.

Mi-

Miles ubi custos vigil adstat, & unde patescunt
Diversùm per cœca viæ, ramique latentes.
Sed quid tot prosunt conamina? quidve futuri
Provida mens? magno resonant divulsa boatu
Mœnia, collucent ignes, & sydera fumus;
Et tellus submota tegit; caligine cœca
Omnia miscentur: volitantque ejecta per auras
Saxa, trabes, tormenta, viri, vallumque revulsum:
Turbine & horrendo nutans arx tuta remugit.
Heù! valuere hostes, ignemque dedere cavernæ.
Sed quid agas? quoniam sic vult fortuna, ferendum est.
At ne, Dux, animo desponde; est quippè magistræ
Artis adhuc virtus: tantam reparare ruinam
Qua possis, cantanti animos adverte, docebo.
Si munimenti pars evibrata patescit
Fragmine non multo, confestim fascibus illa,
Congestoque opplenda solo, fimoque tenaci.
His etenim subitus, solidusque attollitur agger:
Quo teneas currentem hostem, calidique remittas
Pectoris ardorem, & vires, facto objice, frangas!
Non secus undoso cùm ripas ariete rupit
Ingens flumen, aquis & jam superantibus undat.
Tum citus, & fasces, & terram congerit altam
Agricola, & vallum venienti opponit: & illo
Vasta tenet refluenta, graves & supprimit iras.
Proderit & capsas ollis, & pulvere plenas,
Fomite cumque ipso medio supponere hiatu.
Accensæ, prohibere valent ne fragmina propter
Præsignant hostes, disjecti turbine, sedem.
At si fulmineo quæ à nitro facta ruina
Murorum, sit vasta, patescat hiatus & ingens
Fragminibus super, ut nequeas sarcire paratis
Ex fimo, terraque, & fascibus, aggere facto.
Tum propugnacli postrema in parte cavari
Sollicito extemplo jubeas fossore caminum:
Nitratique cados ibi sulphuris occule, visum
Quot tibi, cumque unà saxis miscebis acuti
Frusta minuta æris, fœdumque bitumen; ut hostes
Vulneribus laceri, cœca caligine mersi,
Offensi nidore gravi, rapido igne præusti,
In rupto nequeant stationem ponere muro.
Aut raptim si fixa, citi decedere ab illa
Conentur, vitam vel nixi in fragmine linquant.
At si non operæ fumum castrensis haberi
Concessum, jacit assiduè quia missile plumbum

Quid præstandum, cum hostis cuniculū incendit, magnamque ruinam muro intulit.

Si parva ruina muri fuerit, illico fascibus est opplenda, aggestaq; terra.

Si verò vasta, in illa caminus cavandus est, & pulvere, ac bitumine replendus, atque incendendus.

Ho-

Hoſtis ab adverſo, & numerus latè ingruit ingens:
Fragmina lata ſuper tribulos, armataque raſtra
Cuſpidibus ſparges, plantas ſciſſura cruentis
Ictibus, in pugnam greſſu dum præpete currunt.
Quin juvat, & tabulas radiis munire refixis
Utroque in latere, & medio ſubſternere hiatu.
Aſper ibi pariter figatur Ericius: illo
Pubem obluctantem poteris per longa morari
Intervalla, cadat ſic fortior impetus, & ſic
Extructo valeas te circumcingere vallo.
Bellicus è ſolido ligno ſit, Ericius: æreis
Et circùm ſtimulis veſtitur (carmine noſtro
Hinc & Ericius appellatur nomine) trunco
In medio major, tenuatus vertice: & alto
Cardine firmetur medius, firmetur utroque
Extremo, gemino paxillo in fragmine fixo.

Tribuli item, & raſtra acutis cuſpidibus ſpargenda per fragmina.

Figendusque in ipſo hiatu Ericius.

Eſt & Equus pariter retinendis hoſtibus aptus
Friſius, artificis patriæ de nomine dictus.
Fagineo oblongus formatur robore, ſeno
Diſtinctus latere, ut transverſa foramina fiant,
Inque crucem compoſta: quibus mox præcipe longos
Inſerier radios, tornatos arbore querna,
Quique decuſſatim excipiant per mutua ſeſe.
Inter & hos alii rectà figantur: & omnes
E ferro ſtimulis utrimque armentur acutis.
Plurimus hic nexus (muri cùm larga ruina)
Orbibus æratis transversùm imponitur; acri
Ut contrà juvenes venientes mordeat ictu.

Item & Equus Friſius

Hæc cùm præſtiteris: non arti, neve labori,
Sanguine nec parcens, nulla virtute tueri,
Arte queant nulla, ſi fragmina, quid tibi tandem
Reſtat opis, quando non ſpes, non occidit omnis,
Accipe rem paucis: illa tibi ſaxeus agger
Parte abſcindendus, valido qua dirutus igne eſt,
Lorica actutum ſtructa, valloque recincta.
Illius in gremium convergat & angulus: ipſa
Inque vicem ſeſe latera, & convulſa tueri
Mœnia uti firmo poſſint munimine: acuti
Si propugnacli, rarum id, non impiger hoſtis
In frontem molitur opus, fac corniger extet
Agger, ut è gemina miles tutarier illum
Parte queat: rauco quatiat ſed ſi latus ære
(Rarius id faciet) ſerrato linea ductu
Tollitur: hæc acies ſe porrigat, illa reducat
Intus: at agger erit totus ſi forte ſecandus,

Quid agendum, cum inſtat hoſtis, & ulterius procedere conatur, ut victor propugnaculo potiat?

Scindenda nimirum ea pars, quæ laborat: & quo modo ſciſſura facienda ſit.

Tur-

Turriculam medio in collo molire rotundam,
Aut quadram: patrio quæ jam cognomine muri
Appellatur Eques; quem circùm linea currat
Utroque è latere extremo producta: sed illud
Solerter semper jubeo meminisse, resecti
Ut munimenti tibi colla patentia ductis
Aggeribus claudantur: erit simul altera structa
Castrensis scissura, diù qua mœnia serves.
Si fors festinato ad certa pericula gressu,
Intereà properet sociis exercitus alis:
Atque urbem obsidio promissis liberet & se.
Et quamvis sperare juvet, tamen ulla propinquo
De colle apparent notis undantia signis
Vexilla. At multus per castra hostilia rumor
Crebrescit, resonat Mars undique, & arma reclamant:
Forsitan illa petit dux improvisus, ut arci
Auxilia immittat furtim? spe fallor inani.
Corripite arma viri, ferte ignes, scandite muros:
Et solitos revocate animos, en appetit hostis
Urbem aggessurus: globus ò spectatis, ut ille,
Flos juvenum, primi sortem sortitus honoris,
Tendit in assultum, seque in sua colligit arma?
Sed vos, ò socii, fortissima corpora bello,
Viribus haud illis, haud & virtute secundi,
Ite, tot egregiis stat & hoc superaddere factis:
Et palmas cumulare novis: se sentiat hostis
Incassum tentasse virùm tot millibus arcem
Quam miles veteranus habet, scutoque tuetur.
Corporis objecti potius, quàm molibus altis.
Mœnia non urbi deerunt, dùm pectora stabunt
Hæc armata: novo semper non objice vallum
Deficiet, dum fortis habet hæc dextera ferrum.

Cum hostis insultum meditatur, hortandi milites, ut ad extrema magnis se animis comparet.

Talibus ut dictis animos accenderis, acres
Præcipies mox arma viros, & cuncta parari,
Aggressum quibus eludas, tentataque serves
Fragmina: sed quæ tela, & quæ solertia, dicam.
Ut primùm insultus meditari senseris hostem,
In loca, tormentis ingens ubi facta ruina,
Et faciles aditus dant saxa instrata, jubeto
Ærea pila, breves hastas, bifidasque secures
Afferri: mistæque illis sint fistulæ ahenæ:
Cominus expelli quibus adversarius armis
Consuevit, propiùs vallo cùm se intulit, & cùm
Vicina occursant arma armis, atque viro vir.
Præterea è ferro tunicæ, fascesque ferantur,

Quibus telis hi juvenes armandi, qui ad pellendos è fragmine hostes destinantur.

Vimi-

Viminaque, & ſacci, tribulique, armataque raſtra,
Atque pilæ, atque ollæ, bolideſque bitumine fartæ.
Armorum quæ cuncta foro longo ordine ſiſtes.
His actis, ſubit illa animum non ultima cura,
Seſe nimirùm inteſtina à peſte tueri.
Si cives hoſti faveant, ut ritè vereris
Ne fervet cùm pugna, tuos poſt terga laceſſant:
Omnem exarmari populum tum præcipe: tutis
Inque locis, quorum ſuſpecta potentia, cautè
Occludes: fortisque fores cuſtodia ſervet.
Excubet inque foris cuſtos, adituque viarum;
Ne qui forte queant conciri à plebe tumultus,
Hoſtis ut incubuit: tali quibus ordine cautum,
Ut jam dicta dies inſultu affulſit, & arma
Sole repercuſſa ardeſcunt, turmæque propinquant,
Armari totam confeſtim præcipe pubem.
In tres æquales quam mox partire cohortes:
Unam, luce cui cuſtodia contigit illa,
Fragmina tutari, & venientem arcere jubebis.
Quæ cuſtoditis è mœnibus altera venit,
Armorum ſtet lenta foro: manus ultima pubis,
In reliquis diviſa foris inſiſtat: & omnes
Stet prompta in caſus, parteſque accurrere, quò Mars,
Quò vicibus ſubitò verſis Fortuna vocabit.
Atque hic præmoneo, ne bellatoribus ulla
Mœnia nuda, licet per ſe tutiſſima, linquas.
Hæc etenim interdum ſolet aſtu invadere totis
Viribus adverſi dux agminis, ut ſine multo
Sanguine ſigna ſuper inimicas explicet arces.
Perge, labor properat jam Martius, & fera rauco
Pulſa ſono inclamant jam claſſica, & horrificum Mars,
Et rigidum violenta rotat Bellona flagellum.
Quæ pubes igitur fragmen ſortita, maniplos
In tres ſtructa, ſuper ſtet munimenta: feroces
Præcedant, hoſtis fracturi robora prima.
Hos galea inſigni, ſcutoque umbone nitenti,
Loricaque teges, ut ſe defendere ab ictu
Fulmineo plumbi poſſint; ærata ſed ipſi
Dextra pila gerant, & lenta haſtilia, & uncos;
Sintque bipenniferi nonnulli, aliique ſecures
Perſtringant, & quod perrumpere poſſe videtur
Pugnantum cuneos, verſoſque inſternere: & illi
Siphone ignivomo, ſclopoque armentur aheno.
Agmine qui properant pugnas urgere ſecundo,
Hi varios portent ignes, incendia cœca,

Ut ſit à cive cavendum, ſi hoſti favere compertum ſit.

Quâ ratione diſtribuendus ſit miles.

Nulla pars muri præſidio vacua relinquatur.

Quæ ſingulæ cohortes arma gerant.

Atque ollas, & quidquid adurere posse creatum est.
At qui postremo succedunt ordine, vallo
Vertendo incumbant: vel si premat impete magno
Adversarius adnisus perrumpere, primis
Auxilia extemplò portent, firmentque labantes.
Intereà, dum pugna calet, tu præcipe rauca
Continuò è latere obtecto tormenta tonare,
Grandineque horrisona pubem transversa ruentem
Sternere: nec glandes jaculari sclopifer altis
Cesset ab aggeribus, juvenesque immittere in Orcum.
Et quoniam dictis animi accenduntur, ut ignis
Nutrimenta capit vento, latèque relucet:
Idcircò socios hortare in prælia laudis
Spe tollens animos, magnæ & mercedis amore.
Plurimus & verbis, & vultu plurimus acri,
Sacramenta, quibus constricti numine divùm,
Juratamque fidem Patriæ, Sanctoque Senatu,
Intactam toto quam stat servare cruore,
Objicies, repetensque iterum, rursusque monebis.

Dum calet certamen, tormenta in hostem explodenda.

Præterea, magno dum nisu prælia fervent,
Tu vigil inspicito quæcumque juvare fugandis
Hostibus opportuna, tuisque afferre salutem,
Optatamque valent palmam cum laude mereri.
Unus & ipse, loco stabis præsentior omni,
Magna animos juvenum, & certamina mente gubernans.

Dux in omnem se partem verset, & cuncta moderetur.

At priùs assultus quàm dura pericula tentes,
Hostis ut obsessam feciales mittit ad urbem,
Ut flammis ruitura solo jam mœnia dedas,
Militiæ primi proceres præcone vocandi
Concilium in magnum: quos tu mox, singula pendens,
Consule, si turrim obsessori dedere, honestum.
Quodque illis visum unanimis, id & ipse sequare.
Sed quæ tradendi caussæ: si turris iniquo
Structa loco, ut nequat defendi: plurima desit
Terra tibi, aut falces, quibus obsepire juventam,
Divulsique queas muri sarcire ruinam.
Insuper, immenso pateat si fragmen hiatu,
Vel dejecta rotis tormenta, nitrumque, pilæque
Deficiant: non & pubes, non machina tanta
Suppetat, innumerum fractis è mœnibus hostem
Ut propulsurum speres sine cæde tuorum,
Atque urbis casu: quam præstat perdere, pube
Incolumi, inque novos quæ sit ventura labores.
Non virtus, furor est, unà cum turre juventam
Tot claram factis amittere: semper at illud,

Priusquam se Dux ad repellendum hostem accingat, consulat suos si urbem hosti tradere sit honestum: & quæ hosti deditionis causæ sint.

(Quod

(Quod tibi, quod multum refert cavisse) videndum;
Ne fors prætextu servandi militis, urbem
Intempestivè dedas: crebroque repende,
Continuò juvenes generari in bella, sed arces
Non facilè amissas iterum, nec regna renasci.

Numquam urbs intempestivè dedenda est.

At si victori visum concedere muros,
Conditio dicenda tibi sit semper honesta.
Scilicet, ut liceat læto clangore tubarum
Passisque in ventum vexillis, ordine Martio,
Instructoque armis, curruque exire tonanti.
Atque suos genti fasces, suaque omnia ferre
Concessum: defensa aditus per fragmina detur.
At si conditio non hæc ferat arcis, & ipsa
Attenuata nimis pubes, nec tempora, leges
Accipe, quas poteris: sed non patieris iniquas,
Non turpes: præstetque necem pro laude pacisci.
Quin etiam interdum perculsi laudis amore,
Invicti fiunt animi, fit pectus ahenum;
Sarciat ut labem murorum, hostemque superbum,
Haud sibi sperata, merita sed clade, repellat.
Et quoniam faciendus honor, tutelaque multùm
Virtuti, fideique tuæ concredita turris;
Ne citò festines vana formidine, muros
Tradere, ab aggeribus viso vix eminus hoste.
Fac abs te potius populus, patresque requirant,
Cur serò obsessam, quàm cur citò dederis arcem.

Conditiones sint semper honestæ, ut res patitur: numquam turpes: & superbus hostis omni conatu repellendus.

Ast ubi majus opus, majoraque cœpta, revertor.
Si tibi jam totis venientem viribus hostem
Excipere, atque extrema subire pericula certum est:
At postquam multùm pugnatum fragmine in ipso
Est dubio sub Marte, tui notare labantes
Incipiant, frustraque alios in prælia mitti,
Hortarique animos frustra: timor imminet, urbem
Vi capturum hostem, tum dede, & cedito Sorti.

Quando tandem dedenda urbs sit.

Sed si posse tua speres defendere vallum
Virtute, & socios exemplo accendere in arma:
Atque tuum seclis amor est transmittere nomen,
Morte vel insigni, servata aut arce, feroces
Haud renuo medios moriturum irrumpere in hostes:
Sæpè stetit ducis exemplo, & virtute ruens arx.
At verò ut votis ausus respondeat æquis,
Non temerè, ut casus fert, & Fortuna, supremam
In pugnam descende: locus si fraudibus, illo
Utere tu solers, artemque adjunge magistram.
Delecti superant qui forte Giraspides, illos

Quod si Dux speret suo exemplo, & veteranorum virtute servari arx possit, in hostem ruat.

Hortatus ſermone brevi, citus inſtrue denſo
Agmine: pulſari mox tympana cuncta, tubasque
Atque improviſos demitti cominus ignes
Præcipe, quique latent, ſuccendi reſte caminos.
Irrue mox acie denſus: trepidoque tumultu
(Si præſens Fortuna auſis, quique ardua Mavors
Cœpta fovet) muris inimicum expelle, ruentemque
Inſequere, ut toto tandem de fragmine cedat.
Verùm inſtauratis iterum ſi viribus arcem
Agreſſurus adit: cui tu conatibus iiſdem
Haud equidem ſperes te poſſe opponere, turres,
Tandem dede: tuos, quorum jam cognita virtus,
Ne patere hoſtili rabie, ferroque litari.
Ergo ubi deditio, tibi jam meliora ſecutus
Conſilia, eſt tandem decreta, attollere ſumma
Candida de turri juvenes vexilla jubeto:
Vel feſtis pulſare modis cava tympana; ſigno
Quo petere inducias te obſeſſor ab aggere noſcat.
Ne qua malæ intereà fraudis queat hoſtibus eſſe
Suſpicio, actutum fac cuncta hoſtilia ceſſent.
Cùm vera de pace agitur, dolus omnis abeſto.
Non tamen interdum prætextu fœderis, urbi
Illatam te poſſe veto ſarcire ruinam.
Namque hoſtes in bello fallere, non dolus, ars eſt.
Ergò datis ultrò obſidibus, pariterque receptis,
Conditionis erunt leges utrimque decoræ
Scribendæ: pactisque, ſacro de more Quiritum,
Imperium tandem victori traditur arcis.
Sed me defeſſum poſt tot certamina Martis,
Phœbeo & totum rorantem fonte, paterni
Invitant colles ad gaudia nota, ſinumque
Ipſa ſuum Siren venienti expandit alumno:
Utque humili quondam Muſco, & mea tempora Myrto;
Sic nunc Heroa geſtit præcingere lauro.
Hinc Neſis, Megareque, & Olympia Mergillina,
Hinc & Sebethus feſtivo murmure aquarum,
Ac virides plaudunt horti, campique beati.
Et procul hinc Prochyte circumſonat, Inarimeque:
Hinc & bellaci ſubſultat Vesbius igne:
Et Vicus contra, Stabiæque, & ſaxa Minervæ,
Ac Surrentini reſonant à vertice colles.
At tibi, Sors varium maneat quæcumque per Orbem;
Sex mihi, ſed vacuis ſudatus menſibus annos
Parthenius Mavors, ſat erit ſi clarus AQUINAS
Te vultu accipiat facili, verſetque ſecundis

Sed ſi hæc ſpes decidat, fortunæ cedendum, ac deditio de more facienda eſt.

Datis mutuo obſidibus arx victori traditur.

Vates poſt tot Martis labores ad patriæ Sirenis otia ſe reducit,

Au-

Auſpiciis, dum bella gerens tremefecerit Hæbrum
Victor, & Eoas arces: ſique inclytus oſtro
Romuleo, & patria præfulgens tempora mitra,
CANTELMUS legat interdum, Crateris ad undam
Dum conceſſa capit, ſepoſtis otia curis,
Et plauſu, ut ſemper ſolitus, dignetur amico.

FINIS.



IN NAUMACHICIS

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 1	verſu 7	*lege*	Nitaris
Pag. 2	verſu 42	*lege*	Lybiæque
Pag. 6	verſu 35	*lege*	fuat
Pag. 13	verſu 21	*lege*	pendet
Pag. 29	verſu 19	*lege*	Dedecus acceptum
In eadem	verſu 40	*lege*	fugaſſent
Pag. 35	verſu 21	*lege*	nigreſcunt
Pag. 53	verſu 32	*lege*	crucesque
Pag. 54	verſu 29	*lege*	magnum
Pag. 65	verſu 15	*lege*	quia
Pag. 67	verſu ult.	*lege*	muros.

